BLASII à BENJUMEA

OPERA

PHILOSOPHICA.

COMMENTARII
IN OCTO
PHYSICORUM
ARISTOTELIS LIBROS.

Ad mentem Doctoris Subtilis JOANNIS DUNS SCOTI, Theologorum facile Principis.

AUTHORE R. A. P. FR.

BLASIO à BENJUMEA,

Ordinis Minorum Bæthicæ Provinciæ Lectore Jubilato, Sanctæ Inquisitionis Censore: dictæ Provinciæ quondam Provinciali Ministro, Exdiffinitore Generali, Ordinis, suæque Provinciæ perpetuo Patre.

Ad observantissimam honorabilemque Andalusiæ Provinciam, suam semper in Christo matrem dilectam.



LUGDUNI BATAVORUM,

Apud THOMAM LOPEZ DE HARO. cIↄ Iↄ c LXXVII.

Y se vende en Sevilla en la Calle de Genoua.


SOLI DEO HONOR ET GLORIA

PROVINCIÆ BETICÆ SIGILLUM MINISTRI

PLVS VLTRA

S. Franciscus
Solanus Provinciæ
Bæticæ Filius

Provinciæ Beticæ
Alum





AUTHORIS
EPISTOLA DEDICATORIA.

Religiosissimæ, ac Sapientissimæ Minoriadum Bæthicæ Provinciæ ac Provinciarum Principi, ejus proclivis filius
F. BLASIUS de BENJUMEA
felicitatem exoptat.

LAbuntur ad fretum naturali pondere flumina; ut quod mirificè per terræ latebras guttatim biberant, hoc ipsum affatim ipsi impendant. (1.) Sic ille ego, qui quondam (sacra mea parens grataque semper Provincia) rivulus exiguus ex tuis visceribus procreatus, quod à te quasi parvulus suxi; ad te pondere gratitudinis labitur. Sed proh dolor! Tu semper chara mihi mater: ingratus ego, non semper filii debitum solvi. A tuis (inquam) accepi mammis rudimenta Virtutum; ex te ab incunabulis pabula sacra sumpsi: per te Mundum deserens, ejusque retia rumpens, apertis oculis cœlum aspicere cœpi. Inprimis tuo Astapensi recollectionis inclusus atrio, (velut proprius dicam viridario) quem Sanctitatis odorem meo olfactui non propinasti? (2.) Ibi demum Religionis Votis me alligatum esse fecisti. O utinam ibi incola per multa sæcula forem! Ab hinc velut sublimis Aquila ad altiora me protrahens, juxta sapientiæ Solem lumina mea examinare contendis. Sistis me ergo Lauretano Collegio: (3.) Quo primum liberalibus disciplinis, Dialecticisque præceptis imbutum ad sacratiores scientias me disponebas idoneum. Profeci paululum: gloria tua est: quis vero (modo te non despiciat) à te non didicit, ut alios possit abunde docere? Fælix ille, qui à te in disciplinam assumitur, & in tuis

(1.) *Ad locum unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant. Ecclesiast. c. 1. n. 7.*

(2.) *Astapa quædam Villa est, quæ Hispanice vocatur Estepa, Diœcesis Hispalensis, propria Authoris Patria.*

(3.) *Jacet hoc Collegium in eremo ab Hispali distans quasi tria milliaria Deiparæ de Loreto sacrũ; in quo recollecti fratres hujus Bæthicæ Provinciæ litteris vacant.*

(4.) *Beatus, quem elegisti, & assumpsisti, inhabitabit in atriis tuis. Psal. 64. 5.*

atriis commoratur. (4.) Igitur ad ſacram audiendam Theologiam me in tuo Hiſpalitano Doctoris Seraphici Divi Bonaventuræ Collegio materno amore recepiſti. Quam cumulata chariſmata ibi mihi grata es impartita, non ſunt facilia dictu. Illic namque, ultra ſcripturam ſacram, Theologaliaque dogmata, perfectionis apices, urbanitatis regulas religioſiamque politicam ex perenni fonte Doctoris Seraphici exhauſtam, accuratè monſtraſti. O utinam aliquid ex præclara tua doctrina meo ſemper pectori impreſſum cernerem! Hucuſque ut diſcipulus tua peragravi Collegia. Acceſſit tandem maturior ætas: & ut expers mater parum de filii confiſa talentis, antequam ſuggeſtus aſcenderem; utrum idoneum, experiri voluiſti. Sed maternus amor impatiens perperam ferebat temporis pretioſùm inaniter labi. Quapropter (neſcio quo ore munera tanta recolo?) poſt Phyſicam expoſitionem, Commentarioſque Ariſtotelicos; iterum ad Venturinum lycæum greſſus dirigere jubes: ubi meæ tenuitatis, imbecilliſque ingenii oblita, ad ſententiarum libros Doctoris Subtilis exponendos, me cogis, inibi multos per dies primariam regentem Cathedram. Ingenuitate fateor, quod ſi elatio expediret, in nullo extollerer, quam in Minerva tanta me contemplari Magiſtrum. Et merito: ut omnibus namque notiſſimum eſt, in cuncto Minorum Ordine, prout ad Hiſpanos ſpectat, authoritate Pontificia erectum, unicum eſt, & ſimile non habet hoc de propaganda fide inſigne Collegium. Aſt quaſi hæc parva eſſent, mihi majora addidiſti; jam in prædicto Collegio conclamatum Rectorem: jam in magno illo (non modo Provinciæ, verum & totius Religionis maximo) Hiſpalenſi Conventu (ita loquor, nam ſic omnes teſtantur) ſupra vires meas in Guardianum electum; omnes tuos, demum, limites Provincialatus Miniſterio me ambire feciſti. Et ut uno proferam verbo, nil in me eſt, quod à te liberaliter non acceperim; & nil in te emicat quod alias Provincias ad æmulationem non provocet. Si de Regulari tua obſervantia, Monaſtica auſteritate, recollectione eremitica ſermonem inſtituam; incipiam fortè, ſed non

inve-

inveniam tuis laudibus metam. Quid ergo ſi de tuis litteris velim laureata encomia recenſere? Alieni dicant, fama loquatur. Unum tamen non deſinam audacter proferre, nempe: quod in læto climate, ſituatione fœcunda, ingeniorum acumine, inſtitutiſque præclaris cum nulla pateris Provincia conferri: nam quæ plures nobilitant, in te una congeſta videntur. (5.) Tu ergo moribus, litteris, ſanctitateque fœcunda non tantum cæleſti Regi, verum & terreno alacris deſervire contendis. Tu enim fidei zelo flagrans, Catholiciſque Hiſpaniarum Regibus fideliter obſequens, in Indorum plagas, ad imitationem priorum, non paucos miſiſti fratres; qui ita Dominicam Vineam in illo novo Orbe excoluerunt: ut merito ab omnibus uno ore novi Regni vocitentur Apoſtoli; de quorum numero plures alios mittere hucuſque non deſeris: ut per te non tantum Catholica amplificetur Eccleſia, verum etiam Hiſpaniarum Regnum longe, lateque diffuſum Orbis ſpatia repleat. (6.) Nec contemnendum judico famulatum, quem filii tui noſtro Catholico Regi impendunt: ſiquidem præſidia omnia, quæ in oris Oceani Maurorum Africæ furibundum impetum comprimunt, non niſi à tuis fratribus, ex decreto Regio, in Divino miniſterio inſerviuntur. Et aliquando accidit, ut celeberrima illa Gaditana Civitate ab Anglis obſidione compreſſa, & militum penuria laborante; non modo à fratribus in Caſtra alimonia tam Divina, quam humana aſportabantur, verum etiam præcinctis lumbis manibus ad arma datis, mœnia coronabant.

(5.) Cuncta ſiquidem unde famã accipiat humanitas in te geminata ſederunt; Patria, genus, inſtituta præclara; quorum ſi unum nobilitatem complet, in te collecta plus facient. Caſſiodorus I. Var. 42.

(6.) Wading. t. 8. Ann. ad ann. 1523. n. 28. In præſidiis omnibus, quæ ad Maris Oceani Ora Bæthica ſpectant, hujus Provinciæ fratres Capellani Regii vocantur, & Regio ſtipendio Conventus illi perfruuntur.

Parce mihi Mater: certus ſum enim meis non indigere præconiis; ſed pluribus titulis ad tuas proferendas laudes coarctor: Divinitus namque nobis præcipitur Parentibus honorem præbere: quanto magis tu, quæ ſpiritualis mater exiſtis, ab iſto filiolo exaltationem expoſcis? ſed quid? Gloria tua in ore hominum ſiſtit? Apage. Non enim humanum teſtimonium inſpicitur, ubi Divinum ſuffulſit. (7.) Prætereo plurimos è tuis cœnobiis viros, qui præclara ſanctitatis famaè vita diſceſſerunt; ut jam, Deo volente, cum de tuis geſtis ſpecialiter, ſummatimque pertractetur, omnibus no-

(7). Expectanda non ſunt teſtimonia humana, cum præcedunt Divina. S. Cyprian. lib. 2. Epiſt. 9.

tum

tum fiet. Solum in medium afferam ſtuporem illum, humilitatiſque exemplum S. Didacum laicum Confeſſorem; qui tuis nutritus Virtutibus, ad Catholicam Eccleſiam luſtrandam Canonizatam Sanctitatem promeruit. Inſuper Indorum illum Apoſtolum, Regnique Peruani Generalem Patronum Beatum Franciſcum Solanum ex tuis viſceribus procreatum: ut non modo hunc Orientalem plagam, verum etiam Occidentalia Climata à tuis alumnis rutilantia niteſcant; & à ſolis ortu uſque ad occaſum filii tui te laudabilem reddant: ut meritò ad te transferam, quod Divino extat oraculo: dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus Domini uſque ad extremum terræ. Tibi ergo, generoſa propago, opuſculum hoc meum venerabundus ſacro. Audacia eſt: ſed non me pudet ubi alii aurum offerunt, lapillum hunc injicere: nam quod operis entitas inficit, totum amoris ardor venuſtat. (8.) Tu quam me ſcribendi facultatem tribuiſti, calamum manui adaptaſti; ſed non potuiſti genium proprium evellere. (9.) Magnifeciſti ſcripta mea aliquando: vulgaris rumor hoc fecit, non vero ſubſtantia operis. Commendo gratiam; ſed temperatur lætitia, quod non opus, ſed ſis ſequuta opinionem. (10.) Donum ergo hoc parvulum eſt; ſed ſi tibi placet, benigneque recipias, ex quo ad tuas pervenerit manus, exurget in altum. (11.) Igitur, pia Mater, quidquid ſit de hoc munere, fiducialiter ad tuos provolvor pedes, ibique munuſculum hoc appono: ſciens quod licet ego nequam ſim filius; tu nunquam ut vera Mater es perpeſſa me habere repulſum. Humile iſtud obſequium non dedigneris admittere; ſed fac, ut improbus iſte tui ſervuli labor cedat in Dei laudem, & gloriam, tuique nominis excellentiam. Vale

Percelebris Wandalica Provincia Commendatiſſimaque mea Sacra Parens,

Oſculatur tuos, & omnium ſingillatim pedes tuus humillimus, haud dignuſque filius

Fr. BLASIUS de BENIUMEA.

S. Didacus, & B. Franciſcus Solanus ex alma Bethica Provincia filii.

Iſai. 49. 6.

(8.) Cum tibi diverſæ Provinciæ congeſtis meritarum laudum præconiis quaſi arcum erigant triumphalem: ego Vir plebejus ſtridente fiſtula inculti eloquii librum hunc ad honorem tuum velut lapillum in acervo præconiorum tuorum conjeci; ſciens quia ſicut non habet unde placeat ex venuſtate, ſic ex devotione ſcribentis non poterit diſplicere. Joan. Sariſbar Prolog. Policrat.

(9.) Scribam ego quod vis, ſed meo more. Sen. ep. 39.

(10.) Gaudeo quidem de gratia, ſed temperat fateor pro tanto favore lætitiam, quod eundem mihi favorem non opus, ſed opinio acquiſierit. D. Bern. Epiſt. 19.

(11.) Pauca ſunt quæ dicuntur, ſed ſi illa animus bene exceperit, convaleſcunt, & exſurgunt. D. Bern. Epiſt. 11.

FACUL-

FACULTAS ORDINIS.

Fr. FRANCISCUS MARIA RHINI *de Policio totius ordinis fratrum Minorum Seraphici P. N.*

S. FRANCISCI *Minister Generalis, & Servus,*

Dilecto nobis plurimum R. P. Fr. BLASIO *de* BENJUMEA, *lectori Iubilato, Sanctæ Inquisitionis Qualificatori Provinciæ nostræ Bæthicæ Patri, & exdiffinitori Generali Ordinis, salutem in Domino sempiternam.*

CUM, sicut accepimus, Opus Philosophicum à V. R. Paternitate elaboratum fuerit, & illud Typis mandare cupiat; Votis tuis Paterne annuentes, tenore præsentium cum merito salutaris obedientiæ facultatem tibi facimus, quatenus præviis examine, & approbatione ejusdem Cursus Philosophici faciendis à P. P. N. Joanne Suarez lectore Jubilato, & Guardiano nostri Conventus Hispalensis, Fr. Francisco de Guzman lectore Iubilato, & Diffinitore Provinciæ nostræ Bæthicæ, & P. F. Ioanne del Olmo etiam Iubilato Lectore, & simul ejusdem Provinciæ Diffinitore, prælo dare possis, servatis servandis juxta decreta Sacri Concilii Tridentini, & Regias Sanctiones, nostrique Ordinis Constitutiones. Vale nostri in tuis Orationibus memor. Datis in Conventu nostro Sancti Francisci Matritensi die 21. Februarii anni D. 1673.

Fr. FRANCISCUS MARIA RHINI
de Policio Minister Generalis.

de mandato suæ Reverendissimæ Paternitatis.

Fr. ANTONIUS de LESSADA
ENRRIQUEZ. Secret. Gen. Ordinis.

§ § *Censura.*

Censura R. A. P. Fratris Ioannis Suarez Sacræ Theologiæ Lectoris Iubilati & Bæthicæ Provinciæ ordinis Seraphici S. P. N. Francisci Patris, & R. R. P. P. Fratris Francisci de Guzman, & Fratris Ioannis del Olmo, qui Lectores Iubilati, & dictæ Provinciæ actuales diffinitores sunt, super istis in Physicam commentariis secundùm Doctoris Subtilis mirabilem doctrinam.

DE mandato, & commissione Reverendissimi Patris nostri fratris Francisci Maria Rhini de Policio, totius Minorum ordinis S P. N S. Francisci Ministri Generalis, nos, qui Censuram subscribimus istam, sedula voluptate perlegimus, & attentè examinavimus Commentaria valde Subtilia in octo Physicorum libros Aristotelis *plenè eruditione composita à R. A. P. Fratre Blasio à Benjumea Sacræ Theologiæ Lectore Iubilato, Sanctæ Inquisitionis Qualificatore Seraphicæ Provinciæ Bæthicæ, Patre perpetuo, nec non totius ordinis Franciscani Patre, sicut olim diffinitore generali. In quibus Scoticæ doctrinæ viget cum novitate veritas. & cum veritate ingenii Auctoris subtilitas fulget. Cur & Auctor opus, & opus, ut legenti patebit, semper laudabit Auctorem. Nihil in hoc Commentariorum physicalium opere fidei Catholicæ dissonum, nil à Christianis moribus devium reperitur. Quapropter hæc Commentaria luce publica digna esse, ut Peripatetica doctrina clarior appareat, & studentium utilitas vigeat, & Seraphici ordinis honor splendeat magis, & Subtilis Magistri doctrina plus eniteat, judicamus. ita censemus in hoc Hispalensi cœnobio Seraphico Patri nostro Sancto Francisco Sacro sacrato. Die 20. Decembris. Anno à Christi Domini nativitate 1673.*

Fr. JOANNES SUAREZ. Fr. FRANCISCUS de GUSMAN.

Fr. JOANNES del OLMO.

Censura R. A. P. Josephi de Leiva Societatis Iesu in Celeberrimo Hispalensi Collegio Divo Hermenegildo Regi, & Martyri sacro, sacræ Theologiæ publici professoris.

PHilosophia Reverendissimi P. F. Blasii de Benjumea Sanctæ fidei Tribunalis Censoris, Ordinis S. Francisci Generalis Diffinitoris, & huius

Provin-

Provinciæ Bæthicæ Patris perpetui, per illustrissimum Principem Archiepiscopum Hispalensem D. D. Ambrosium Ignatium Spinolam & Guzman mihi commissa, nil sanæ doctrinæ, vel bonis moribus continet contrarium, sed multa solida, & accita ad mentem Subtilis Doctoris Scoti apposita: quare nemo est, qui eam inoffenso pede non valeat percurrere. Hispali in Collegio Sancti Hermenegildi Societatis Iesu, die 29. Decemb. An. 1674.

JOSEPHUS de LEIVA.

LICENCIA DEL ORDINARIO.

D. Ambrosio Ygnacio Spinola y Guzman por la gracia de Dios, y de la santa sede Apostolica Arsobispo de Sevilla, del Consejo de su Magestad &c.

Damos licencia por lo que anos toca para que se pueda ymprimir un libro intitulado Commentaria in octo libros Physicorum Aristotelis. *Compuesto por el M. R. P. F. Blasius de Benjumea, Lector Iubilado Calificador del Santo Officio Diffinidor General de la Orden de San Francisco, y Padre de esta Provincia de Andalucia; sin que por ello yn cuerra en pena alguna; atento ala Censura y approbacion del Padre Ioseph de Leiba, de la Compañia de Iesus, Cathedratico de Theologia en el Collegio de San Hermenegildo de esta dicha Ciudad. Dada en Sevilla à 20. de Febrero de mil, seiscientos y setenta y cinco años.*

AMBROSIO YGNACIO
Arsobispo de Sevilla,

Por mandato del Arsobispo mi Señor.

FRANCISCO FERNANDES.

§§ 2 AUTHO-

AUTHORIS

AD

LECTOREM PRÆLUDIUM.

AMicorum, diſcipulorumque Votis annuens (ſtudioſe Lector) potius quam flagrans deſiderio ſcribendi, in lucem prodeunt opuſcula hæc mea Philoſophica. Ingenue fateor, arduum eſſe, hiſce temporibus aliquem propalare tractatum: cum vix aliquis, (imo nullus) à reprehenſione liber videatur. (1.) Et ſic hæc garrula quoſque ſcriptores invadit, neſcio qua fronte tenues has lucubrationes tuis reponam manibus? ſed teſtor iterum, in meis non eſſe ut Typis mandentur: promiſi ſemel, ſolvo debitum; namq; Hiſpanus ſum, ex promiſſione factus ſum debitor: & nulla eſt major anxietas, quam ſemper eſſe debito obnoxium. (2.) Leniret forſitan mei animi anguſtias, ſi id, quod in ſcriptis eſt humile, ſublimaret ſcribentis authoritas: noſtra enim tempeſtate non tam ſubſtantia operis, quam perſona dictitans reſpicitur. (3.) Sed nec hæc mihi fiducia supereſt, ſemper enim meipſum novi; & nil laudabile reperi. Sed quid demoror? Nunquam ſeminaret agricola, ſi obſervaret ventum, nec meteret fructus, ſi nubes pertimeſceret. (4.) Eia ergo mens mea, timor omnis abigatur: unum quippe ſcio, quod aut amicus plaudit, aut inimicus reprehendit: ſi inimicus irrupit, utique ſuſtinebo: ſi amicus errat, leniter temperabo, & ſi docet, auditione dignus cenſetur. (5.) Non tamen deſinam aliqua tibi commonere, mi Lector; in primis ſcias, labores iſtos eadem prorſus veſte, qua in Gymnaſio teneris Scholaſticis dictans, ex ore meo prodierunt, ipſiſſima methodo nulla caſtigatione præmiſſa iterum ad lumen exeunt. Non me latet, aliud eſſe inter domeſticos parietes legere, & aliud ad publicam paleſtram ſcribere; ad hoc namque ſtilus altior exigitur, ſeriorque loquela poſtulatur. Ita ſane

(1.) *Inſinitum id quoque exiſtimatur, nec timere ſine aliqua reprehenſione tractatum. P.in. in prolog.*

(2.) *Semper debere anxium eſt fratres, ſemper triſte ſæneris vinculis alligari. Chryſol. ſer. 88.*

(3.) *Tam imbecilla ſunt judicia hujus temporis; ut hic, qui legunt, non tam conſiderent quid legant, quam cujus legant. S. Paulin. Epiſt. 4.*

(4.) *Qui obſervat ventum, non ſeminat, & qui conſiderat nubes, nunquam metet. Eccleſ. c. 4.*

(5.) *Etenim aut inimicus reprehenſivus eſt, aut amicus: ſi inimicus inſultat, ferendus eſt; amicus autem ſi errat docendus, ſi docet audiendus. D. Aug. lib. 2. de Trinit.*

ſane ſentio, & ſic facere attentaveram; ſed Deus aliud decrevit, ſic me plagis, infirmitatibuſque verberando, ut vix è lectulo caput levare poſſim. Et equidem quantus labor, defatigatio curaque, & vigilia hoc in miniſterio expendatur, ſolus expertus ſapiet. Aſt cum veterana Rebecca proferam: in me ſit iſta maledictio, ut dilectis filiis complaceam. (6.) Nonnullos etiam errores ab incauta codicum tranſlatione exortos, invenies; ſed ni fallor, veniales ipſos reputo apud prudentes viros, nam materialis eſt error, non autem reprehenſibile crimen. (7.) De mendis autem, quæ ad Typographos pertinent, mentionem haud facio; nam facilius judico Herculi clavam, Jovi fulmen, Homero verſum, quam à Typographis errata tollere. Si vero in ſubſtantia operis (ſi qua eſt) aliquid minus utile, arrogans aliquid, vel ſine cautione prolatum aderit; ad tuos, & omnium provolutus pedes, veniam ſuppliciter oro. De eo autem quod laude dignum repereris, non *nobis*, *Lector*, *ſed Deo gratias repende.* Vale.

(6.) *In me ſit iſta maledictio fili mi, tantum audi vocem meam.* Geneſ. 27. n. 13.

(7.) *Simplex tranſlatio habere poteſt errorem, non crimen.* D. Hier. Epiſt. 101.

Fr. BLASIUS de BENJUMEA.

INDEX
DISTINCTIONUM, QUÆSTIONUM
ET
ARTICULORUM.

Distinctio unica Procemialis Philosophiæ pag. I.

Art. I.

Art. I.

Art. I.

PROOE-



PROOEMIUM.

AD magnum Philoſophicum culmen, niſi prævio Logico fundamento, pervenire, licet impoſſibile nunquàm ſim arbitratus, rem tamen difficilem valdè fateri neceſsè eſt. Sed hoc mihi ſolatium unicum inveni, quòd labor improbus omnia vincit. Labor igitur nobis eſt permaximè neceſſarius, cum ad magnum præmium, qualis eſt ſcientiæ ſplendor, honos, & excellentia, non aliter, quàm per aſſiduos labores pervenire poſſitis. Philoſophia igitur, ut à nominis etymologia deſumamus exordium, duabus his Græcis dictionibus, φίλος videlicet, & σοφία, nomen eſt coadintegratum. Quarum prima *amor*, ſecunda *ſapientia*, ut ait Clemens Alexandrinus lib. primo Stromatum, interpetratur. Unde Pythagoras interrogatus, qua arte & ſapientia polleret, reſpondiſſe deſcribitur ſe non *ſophum*, id eſt, ſapientem, ſed *Philoſophum*, id eſt, amatorem ſapientiæ eſſe. Et merito quidem cum jure optimo ſapiens cenſendus non ſit, qui deſiderio, & amore ſcientiæ, cui vacat totis viribus adhærere negligit. Solet etiam communiter Phyſica noſtra Philoſophia appellari, eò quòd vox Græca, *phyſis* naturam ſignificat. Unde Phyſica idem eſt ac ſcientia naturæ, ſive naturalis, & inde fit, quòd ſcientia, quæ de rebus naturalibus agit Phyſica appelletur. Multipliciter igitur Philoſophia ab authoribus uſurpari conſuevit: Primò pro omnium ſcientiarum cumulo, & aggregatione, in quo ſenſu Philoſophi appellari conſueverunt, qui in omni ſcientiarum genere experti verſati ſunt, ut videre licet in Ariſtotelis libro 2. Metaph. cap. 2. Secundò ſumitur Philoſophia pro ſcientia, quæ ſiſtit in veritatis contemplatione, quo pacto omnis ſpeculativa ſcientia Philoſophia appellatur, & cum inter has primum ſibi vindicet Methaphyſica locum, ipſa antonomaſticè Philoſophia appellatur communiter. Tertiò pro ſcientia naturali, in quo ſenſu plures libros ſub ſe Philoſophia comprehendit, videlicèt octo de Phyſico auditu, ſive Phyſicorum, quatuor de Cœlo, & Mundo, duos de ortu, & interitu, ſive de generatione & corruptione, totidem Meteorologicarum

quæstionum, tres de anima & alios. Sed quælibet harum acceptio nimis communis est, ut ad nostrum attinet institutum, quando quilibet horum tractatuum suum peculiare vindicat formale objectum. Quapropter de Physica in his nostris Commentariis agemus, prout sub se octo de Physico auditu libros comprehendit, in quibus agitur de omnibus rerum naturalium principiis, causis, & affectionibus.

In his tamen nostris Commentariis vestigiis Philosophorum Principis Aristotelis inhærere decrevi, ita tamen ut in omnibus, & per omnia Noster sapientissimus Joannes Duns Scotus sit nobis sequendus Magister. Et ejus more tractatum hunc in distinctiones, distinctiones in quæstiones, quæstiones in articulos, & si opus fuerit articulos in partes dividam. Auspice Numine excelso ejusque Genetricis Mariæ absque labe originalis Culpæ conceptæ auxilio, nec non Seraphici Doct. Nostri Divi Bonaventuræ munitus juvamine, jam jam ad Physicæ prooemialia accedam. Quapropter sit titulus,

Distinctio unica

PROOEMIALIS PHILOSOPHIÆ.

CUM omnis scientia in sui cognoscibilitate pendeat ex cognitione sui objecti, & de Physica naturali impræsentiarùm sit nobis sermo instituendus meritò quodnam sit ejus objectum examinare ante omnia decrevi; quapropter sit

QUÆSTIO PRIMA,

Quodnam sit objectum formale, materiale, & adæquatum Philosophiæ?

ARTICULUS PRIMUS,

Ubi aliqua præmittuntur ad enucleationem quæsiti necessaria.

PRO majori quæsiti intelligentia per prius notare decrevi quòd nostra Philosophia, ut ait Scotus in secundo lib. Physicorum. q. 6. n. 2. §. de primo notandum est, quod non dicitur naturalis (verba sunt Scoti) eô quòd insit à natura, quia quælibet scientia nostra est acquisita de novo, ut patet I. posteriorum textu 20. & sic nulla esset naturalis scientia, quæ talis nuncuparetur. Secundo non dicitur scientia naturalis Physica, eô quòd sit à causis naturalibus genita, quia sic quælibet scientia diceretur naturalis, nam quælibet scientia est ab intellectu una cum adjutorio sensus, & objecto exteriori, quæ sunt causæ naturales. Ideo dico, quòd scientia dicitur naturalis eô quod est de rebus naturalibus sub ratione, qua dicuntur naturales, & est illa ratio, qua dicuntur naturæ, vel habentes naturam, sed quia natura non dicitur absolutè, sed in comparatione ad motum, ideo res dicuntur naturales in ordine ad motum. Hactenus noster Scotus.

2. Ex quibus Scoti verbis satis luculenter apparet, quod non ex eo dicitur Philosophia naturalis scientia (nec alia quæcunque hoc appellatur nomine) quia insita, sive genita sit à natura, vel ipsi congenita, quia cum omnis scientia sit vel decursu temporis, vel industria, & labore acquisita, vel infusa ab authore natura; nulla esset scientia, quæ naturalis possit nuncupari: Et similiter non ideo dicitur Philosophia naturalis, quia genita causis naturalibus, quia sic omnis

nis ſcientia acquiſita eo quod genita ab intellectu, & objecto medio adjutorio ſenſus diceretur naturalis.

3. Ratio ergo formaliſſima quare Philoſophia naturalis dicitur eſt, quia agit de rebus naturalibus, tanquam de objecto, ſub ratione, qua dicuntur res naturales, ſive naturæ; & cum natura definiatur in ordine ad motum, eſt enim natura principium motus, & quietis, etiam in ordine ad motum dicuntur res naturales.

4. Secundò eſt notandum, quòd ratio, quæ attingitur à ſcientia, eſt ejus objectum materiale; ſed ratio ſub qua talis res conſideratur à ſcientia, eſt ejus objectum formale. Ut v. g. corpus medicabile eſt objectum medicinæ, ita ut corpus quod medicatur ſit objectum materiale, ſed ratio medicabilitatis in corpore eſt ratio formalis ſub qua attingitur corpus à medicina. Objectum verò adæquatum eſt, quod ex materiali, & formali conſurgit.

5. Tertiò ſuppono quod ſpecificativum ſcientiæ non eſt objectum materiale, cum plures ſcientiæ ſpecie diſtinctæ eodem materiali objecto poſſint gaudere, ut patet de Philoſophia, Mathematica, & Medicina, quarum quælibet habet pro objecto materiali corpus, licèt ſub diverſis rationibus formalibus, ut latè probat Scotus lib. 6. Metaph. q. 1. n. 10. 11. & 12. & ſimiliter quòd ideò ſcientia ſpecificari dicitur ab objecto; ut ait Scotus n. 12. *quia differentiæ intrinſecæ ſpecificæ ſunt ignotæ*; unde illa ſcientia dicitur ab alia diverſa, quæ diverſum ſpecificativum formale habet.

6. Quartò eſt obſervandum, quod multipliciter dicitur aliquid eſſe naturale, primò prout diſtinguitur contra ſupernaturale, in quo ſenſu quidquid fit à cauſa naturali abſque ſpeciali concurſu ſupernaturali Dei dicitur naturale, etiamſi in ſe violentum ſit, ut aquam calefieri, lapidem per impulſum elevari ſurſum &c. Secundò prout diſtinguitur contra violentum, in quo ſenſu dicimus naturale eſſe igni calefacere, id eſt juxta ſuam innatam inſitamque exigentiam. Tertiò pro eo quod alicui competit à nativitate, quo pacto cæcus à nativitate dicitur cæcus à ſua natura. Quartò ſumitur naturale pro eſſentia cujuſcunque rei, quæ natura etiam vocatur. Quintò prout diſtinguitur contra artificiale, quo illud dicitur naturale, quod eſt motus, & quietis principium.

7. Quintò eſt notandum, quòd hîc non ventilamus quodnam ſit Phyſicæ objectum ſumpta Phyſica pro omni ſcientia naturali, ſive quæ agit de rebus naturalibus & prout ſub ſe comprehendit libros de Cœlo, de anima, de ortu, & interitu, &c. ſed de Philoſophia parva, quæ ſolùm agit de his octo libris, qui de Phyſico auditu à Philoſopho nuncupantur.

8. Sextò eſt permaximè advertendum, quòd hic non eſt ſermo de objecto magis principali, quod in Phyſica conſideratur, neque de objecto adæquato prædicationis, cum nullum ſit objectum, quod adæquatè de omnibus, quæ tractantur in Phyſica valeat in quid prædicari in ratione objecti, licet in ratione entis poſſit de omnibus aliqua ratio communis abſtrahi, & prædicari; ſed inquirimus quodnam ſit objectum adæquatum per ſe Phyſicæ, ad quod, tanquàm ad objectum primò per ſe intentum à Phyſica, omnia, quæ tractantur in Phyſica, reducantur.

9. Septi-

9. Septimò est notandum quòd quadrupliciter possunt aliqua, quæ tractantur in aliqua scientia, ad illam pertinere; vel per se primò, quia ratio per se primò intenta: vel per se, licèt non primò, ut sunt partes subjectivæ objecti primarii per se, sive inferiora sub illo contenta: vel reductivè, ut partes integrantes, sive componentes objectum: vel per accidens, ut sunt accidentia subsequuta ad tale objectum, & ab ipso petita, & dimanantia. His præjactis ad adversariorum placita diluenda deveniamus. Quapropter sit titulus:

ARTICULUS SECUNDUS;

Varia Adversariorum placita referuntur, & simul refelluntur.

10. PRima sententia affirmat, quòd ens mobile sub ratione formalissima mobilitatis est objectum adæquatum Philosophiæ. Hanc patrocinatur sententiam Divus Thomas in suo Physico prooemio his verbis: *cujus objectum* (Philosophiæ videlicèt) *est ens mobile simpliciter, non dico autem corpus mobile* &c.

11. Sed hæc sententia sic impugnatur: de ratione objecti adæquati cujuscunque scientiæ est, quòd neque objectum excedat scientiam, neque excedatur ab illa, sed sic proportionentur inter sese, quòd nihil habeat objectum prout tale, quod non attingatur à scientia, & nihil attingat scientia quod non sit sub ratione talis objecti; sed ens mobile in tota sua latitudine sumptum excedit Philosophiam: ergo nequit esse objectum adæquatum Philosophiæ. Major habetur ab Scoto q. 3. prologi sub n. 4. §. ad primum, his verbis: *Tertia conditio; subjectum debet esse adæquatum ita quod non excedat considerationem scientiæ, cujus est subjectum*; & ab omnibus admittitur. Minor vero probatur; Angelus est mobilis de loco in locum, & de cognitione in cognitionem; & similiter accidentia eucharistica quatenùs localiter moventur sunt vera entia mobilia, & tamen de his non agit Physica, in quo enim ex octo Physicorum agitur, nec de motu Angeli, nec de accidentibus eucharisticis? Ergo ens mobile, in tota sua latitudine sumptum, excedit Physicam: Ergo nequit ejus objectum adæquatum putari.

12. Secunda sententia, quæ etiam tribuitur D. Thomæ in prooemio ad libros de Cœlo asserit, quòd corpus mobile est Physicæ adæquatum objectum sub ratione formali mobilitatis; hanc tuentur sententiam Albertus Magnus, Egidius, & alii quamplures. Verba D. Thomæ sunt hæc, Opusc. 42. cap. 14. *ex dictis igitur patet, quòd ens mobile, quod est corpus communiter acceptum* &c. ubi idem intelligere videtur per ens mobile, ac per corpus mobile. Sed quidquid sit de sententia D. Thomæ, sic impugnatur.

13. Quia vel per corpus intelligit quodcunque corpus prout abstrahit à Physico, & Mathematico, substantiali, & accidentali, completo, & incompleto, vel non? Si primum; sic hanc impugno sententiam: corpus in sua communissima ratione sumptum est æquivocum ad completum, & incompletum, Physicum, & Metaphysicum, substantiale, & accidentale: Ergo nequit esse alicujus scientiæ objectum. Consequentia

quentia probatur, quia æquivocum non est definibile: Ergo neque alicujus scientiæ scibile. Antecedens probatur; quia à corpore Physico prout Physico, & Mathematico prout tali nequit aliqua ratio Physica univoca abstrahi, cum quidquid à Physico abstrahitur Physicum sit, sicut quod abstrahitur à Mathematico prout tali, Mathematicum est necessariò; & similiter de corpore completo, & incompleto, quibus prout talia implicat ratio univoca conveniendi. Idem dicito de substantiali, & accidentali: Ergo corpus prout abstrahit in sua communissima ratione nequit esse Physicæ adæquatum objectum.

14. Præterea; corpus ut sic non habet proprietates demonstrabiles in Physica, nec principia, quibus possint demonstrari: Ergo non est objectum. Probatur antecedens; non habet naturam prout ab Aristotele 2. Physicor. cap. 1. textu 4. traditur, ratione cujus habeat mobilitatem, & quiescibilitatem ortam à natura: Ergo non est objectum Philosophiæ.

15. Si verò dicant, quòd corpus mobile intelligunt corpus completum de prædicamento substantiæ; contra: nulla scientia probat suum objectum; de ratione enim objecti est, quòd supponatur ad scientiam, tamquam causa ad suum effectum, sed mobilitas substantialis, sive corporis substantialis probatur in Physica: Ergo mobilitas non est ratio sub qua agitur de corpore substantiali, naturali in Physica. Major est certa, & minor probatur; quia Philosophus 3. Physicor. text. 6. probat dari corpus mobile ex eo quòd detur natura corporea substantialis, quæ est principium motus, & quietis: Ergo &c.

16. Tertia sententia est nostri Joannis Canonici in Physica q. 1. art. 1. conclusione 5. Antonii Andreæ in eodem 1. q. 1. & aliorum Scotistarum asserentium substantiam naturalem creatam prout abstrahit à corporea, & incorporea esse Physicæ adæquatum objectum; sed hæc sententia sic impugnatur; illud est objectum adæquatum Physicæ, cujus principia, & partes considerantur in Physica, & passiones demonstrantur; sed substantia prout abstrahit à corporea, & incorporea nulla habet Physica principia, vel partes, quæ considerentur in Physica, nec passiones in ipsa demonstrabiles: Ergo nequit esse Physicæ objectum. Major est evidens; minor probatur; principia, quæ considerantur in Physica sunt materia, forma, & privatio, de quibus agit Philosophus 1. Physicor.; sed substantia prout abstrahit non habet materiam, & formam, & privationem in fieri, cum solùm ista in substantia corporea corruptibili, & generabili inveniatur: Ergo &c. quòd non habeat partes Physicas etiam ex se patet, quia quod non est Physicè compositum non habet partes Physicas componentes: Ergo &c.

17. Quarta sententia est Jatareti in Physico procemio §. sciendum quartò, quem aliqui ex modernis in suis manuscriptis sequuntur; qui affirmat, quòd ens finitum in sua communi acceptione sumptum sub ratione naturalitatis est objectum adæquatum Physicæ; & pro sua fundamentali sententia asserit, quòd Physica dupliciter consideratur, vel prout tradita à primo parente Aristotele, vel prout à nobis Catholicis habetur. Si consideratur (ait Jataretus) prout

prout tradita ab Aristotele, nulli debet esse dubium, quin ejus objectum sit corpus naturale, cum solùm de illo de ejusque principiis, & proprietatibus egerit Philosophus: Si vero consideretur prout est in Catholico, latius se extendit, quam ad corpus naturale, & sic ejus objectum ens finitum debet poni, ut comprehendat sub se motum angeli, & eucharistiæ accidentia.

18. Sed certè vellem doceri à Jatareto, in quo libro Physicorum agitur de motu Angeli, vel de mobilitate accidentium eucharisticorum; cum in nulla Physica Catholici Authoris viderim de his disputari: ex quibus infero hanc conclusionem, quòd vel omnes, qui Philosophicum tractatum instruxerunt non sunt Catholici, cum de his non egerint, vel quod tractaverunt quod ignorarunt; neutrum horum est dicendum: Ergo neque illud, ex quo sequitur.

19. Præterea, Angelum esse intelligentiam spiritualem, & loco motivum, & similiter eucharistica accidentia esse separata à substantia, & moveri absque subjecto, cognoscuntur à Catholico Philosopho, non per principia naturæ, sed media, revelatione, & fide: Ergo nec possunt pertinere ad scientiam, cujus objectum est res naturalis, & ideo naturalis nuncupatur, & acquiritur industria, & labore.

20. Insuper illa, quæ in sua cognoscibilitate dependent à cognitione principii naturalis, non possunt habere idem objectum formale, ac illa quæ in sua cognoscibilitate pendent non à principio supernaturali, sed à revelatione supernaturali divina: Ergo de his, & de illis nequit aliqua ratio communis abstrahi, quæ sit alicujus scientiæ formale motivum, & specificativum. Antecedens probatur: illa scientia, quæ pro objecto formali habet aliquid naturale, nititur suo naturali fundamento, & motivo ad illationem consequentiæ naturalis, & illa quæ habet pro objecto aliquid credibile, nititur authoritate revelantis, ut in aliquo principio præternaturali; sed naturali, & præternaturali non potest dari unica ratio scibilis, cum diversis nitantur principiis: Ergo non potest dari aliqua scientia, quæ habeat pro objecto aliquid scibile prout abstrahit, & sub se comprehendit principium, seu objectum naturale, & præternaturale.

21. Et impugnatur hæc sententia: ens finitum in sua communissima ratione acceptum non est mobile, nec de illo potest verificari mobilitas, quæ est passio demonstranda in Philosophia: Ergo ens finitum in hac communi acceptione non est objectum Philosophiæ. Probatur Antecedens: ens finitum in tali acceptione non est natura: Ergo non est mobile. Probatur Antecedens; natura ex Philosopho est *principium motus, & quietis ejus, in quo est primo, & per se & non secundum accidens*; Sed hæc definitio naturæ ut ex se constat nequit convenire accidenti: Ergo ens prout abstrahit à substantia, & accidenti, non est natura: Ergo neque mobile: probo consequentiam, cui repugnat principium mobilitatis internæ etiam mobilitas repugnat, sed principium mobilitatis, quod est natura, non competit accidenti, sed solùm substantiæ corporeæ completæ: Ergo de accidenti non potest verificari mobilitas Physica.

22. Secundò impugnatur: datur aliquod accidens, cui repugnat accipi sub ratione natu-

naturalitatis: Ergo datur aliquod ens finitum cui repugnat esse objectum Philosophiæ: probo Antecedens: charitas, fides, spes, actus beatificus sunt entia accidentalia supernaturalia; sed ens supernaturale prout tale implicat esse naturale: Ergo datur aliquod ens finitum, cui repugnat accipi sub ratione naturalitatis. Minor probatur; quia implicat, quòd aliquod ens concipiatur sub ratione formali, quæ non invenitur in ipso, immo est sibi repugnans: Ergo implicat, quòd ens finitum supernaturale consideretur à Physico sub ratione naturalitatis.

23. Tertiò impugnatur: mobilitas, quæ est passio demonstranda in Philosophia repugnat alicui enti finito: Ergo non quodlibet ens finitum pertinet ad objectum Philosophiæ. Probatur Antecedens, omni relationi repugnat motus, tam subjectivus, quàm terminativus: Ergo datur aliquod ens, immò quam plura, quibus mobilitas per se repugnat, quæ est passio demonstranda à Physica. Antecedens probatur, quia teste Philosopho 5. Physicor. Ad relationem prædicamentalem non datur per se motus, neque relatio ut talis potest esse principium motus, cum non sit productiva, neque subjectum, cui inhæreat motus, relatio enim non movetur, neque est mobilis, neque terminat motum: Ergo &c.

ARTICULUS TERTIUS,

In quo vera Doct. Nost. subtilis sententia adaperitur, & ejus mens, ut nostra firma conclusio probetur.

ALiorum placitis, & sententiis relatis, & confutatis jam ad nostram stabiliendam sententiam accedamus. Sit ergo nostra prima, & firmiter defensanda conclusio. Objectum adæquatum Philosophiæ est corpus substantiale sub ratione naturalitatis acceptum, tamquàm sub ratione formali. Hæc conclusio licet sit inter Scotistas communis, & pro ea Doctorem nostrum subtilem omnes adducant patronum, nullus tamen verba Doctoris adducit, ut ex eis mens ejus aperiatur; & si quis textum adducit Scoti, illum citat, ubi forte tale non somniavit; sed nil mirum, si numquàm textum tanti Magistri legerunt.

25. Accipite igitur verba Scoti pro nostra solidanda sententia, quæ profert in lib. 2. Physicor. q. 6. sub n. 2. §. de primo notandum est, in fine: *Ideo dico, quòd scientia dicitur naturalis* (loquitur de Philosophia) *eo quod est de rebus naturalibus, sub ratione, qua dicuntur naturales, & est illa ratio, qua dicuntur naturæ, vel habentes naturam, vel secundum naturam. Sed quia natura non dicitur absolute, sed in comparatione ad motum, ideo res dicuntur naturales in ordine ad motum:* Ergo ex mente Scoti corpus substantiale sub ratione, qua dicitur natura, tanquam sub formali ratione est objectum Philosophiæ.

26. Secundò probo conclusionem ex eodem Scoto 6. Metaph. q. 1. n. 11. §. sed hæc ratio, prope finem, in qua quæstione dividit Scotus scientiam speculativam realem in Metaphysicam, Mathematicam, & Physicam: Et postquam in dicto §. ait, quòd substantia prout ens pertinet ad Metaphysicam, eadem substantia corporea prout radix quantitatis ad Mathematicam, ait: *Ulterius eadem substantia corporea non contracta*

tracta ad inferius, sed alio modo considerata, scilicèt in quantum habens formam, quæ est principium determinatæ operationis & motus, & quietis, habet multas paßiones sibi inhærentes, & scibiles per viam sensus (notate hæc verba scilicèt scibiles per viam sensus) *ergo quoad illa erit alia speculativa, quæ dicitur Physica, sive naturalis.* Ecce quomodò ex Scoto habetur nostra conclusio.

27. Tertiò probo hanc eandem veritatem ex Scoto, qui ibidem num. 13. §. ex ista distinctione, in fine ait: *Physica verò considerat substantiam corpoream, in quantum in conceptu, quem de corpore habet, includuntur principia motus, & operationis; ideo per materiam sic definit, non quòd motum ponat in definitione, quia ille est paßio apud eum:* Ecce quomodò luce meridiana clarius apparet nostram conclusionem esse expressam mentem Scoti. Alias possem adducere authoritates, sed in re adeò nota, eis non esse opus judicavi.

28. Sed quia ex verbis ex Scoto allatis potest quis contendere, ut aliquem contendere vidi in suis manuscriptis, Scotum idem intellexisse per corpus substantiale naturale, ac per corpus mobile; quod nunquàm intellexit Scotus, ut in verbis relatis consideranti patebit: Accipite nihilominus alia pro hac parte clariora verba, ut ejus mens splendidius clarescat. Ait siquidem Scotus in hac eadem quæstione ex 6. Metaphysicæ n. 16. §. consideratur etiam in medio: *Unde valde inconvenienter videtur mobile poni formalis ratio subjecti in Physica cum sit paßio remota valde.* Non igitur intellexit Scotus idem esse, mobile, ac corpus naturale. Insuper sub n. 17. ejusdem quæstionis §. contra ait: *Mobile significat aptitudinem ad motum, quæ aptitudo, si intelligatur remota inest substantiæ Physicæ ex principiis propriis substantialibus. Itaque per istam determinationem non ponitur motus quomodocunque sumptus propria ratio formalis subjecti Physicæ.*

29. Quartò probatur nostra conclusio ratione: illud est objectum adæquatum alicujus scientiæ, cujus partes, & principia considerantur à tali scientia & passiones demonstrantur; sed partes, & principia corporis naturalis completi substantialis considerantur in Physica, & ejus passiones demonstrantur: Ergo corpus substantiale completum sub ratione naturalitatis est objectum adæquatum Physicæ. Major ab omnibus est admissa; minor verò probatur; nam in 1. Physicor. agitur de principiis corporis naturalis; in secundo de causis; in tertio de natura; & in reliquis libris de ejus proprietatibus accidentalibus, puta finito secundùm quantitatem ubi, loco, situ, quando &c. Ergo corpus substantiale completum sub ratione naturalitatis est objectum adæquatum Philosophiæ.

30. Et confirmatur; quia illius solùm principia considerantur in Physica, quæ definiuntur à Physico; sed materia, forma, & privatio solùm definiuntur à Physico, tamquàm solius corporis completi substantialis, & naturalis principia: Ergo solùm corporis naturalis substantialis principia sunt, quæ considerantur à Physico: Ergo corpus naturale substantiale completum est objectum Physicæ.

31. Sit secunda conclusio: corpus naturale substantiale est objectum materiale Physicæ. Hæc conclusio potius indiget explica-

plicatione, quàm probatione; ſed nihilominus ex ejus probatione, ejus explicatio patebit. Illud eſt objectum materiale, cui primò, & per ſe competit objectum formale, & ſub ratione formali attingitur à ſcientia; ſed naturalitas prout definitur à Philoſopho 2. Phyſicor. primò, & per ſe competit corpori ſubſtantiali completo, & ſub ratione talis conſideratur à Phyſico: Ergo corpus completum ſubſtantiale eſt objectum materiale. Major eſt certa; minor probatur; quia naturalitas definitur à Philoſopho per eſſe principium intrinſecum motus, & quietis, & operationis; ſed eſſe principium motus, & quietis, & Phyſicæ operationis competit corpori ſubſtantiali completo, corpus enim ſubſtantiale completum eſt principium quod cujuſcunque Phyſicæ operationis, quod movetur, quod eſt in loco, quod quieſcit &c. Ergo corpus ſubſtantiale completum eſt objectum materiale.

32. Sit noſtra tertia concluſio: objectum formale, ſive ratio ſub qua agit Phyſica de corpore ſubſtantiali eſt natura, ſive naturalitas, prout eſt principium motus Phyſici, & Phyſicæ operationis, & quietis. Hæc concluſio probatur; illud eſt objectum formale, ſive ratio ſub qua in Phyſica, quod determinat objectum ejus materiale ad hoc ut ſit potius Phyſicæ objectum, quàm alterius ſcientiæ; ſed ratio naturæ, ſive naturalitatis determinat corpus ad hoc ut ſit Phyſicæ objectum potius, quàm alterius ſcientiæ: Ergo ratio naturæ eſt objectum formale, ſive ratio ſub qua Phyſicæ.

33. Major eſt certa; ab objecto enim formali, & ſpecificatur ſcientia, & determinatur ejus objectum materiale, ut ad ſcientiæ talis conſiderationem expectet. Minor verò probatur; illud eſt determinativum formale objecti materialis ad Phyſicam, quod deſervit ut medium demonſtrandi paſſiones, & proprietates de objecto materiali ſub tali ratione; ſed natura ut principium motus, & quietis eſt medium demonſtrandi paſſiones, & proprietates de objecto materiali Phyſicæ: Ergo eſt ejus formale objectum. Minor probatur; quia mobilitas hac demonſtratione manifeſtatur de corpore ſubſtantiali: quod habet naturam eſt mobile, & quieſcibile formaliter; ſed corpus ſubſtantiale completum habet naturam: Ergo eſt formaliter mobile, & quieſcibile, nec non & operationis Phyſicæ principium. Et ſimiliter hac demonſtratione utimur ad probandas proprietates; omne quod habet naturam Phyſicam completam eſt in loco, eſt quantum &c. Ergo naturæ eſt medium ad demonſtrandas proprietates de corpore ſubſtantiali: Ergo eſt ratio formalis objecti Phyſicæ. Cætera, quæ hic deſiderantur ex argumentorum ſolutione patebunt.

Argumentis Contrariorum ſit ſatis.

34. PRimò arguitur contra noſtram concluſionem fundamento, quo nititur Jataretus probare ens finitum ſub ratione naturalitatis acceptum eſſe objectum adæquatum Philoſophiæ, quod tale eſt: illud eſt objectum adæquatum Philoſophiæ, cui primò competit paſſio potiſſimè demonſtranda in Philoſophia; ſed mobilitas, quæ eſt paſſio demonſtranda in Philoſophia competit primò, & per ſe enti finito ſub ratio-

ratione naturalitatis accepto, & non corpori ſubſtantiali completo: Ergo ens finitum ſub ratione naturalitatis, & non corpus ſubſtantiale completum eſt objectum Philoſophiæ. Minor probatur, mobilitas verificatur de omni ente finito ſub ratione naturalitatis accepto: Ergo mobilitas primò, & per ſe competit enti finito, & non corpori ſubſtantiali naturali. Patet conſequentia; quia quod competit aliis à corpore ſubſtantiali, non competit corpori in ratione talis, ſed illi ineſt ratio alicujus prædicati communis, quod etiam in aliis reperitur, hujuſmodi eſt mobilitas: Ergo &c.

35. Antecedens probatur, quia hæc eſt vera propoſitio formalis: ſubſtantia ſpiritualis eſt mobilis localiter, Phyſicè, & intentionaliter, Angelus enim diviſibiliter Phyſicè movetur motu ſucceſſivo, & diviſibili, per diviſibile ſpatium: perficitur ſimiliter Phyſicè aliqua forma accidentali: & ſimiliter iſta: accidens etiam à ſubſtantia ſeparatum movetur de facto, ut patet in euchariſtia: Ergo eſt mobilis: quia de actu ad potentiam bene valet conſequentia: Ergo mobilitas Phyſica convenit ſubſtantiæ corporeæ, ſpirituali, & accidenti: Ergo convenit illis per aliquam rationem communem, quæ in omnibus iſtis invenitur; ſed talis ratio nequit eſſe alia, niſi ens finitum: Ergo enti finito competit primò, & per ſe mobilitas, quæ eſt paſſio potiſſima in Philoſophia demonſtranda: Ergo eſt objectum formale adæquatum Phyſicæ, ſiquidem ratione ſui competit ſubjectivis partibus, id eſt ſuis inferioribus.

36. Ecce validiſſimum Jatareti fundamentum, quo probat ſuam ſententiam de ente finito; & cui nititur Joannes Canonicus ad probandum ſubſtantiam prout abſtrahentem à corporea, & ſpirituali eſſe Phyſicæ objectum, etiamſi neget ipſe mobilitatem accidentibus niſi per accidens adaptari.

37. Huic argumento ſolent communiter reſpondere Scotiſtæ, ut in aliquibus manuſcriptis ſæpè ſæpius perlegi, quòd bene verum eſt, quòd Angelus ſicut & anima ſeparata movetur, & eſt vere, & formaliter mobilis, ſicut & accidens ſeparatum confitentur moveri, ut videre eſt in euchariſticis accidentibus: Attamen quia eſſe accidentia in euchariſtia ſine ſubjecto, & ſeparata moveri, ſicut & eſſe Angelum loco motivum, cum ſit ſpiritualis ſubſtantia, nobis non conſtat, niſi ex principiis fidei, quibus huic veritati aſſentimur: ideo duplicem Philoſophiam adſtruunt, alteram prout à Philoſopho traditam, & hujus eſſe corpus ſubſtantiale naturale objectum ajunt; alteram prout à nobis Catholicis habetur, & hujus objectum aliud magis commune, quam corpus naturale ſubſtantiale confitentur haberi. Et de Phyſica in prima acceptione dicunt inquirere objectum, & eſſe naturale corpus, de ſecunda vero non eſſe ſui inſtituti, & ſic nil probare contra ipſos argumentum.

38. Sed miror valdè viros aliàs doctiſſimos hac eſſe ſolutione, ſeu ut verius loquar tergiverſatione contentos, maximè cum aſſerant doctrinæ Jatareti, & Joannis Canonici minimè velle adhærere, immò potius illam fortiter impugnare, ut videre licet in ſuis ſcriptis. Quis non videt hos duplici contradictorio laborare oneratos, & ſequi, quod ſequibile negant, & negant ſequibile quod ſequuntur.

39. Sed

39. Sed omissa eorum in Doctrina inconsequentia sic contra illos insurgo: Ergo Physica prout in nobis Catholicis gaudet alio objecto, ac gaudet prout in suo inventore Philosopho: concedunt consequentiam. Tunc ultra: Physica prout in nobis Catholicis habetur distincta scientia est essentialiter à Physica prout in Philosopho: patet consequentia, quia objectum est specificativum scientiæ: Ergo ubi datur distinctum specificativum, dabitur & distincta specificata scientia. Ulterius; ergo sub ratione, qua agitur à Philosopho de principiis corporis naturalis, de natura, de corpore substantiali, de loco &c. non agitur à nobis Philosophis de eisdem; patet consequentia; quia si objectum formale specificativum illius est diversum, ratio sub qua agitur ab illo de eis debet esse diversa, sub qua ergo ratione agitur à nobis de his? cum omnes definitiones à Philosopho traditas tanquam media demonstrandi, & nos amplectamur?

40. Præterquàm quòd si aliud est objectum Physicæ in nobis, & aliud Physicæ à Philosopho traditæ, Philosophiæ prout abstrahit à nobis quod erit objectum ejus prout Philosophia in se consideratur? non quod assignavit Philosophus, neque quod nos Catholici adstruimus; erit ergo aliud tertium, quod nec hoc, nec illud sit, & de hoc philosophabitur neque à nobis Catholicis, neque meris Philosophis, seu Philosophi discipulis; à quibus ergo de tali agetur objecto?

41. Nos igitur, qui aliam non novimus Philosophiam, præter illam, quam ejus primus inventor, & Pater assignavit; longè aliter ad argumentum respondere tenemur. Quapropter sic in forma respondeo concedendo majorem, & negando minorem, & ad ejus probationem quòd Angelus per se movetur, & similiter accidens; quod probat exemplo de quantitate eucharistica distinguo: Angelus per se movetur, & similiter accidens, motu Physico orto à principio intrinseco naturæ, nego; motu alio, qui de per accidens solùm expectat ad Physicam, & de per se ad alias scientias, putà Metaphysicam, & Theologiam, concedo.

42. Hanc solutionem etiam apud Scotistas aliquos inveni, sed apud nullum reperio, quænam sit ratio Physici motus, ut appareat, quòd motus, quo movetur Angelus non sit Physicus, & quo movetur corpus, Physicus sit appellandus: & similiter de motu accidentium eucharistiæ cum ejusdem rationis videatur cum motu, quo corpus movetur.

43. Quia igitur in elucidanda natura Physici motus stat difficultatis punctum, ideo permaximè est notandum, quòd motus Physicus, sive Physica mobilitas, quæ est passio Physica demonstranda est ille in ordine, ad quem Philosophus definit naturam, dum ait, quòd natura est principium motus, & quietis; id est talis motus, qui oritur tanquàm passio à natura, tanquàm à principio intrinsecè, & radicaliter mobile.

44. Insuper est notandum, quòd natura (ut suo loco Deo dante dicemus) est principium passivum motus, non vero activum, cum ille motus dicatur naturalis, qui quasi forma informat, & determinat mobile in potentia passiva.

45. His prænotatis dico, quòd motus Physicus naturalis est motus sensibilis corporeus

poreus ortus à principiis intrincesis naturæ corporeæ substantialis. Itaq; solum ille motus est per se Physicus, qui est sensibilis, hoc est perceptibilis à sensu, & potest naturaliter via sensus dici à nobis.

46. Doctrina hæc expressa est D. N. S. quam ejus verbis confirmo. Ipse enim D. subtilis lib. 6. Metaphysicæ. q. 1. sub n. 9. §. secundò videndum est, postquam scientiam speculativam realem dividit adæquatè in Metaphysicam, Mathematicam, & Physicam, inquirit sub isto §. quomodò intelligenda sit hæc divisio scientiæ? ait in fine §. *intelligendum est* (supple hanc divisionem esse) *de speculativa poßibili inquiri ab homine ex naturali lumine intellectus, scilicet ex principiis cognitis via sensus, quia cognitio nostra oritur à sensu, primo posterior. textu, & comm. 1. per quod excluditur speculativa cognitio de substantiis separatis quantum ad propria ipsarum:* Ergo ex mente Scoti secluditur scientia naturalis, qualis è Physica à cognitione de substantiis separatis, eo quòd de substantia tali nullam cognitionem sensibilem, sive per viam sensus habere possimus ex naturali lumine intellectus: Ergo solùm illa substantia, & ille motus exspectat ad Physicam naturalem, qui est sensibilis, sive à sensu perceptibilis, vel formaliter, vel radicaliter.

47. Item idem subt. Doct. in eadem q. n. 11. §. sed hæc ratio, in fine ait, *eadem substantia corporea considerata in quantum habens formam, quæ est principium determinatæ operationis, & motus, & quietis, habet multas paßiones, sic sibi inhærentes, & scibiles per viam sensus: Ergo quoad illas erit alia speculativa, quæ dicitur Physica, sive naturalis:* Ergo solum illa passio, quæ oritur à principio intrinsecæ naturæ, & est cognoscibilis via sensus pertinet ad Physicam.

48. Et n. 11. §. intelligendum est, in fine: *Ulterius secundum membrum subdividitur in scientiam de substantia incorporea, quæ non est nobis poßibilis pro nunc; & in scientiam de substantia corporea.* Si ergo scientia de substantia incorporea non est nobis (& loquitur Scotus cum Catholicis, & ut Catholicis) possibilis pro nunc, restat ergo, quòd de illa non sit Physica, cum pro nunc Physica sit, & hæc sit de substantia corporea, cujus cognitio etiam pro nunc possibilis est, immo de facto datur.

49. Et num. 12. § assignantur, hæc profert verba: *Aßignantur & aliæ distinctiones istarum* (scilicet scientiarum) *quia Metaphysica est circa maximè intelligibilia, videlicèt circa ens; & Mathematica circa imaginabilia, nempe circa substantiam quantam, sive ut radicem quantitatis naturalis circa sensibilia.*

50. Hanc Doctrinam, utpotè D. S. expressam sequitur & amplectitur N. Franciscus Pitigianus in annotatione, quæ habetur in textum Scoti n. 12. super quem §. ex secundo Physicor. ubi ait: *Nota, secundò Physicam habere pro objecto substantiam non quamlibet, non enim cujuslibet substantiæ paßiones, causasque speculatur, sed solum illius, quæ motus principium habet, & mutationibus sensibilibus est subjecta; erit igitur substantia, de qua Physicus considerat sensibilis, & naturalis.*

51. Ex quibus omnibus apparet, quòd Philosophus solùm agit de motu Physico, & sen-

& ſenſibili, qui eſt nobis perceptibilis via ſenſus, ſive de quo per viam ſenſus poſſumus in ejus cognititionem devenire, & ſimiliter patet quod illud eſt præciſè principium Phyſicum motus, & quietis, ſive natura, quod eſt corpus ſubſtantiale completum ſenſibile, ſeu cognoſcibile per ſenſum, ſive media operatione ſenſuali. Et ille motus perceptibilis eſt à nobis per ſenſum nec oritur à principio intrinſeco ſenſibili; etiam motus Angeli non ſit ſenſibilis, ſive perceptibilis via ſenſus; quandocunque enim mobile non eſt ſenſibile, nec perceptibile ſenſu, ejus motus inſenſibilis eſt, hinc fit quòd motus Angeli, & ejus ſubſtantia non ad Phyſicum inſtitutum, ſed ad alias exſpectet ſcientias.

52. Sed ut nil intactum remaneat, adhuc contra dicta inſurgo; motus Angeli eſt verè ſenſibilis formaliter: ergo ex hac parte ad Phyſicum exſpectat. Probo antecedens; motus Angeli eſt formaliter ſucceſſivus, corporeus, diviſibilis, & continuus: ergo eſt vere ſenſibilis. Antecedens patet, quia Angelus, etſi poſſit aliter moveri, puta in inſtanti, de quo modò non diſputo, ſæpiſſimè tamen movetur, ut in plurimum pertranſeundo prius partem ſpatii, per quod movetur, quàm totum, putà ſi deſcendit de Cœlo Angelus prius pertranſiit ignis ſphæram, poſtea aërem, & in his prius partem aëris, vel ignis, quàm totum aërem, vel ignem: ergo talis motus verè, formaliter eſt diviſibilis, continuus, & ejuſdem rationis cum motu noſtro: ergo ſenſibilis: & ſic &c.

53. Reſpondeo ad argumentum diſtinguendo antecedens; motus Angeli eſt verè formaliter corporeus, ſenſibilis, diviſibilis &c. corporeitate, ſenſibilitate, & diviſibilitate petita ex parte mobilis, qui eſt Angelus, nego antecedens: diviſibilitate, & corporeitate &c. petita ex parte ſpatii, per quod Angelus movetur, concedo antecedens. Itaque ad hoc ut motus ſit Phyſicus neceſſariò requiritur non ſolum quòd motus ſit corporeus, & diviſibilis, & ſenſibilis ex parte ſpatii in ſe, ſed quod ſit talis ex intrinſecis principiis motus, quale eſt natura Phyſica ſenſibilis ſubſtantialis; quod cum non habeat motus Angeli, inde eſt quod à Phyſica conſideratione ſecludatur.

54. Quod ut clarius percipiatis nota, quod ex duplici capite poteſt evenire, quòd motus ſit ſucceſſivus (loquor de motu locali, in quo clarius apparet) vel ex diviſibilitate mobilis, quod movetur, vel ex diviſibilitate ſpatii, per quod fit motus; ex diviſibilitate mobilis, quia habet partes, ſecundùm quas prius mobile acquirit ubi partiale, ſive ſecundùm primam partem, quàm ubi totale, & ſecundùm partem ſecundam, vel ſecundùm omnes. Quod patet de homine aulam ingrediente, prius ingreditur ſecundùm pedem, quàm ſecundùm ſe totum ingrediatur. Ex parte ſpatii, quia ſpatium per quod fit motus eſt diviſibile, & prius mobile eſt in una parte illius ſpatii, quàm in alia; & ex hac duplici cauſa, quarum quælibet eſt ſufficiens etiam per ſe, & ab alia ſeparata provenit diviſibilitas motus.

55. Ita habetur expreſſè ab Scoto in 2. diſt. 2. q. 5. ſub n. 31. §. poteſt ergo concedi: ubi reſpondendo ad tertium argumentum principale, quod habetur num. 1. ejuſdem quæſtionis, quod intendit pro-

bare, quod Angelus, eo quod indivisibilis sit, non potest continuè moveri successivè, hæc profert verba: *oportet intelligere, quòd in motu locali est successio ex duplici causa, videlicèt ex divisibilitate mobilis, & ex divisibilitate spatii, quarum utraque causa, si esset per se, & præcissa esset sufficiens ratio successionis* &c.

56. Et n. 38. ait Scotus; *negat igitur Philosophus, & bene, quòd indivisibile, quantum est de se posit moveri, ita quod sit mobile habens in se rationem completam mobilis continui, non tamen est illud, cui repugnat per se moveri accipiendo ab alio continuitatem motus.*

57. Ergo ex mente Scoti, si Angelus movetur continuè successivè motu divisibili non est ratione sui, sed per accidens ratione spatii, & cum Philosophus non agit, nisi de mobili per se, quod per se ex sua Physica natura divisibiliter, & sensibiliter moveatur; inde est, quod non agat de motu Angeli, neque Angelus sit mobilis ex se Physicè, & sensibiliter.

58. Restat nunc respondere ad illud de eucharisticis accidentibus, & cum hæc motu Physico, sive sensu perceptibili, seu sensibili moveantur, ut patet in quantitate panis de ecclesia in domum infirmi deportata, quod ab omnibus quotidiè videtur, oportet aliam exhibere solutionem. Et licèt possim respondere ut merus Philosophus negando suppositum, quod accidentia sunt sine substantia; tamen ut Theologus Catholicus ad argumentum respondeam.

59. Et ita in forma respondeo: accidentia eucharistica de facto moventur motu Physico, & sensibili orto à natura accidentium, nego, immò nego suppositum, quòd accidentia sint natura; motu accidentali, & de per accidens convenienti accidentibus ab extrinseco movente, concedo.

60. Hæc Doctrina etiam habetur ab Scoto nostro lib. 2. Physicor. q. 5. sub n. 3. §. tertia conclusio, accipite verba Scoti: *nullum accidens est natura; probatur, quia nullum accidens est principale activum alicujus transmutationis: ergo nullum accidens est natura.* Quod latè ibidem probat Scotus: si ergo accidens non est natura, sequitur quòd nullum accidens à principio intrinseco moveatur, sed de per accidens, & ab extrinseco; & cum Philosophus non agat nisi de mobili, quod movetur à natura; inde est, quòd mobilitas, quæ competit accidenti ut à substantia separato sit valde accidentalis, & extrinsecus, & sic non attingatur à Philosopho.

61. Et sub n. 6. ejusdem quæstionis, §. nunc ad instantias. Respondendo ad primum argumentum; quod facit contra se sub n. 4. ubi ait ex Philosopho, *quòd substantia calefacta agit caliditatem, quod non esset nisi caliditas ponatur agere, & hoc virtute propria, ait, dico quòd ex illa litera Aristotelis non habetur, quod si caliditas esset separata, quod tunc ageret, sed si ageret, oporteret, quòd virtus formæ substantialis suppleretur per agens supernaturale scilicèt per Deum, quemadmodùm est de sacramento Altaris.* Ecce quomodò si quantitas eucharistica movetur non est per se, sed per accidens, & Deo supplente defectum substantiæ panis.

62. Sed contra insurges: motus, qui per se est divisibilis, & sensibilis, seu sensu perceptibilis est, qui per se exspectat ad Physicum;

ſicum; ſed motus accidentalis puta quantitatis, & non ſubſtantiæ eſt per ſe diviſibilis, ſenſibilis, ſive ſenſu perceptibilis: Ergo motus accidentis, & non ſubſtantiæ expectat per ſe ad Philoſophiam. Major patet ex dictis pro primi argumenti ſolutione. Minor vero probatur; quia ex Philoſopho 1. de anima, ſubſtantia non eſt per ſe ſenſibilis, ſed ratione accidentium; ita ut ſubſtantia ſi per ſe ſeparata ab accidentibus eſſet non poſſet ſenſu percipi; & accidens etiam à ſubſtantia ſeparatum ſenſu percipitur: ergo accidentis motus eſt per ſe ſenſibilis, & non ſubſtantiæ: ergo motus accidentis per ſe ad Philoſophiam exſpectat, non vero motus ſubſtantiæ.

63. Reſpondeo ad argumentum diſtinguendo majorem: motus, qui per ſe eſt diviſibilis, ſenſibilis, ſive ſenſu perceptibilis eſt qui exſpectat ad Philoſophiam, ſi talis motus radicaliter ſumatur, concedo majorem: ſi accipiatur formaliter, nego majorem; eodem modo ad minorem reſpondetur; & nego conſequentiam. Itaque mobilitas, quæ demonſtratur à Philoſopho non eſt motus in actu ſecundo, quia ſic exercitium, & actus ſecundus primæ mobilitatis eſt, & nullum accidens eſt paſſio, cum paſſio ſit inſeparabilis ab intrinſeco, & accidens ſeparabile. Itaque mobilitas, quæ eſt aptitudo remota ad motum in actu ſecundo eſt paſſio demonſtrabilis de corpore ſubſtantiali, & de iſta mobilitate requiritur, quod ſit ſenſibilis radicaliter, non vero formaliter. Ad probationem ex Philoſopho, verum eſt ſi loquatur de actu ſecundo, falſum verò ſi de ea, ut eſt paſſio, & in actu primo conſiderata fiat ſermo.

64. Hæc etiam ſolutio eſt expreſſa ex mente Scoti qui in 6. Metaphyſicæ q. ſub n. 11. §. contra. Reſpondendo ad quaſdam Philoſophi authoritates ait: *Reſpondeo; mobile ſignificat aptitudinem ad motum, quæ aptitudo ſi intelligatur remota ineſt ſubſtantiæ Phyſicæ ex principiis propriis ſubſtantialibus &c.* ergo ex mente Scoti ſolum ponitur paſſio mobilitas ſenſibilis, non formaliter ſubiſtantialis, ſed radicaliter, quæ ineſt ſubſtantiæ Phyſicæ ex principiis ſubſtantialibus.

65. Ad illud quòd ſubſtantia ſeparata ab accidentibus ſi moveretur non eſſet ejus motus perceptibilis ſenſu, & accidens ſi ſeparatum movetur ejus motus ſenſu percipitur; verum eſt ſi de perceptione actuali loquamur, falſum vero ſi de perceptione ſenſibili radicali; quia per hoc quòd ſubſtantia ſit radix accidentium, ratione quorum ſenſu percipitur, dicitur, quòd ſubſtantia eſt ſenſibilis radicaliter; & de hac ſenſibilitate radicali loquitur Philoſophus, non vero de ſenſibilitate accidentium ſeparatorum, quæ miraculoſè moventur Deo ſupplente, ut ait Scotus, defectum ſubjecti ſubſtantialis, à quo omnis accidentis dependet. Ex dictis, ſi bene attendatur facile ad omnia argumenta, quæ pro hac parte contra quæſtionem poſſunt eformari reſpondebitis.

66. Secundò arguitur pro ſententia aſſerente, quòd ens mobile eſt objectum Phyſicæ, quæ eſt Divi Thomæ, & ejus aſſeclæ. Mobilitas Phyſica primò, & per ſe verificatur de ente, & ſecundariò de corpore: ergo ens eſt primum, & adæquatum Phyſicæ objectum, & non corpus. Antecedens

cedens probatur ex Philoſopho 3. Metaph. tex. 6. dicente, quòd motus eſt actus entis in potentia prout in potentia: ergo ex mente Philoſophi motus eſt actus, qui definitur in ordine ad ens, quod eſt primum ſui perfectibile, & non in ordine ad corpus, ſed prima potentia, cui primò competit aliquis actus eſt illa in ordine, ad quam definitur ejus actus: ergo ſi mobilitas definitur, tamquàm actus in ordine ad ens, ens erit primò determinabile per talem actum, & cui primò competit talis actus: ergo &c.

67. Ad argumentum reſpondeo negando antecedens, & ad ejus probationem ex authoritate Philoſophi, quòd Philoſophus intelligit per ens mobile, ſive per ens, cujus actus eſt motus, illud ens, quod ipſe Philoſophus aſſerit eſſe principium motus, ſcilicèt natura; & cum hæc ſit compoſitum ſubſtantiale completum, hinc fit, quòd in ordine ad illud motum definiat, etiamſi ejus verba prima facie videantur aliud ſonare, ſed ad veram intelligentiam Philoſophi ex ipſo Philoſopho debemus attendere ordinem; cum ipſum ordinatè, & non ſibi repugnantia neceſſe ſit confiteri locutum; nam ſi in ordine ad ens, non intelligendo per ens naturam, Philoſophus definiret motum, ſatis inconſequenter eſſet in ejus doctrina, quod de tanto Magiſtro non eſt fas credere.

68. Tertio arguitur: illud eſt objectum adæquatum alicujus ſcientiæ, quod continet ſub ſe, & in ſe omnes veritates ſcibiles in tali ſcientia; ſed corpus Phyſicum completum ſubſtantiale non continet in ſe, & ſub ſe omnes veritates ſcibiles in Phyſica: Ergo non eſt objectum Phyſicæ adæquatum. Major eſt per ſe nota; nil enim debet cognoſcere ſcientia, quod in ejus, eſt ſub ejus adæquato objecto non contineatur. Minor vero probatur; illud non continet ſub ſe, & in ſe omne ſcibile in aliqua ſcientia, quod non ſe habet tanquam ſuperius reſpectu illorum, & de omnibus in quid prædicatur; ſed corpus ſubſtantiale non continet ſub ſe, tanquam quid ſuperius omnia, quæ tractantur in Phyſica, quia non locum, ubi, motum, tempus, infinitum, quantitatem &c. Ergo &c.

69. Reſpondeo ad argumentum diſtinguendo majorem; illud eſt objectum adæquatum ſcientiæ, quod continet in ſe, & ſub ſe omnes veritates ſcibiles in tali ſcientia, virtualiter, vel potentialiter tanquàm objectum prædicationis, vel attributionis; concedo majorem; tanquàm objectum ſolùm prædicationis, nego majorem. Itaque bene verum eſt, quòd objectum prædicationis alicujus ſcientiæ debet prædicari in quid de omnibus objectis partialibus ſcientiæ, ut patet de ente, quod eſt Metaphyſicæ objectum adæquatum: at vero objectum attributionis ſolùm requirit, quòd omnia, quæ tractantur in ſcientia ad ipſum tribuantur, vel tanquam paſſiones ab ipſo dimanantes, vel tanquàm partes integrales, ipſum conſtituentes, vel tanquàm cauſæ ipſum cauſantes, vel tanquàm accidentia ipſum conſequentes, & cum omnia, quæ conſiderantur à Phyſico, vel ſunt principia corporis naturalis, & cauſæ, vel habent partes illud componentes ut mateтia, & forma, vel paſſiones ut mobilitas, corruptibilitas &c. vel accidentia, quæ ad ipſum conſequuntur; hinc eſt, quòd objectum adæquatum attributionis meritò conſtituatur.

70. Quar-

70. Quartò arguitur: definitio ſubjecti eſt medium potiſſimum demonſtrandi paſſiones de tali objecto; ſed definitio corporis naturalis ſubſtantialis non eſt medium adæquatum demonſtrandi omnes proprietates, & paſſiones, quæ demonſtrantur in Phyſica: Ergo non eſt objectum adæquatum Philoſophiæ. Major eſt evidens; minor probatur; quia ad demonſtrandum de corpore, quòd ſit quantum, quòd ſit in loco, quòd vacuum ſit locus carens corpore, aptus tamen repleri, quòd infinitum ſit in potentia, in quantitate, & alia hujuſmodi non poſſunt demonſtrari, ut ex ſe patet, per hoc medium, corpus naturale ſubſtantiale eſt quid compoſitum ex materia, & forma, quæ eſt Phyſica definitio corporis: Ergo neceſſe eſt aliud medium aſſignare, quod ad hæc omnia demonſtranda adæquatum medium ſit: Ergo illud tale erit Phyſicæ adæquatum objectum, & non corpus naturale.

71. Pro hujus argumenti ſolutione eſt notandum, quòd objectum ſcientiæ poteſt eſſe, vel unum unitate ſpecifica, vel unitate generica. Objectum ſcientiæ, quod eſt ſpecificè unum eſt medium demonſtrandi per ſe, & primario omnes veritates ſcibiles de ipſo in tali ſcientia, & talis ſcientia una unitate ſpecifica appellatur. Si verò objectum ſcientiæ eſt unum unitate generica attributionis, ſolùm ejus definitio erit medium proximum demonſtrandi, quæ tanquàm paſſiones dimanant ab ipſo, & medium potentiale, & remotum ad demonſtranda alia quæ ſolùm mediatè ipſi tribuuntur, & cum objectum Phyſicæ, quod eſt corpus naturale ſit unum unitate generica ſolum, & ad ipſum mediatè una, immediatè altera tribuantur; hinc eſt, quòd ejus definitio ſolùm ſit medium proximum reſpectu aliquorum, eorum videlicet, quæ ab ipſo immediatè dimanant, & remotum reſpectu aliorum, quæ mediatè ipſi tribuuntur.

72. Ad argumentum nunc in forma reſpondeo diſtinguendo majorem: definitio objecti ſpecifici eſt medium demonſtrandi paſſiones de tali objecto, concedo majorem: definitio objecti, quod eſt unum genere eſt medium demonſtrandi paſſiones, & proprietates, quæ in tali ſcientia demonſtrantur, iterum ſubdiſtinguo, eſt medium proximum, vel remotum, concedo majorem; eſt medium proximum, nego. Et ad probationem minoris eadem diſtinctione reſpondetur, per quod patet &c. Hæc doctrina etiam habetur expreſſè ab Scoto 6. Metaph. q. 1. n. 8. §. inter dictas ergo. ubi ait: *duplex poteſt poni habitus, unus proprius, qui formaliter inclinat ad ſpeculationem ejus (ſcilicèt objecti) tanquam naturalis ſimilitudo ex ejus conſideratione derelicta: alius communis, qui virtualiter inclinat ad ſpeculationem ejus inclinando formaliter ad ſpeculationem alterius in quo tale completum virtualiter continetur.* Et in fine §. ſequentis, n. 9. poſtquàm latè explicat dicta, concludit: *Et iſta unitas minima poteſt dici unitas generis remoti, ſed ſcientiæ omnes formaliter in illa virtualiter contentæ ſunt tantùm unà genere remoto.* Argumenta omnia, quæ contra hanc noſtram concluſionem poſſunt efformari, vel ad iſta reducuntur, vel ad aliquod ex dictis, & ſic ſi dicta bene conſiderentur, facilis erit ſolutio.

QUÆSTIO SECUNDA,

De habitu Physicæ secundùm se considerato.

POstquam de objecto Physicæ egimus, ut media cognitione specificativi in notitiam specificati deveniamus, restat nunc de eis, quæ ad qualitatem Philosophiæ, spectant agere. Quapropter sit

ARTICULUS PRIMUS,

Utrum Philosophia naturalis sit scientia.

73. AD quæsitum respondeo affirmativè cum communi Philosophorum placito: Ita Aristoteles 2. Metaph. cap. 3. tex. 3, & lib. 4. cap. 5. textu 23. & 1. de partibus animalium. cap. 1. & expressa est Doctoris Nost. subt. ipse enim lib. 6. Metaph. q. 1. n. 10. ait, quod scientia adæquatè dividitur in Metaphysicam, Physicam, & Mathematicam, his verbis: *His visis; ad quæstionem dicendum est, quòd scientia speculativa cum triplici determinatione prædicta, sufficienter ab Aristotele dividitur*, &c.

74. Et probatur nostra conclusio ratione: *scientia est cognitio evidens rei per causas.* Sic Arist. 1. poster. cap. 2. sed Physica est evidens rerum naturalium cognitio per suas causas: Ergo est scientia. Major est evidens; minor probatur; quia Physica demonstrat per demonstrationem evidentem corpora substantialia moveri, quia habent naturam, quæ est Physicum principium, & causam motus; corpus quantum similiter esse divisibile, quia continuum; corpus mixtum corruptibile esse, quia constat ex contrariis; & alia; ergo est vera scientia.

75. Sed contra hanc nostram conclusionem potest sic argumentari ex antiquissimis Heraclito, & Cratilo oppositam sententiam tenentis: scientia ut habetur à Philosopho 1. Metaph. & 4. est de necessariis, & eodem modo semper se habentibus; sed Philosophia est de corruptibilibus, & mutationi accidentali subjectis: Ergo non est scientia.

76. Respondeo concedendo majorem, & distinguendo minorem: Philosophia agit de corruptibilibus, quoad essentiam, nego minorem; quoad existentiam concedo minorem. Itaque etiam si corpus naturale sit insingulari, & quoad existentiam corruptibile; tamen quoad ejus essentiam, & in universali quid incorruptibile est, & eodem modo se habens; nam ita necessarium est corpus naturale substantiale esse corruptibile, ac Angelum incorruptibilem esse; & cum omnis scientia agat de suo objecto in universali sub ratione necessaria, quæ non potest illi non convenire, & non sub ratione singulari, in qua subjicitur mutationi, hinc est, quòd agat Philosophia de necessariis, & sit vere, & realiter scientia.

77. Secundò arguitur: omnis cognitio Philosophica incipit à sensibus: Ergo est fallibilis, & potest falso subesse: Ergo non est scientia. Respondeo, quòd hoc argumentum contra omnes scientias militat, & tamen distinguo in forma consequens: Ergo est fallibilis eo quod à sensibus dependet, nego; immò non possumus habere perfeciorem notitiam, quàm illam, quam medio experimento, & quasi occulari perceptione percipimus: quia dependet à sensibus, & sensibilibus improportionatè applicatis, &

extra

extra debitam approximationem & distantiam, iterum subdistinguo; est fallibilis ex se intrinsecè, & ex ratione sui objecti, nego: est fallibilis de per accidens, & ratione alicujus extrinseci, concedo. Prætérquàm quòd etiam si sensus exterior multotiès erret, tamen ejus error ab intellectu corrigitur, ut habet Scotus in 1. dist. 3. q. 4. n. 11. & 12.

ARTICULUS SECUNDUS,

Utrum Philosophia sit scientia practica, vel speculativa.

78. SIT nostra conclusio: Philosophia est scientia simpliciter speculativa. Hæc conclusio ab omnibus utriusque Scholæ sectatoribus sine controversia admittitur; & est expressa Aristotelis 1. Metaph. cap. 6. & 6. ejusdem. cap. 1. habeturque ab Scoto lib. 6. Metaph. q. 1. §. his visis. n. 10. in quæ quæstione quærit Scotus, ut cum divisio scientiæ realis speculativæ, quam tradit Philosophus in Physicam, Mathematica & divinam, seu Metaphysicam sit sufficiens. & dicto §. ait: *dicendum est quòd scientia speculativa sufficienter ab Aristotele dividitur, & hoc primaria divisione.*

79. Et probatur ratione ipsius Scoti, quæ habitur ibidem sub n. 9. §. secundo. *Scientia speculativa strictè sumpto est illa, quæ ex natura sui, & subjecti ordinatur tanquam ad scire tantùm, non autem ad scire, directivum in aliqua operatione, quæ non est essendialiter speculatio*, sed Physica ex natura sui & objecti ordinatur tanquàm ad finem ad scire, & contemplare naturam corporis naturalis substantialis, & ejus investigare proprietates, & non ad scire direcendivum, seu ad dirigendos actus alterius potentiæ à speculativa, seu intellectu: ergo Physica est scientia strictè speculativa. Major ab omnibus est admisso; minor ex sepatet cum ad nullos actus dirigendos Physica transeat, sed solùm in sui objecti contemplatione sistat: ergo &c.

80. Sed contra insurges: Physica non sistit præcise in contemplanda natura sui objecti, neque ordinatur, tanquàm ad finem ad scire: ergo non est speculativa strictè. Probo antecedens, nam consequentia ex se patet: Physica quatenus agit de primo modo re excitat, & allicit voluntatem ad sui amorem: ergo transit ad directionem actuum alterius potentiæ ab intellectu, & non ordinatur de per se ad scire, tanquam ad finem: ergo non est speculativa saltem quo ad istam Physico partem.

81. Respondeo negando antecedens, & ad ejus probationem distinguo antecedens: alicit, & excitat voluntatem ad amorem Dei, quatenus agit de ipso, ut primo modo re, de perse, & ex Physicæ instituto, nego antecedens: nam etiam si non alliceretur & excitaretur voluntas ad ipsum amandum, perfectam haberet de ipso Physicam notitiam, quatenus est primus motor: exercitat, ext allicit voluntatem ad amorem Dei de per accidens, & extra Physicæ institutum, quatenus percipit universi pulchritudinem, concedo antecedens: etiam scientia non denominetur speculativa, vel practica ab illo, quod accidentaliter, & præter intentum evenit, sed à fine seu objecto, hinc est quod &c.

82. Secundò arguitur: medicina est practica scientia; sed est pars Physicæ: ergo

ſaltèm quoad iſtam partem Phyſica non erit ſpeculativa. Reſpondeo negando minorem, majori omiſſa. Nam Ariſtoteles iſtas ſcientias genericas appellavit lib. de ſenſu, & ſenſibili addens, quòd ubi incipit Medicus deſinit Phyſicus; quia utraque circa corpus naturale verſatur; ſed medicina circa corpus ſanabile; & Phyſica circa corpus prout naturale, & prout eſt principium motus & quietis. Unde patet ad argumentum &c.

ARTICULUS TERTIUS,

Utrum Phyſica ſit una unitate numerica, ſpecifica, ſeu generica.

38. PRO elucidatione quæſiti eſt primò notandum ex Scoto 6. Metaphyſicæ, q. 1. n. 2. §. hic primo; quòd *ſcientia eſt habitus cognoſcitivus concluſionis demonſtrationis*, ſeu ut clarius loquar, eſt habitus cognoſcitus per demonſtrationem acquiſitus. Ex quo deducitur, quod ſi demonſtratio, per quem habitus ſcientiæ acquiratur eſt diſtincto numero vel ſpecie ab alio demonſtratione in ipſa ſcientia, quòd etiam illa ſcientia ab iſta alia demonſtratione genita erit ſpecie diſtincta. Ita Scotus in 1. diſt. 3. q. 7. ſub n. 41. §. cum arguit ubi ait, quod habitus generati ab actibus ſpecie diverſis ſunt etiam ſpecificè diſtincti. & q. 3. prologi q. 2. laterali n. 5. & in 3. diſt. 36. articulo. 2. §. quantum ad iſtum.

84. Secundo eſt notandum, quòd bene poteſt dari in Phyſica, ſicut & in aliis ſcientiis demonſtratio de aliqua paſſione, ſive proprietate objecti, quin detur de alia; & poteſt ſimiliter dari ſcientia de aliquo objecto partiali, ſuppoſita ignorantia de aliqua objecti propritate. Ut optimè probat Scotus q. citata ex Metaph. ſub n. 4. §. item 2. & n. 5.

85. Tertiò eſt notandum, quòd ſcientia ſumit ſuam unitatem à ſuo ſpecificativo objecto; ita que ſi objectum, quod ſpecificat ſcientiam eſt utrum genericum in ratione ſcibilis, etiam ſcientia erit una unitate generica; & ſi objectum eſt unum in ſpecie, etiam ſcientia erit ſpecificè una.

86. Quartò nota, quòd ſi objecta partialia alicujus ſcientiæ in tantum conſiderantur à ſcientia, inquantum attribuuntur ad aliquod objectum magis principale, vel ad aliquod reſpectu, cujus ſunt paſſiones, vel proprietates, & ideo illud tale dicitur objectum adæquatum, & attributionis ſcientiæ: ita ſimiliter omnes habitus ab iſtis objectis partialibus geniti dicunt unitatem attributionis ad illum habitum, qui per ſe, & immediatè generatur à tali objecto, ad quod cætera alia attribuuntur, & omnes illi habitus dicuntur una ſcientia, & erit talis ſcientia una unitate attributionis.

87. Ex quibus deducitur corollarium, quòd illa ſcientia erit una unitate ſpecifica, quæ eſt genita à pluribus demonſtrationibus ſolùm numero diſtinctis ſub eadem ratione formali contentis; & illa erit una unitate generica cujus demonſtrationes, per quas acquiritur, continentur, ſive tendunt ad naturam objecti generici demonſtrandi, quod dividitur per differentias ſolùm ſpecificè diſtinctas immediate; & illa erit una genere remoto, in qua demonſtrationes quæ quæ inveniuntur genericè ſunt diſtinctæ, & tamen propter aliquam ordinationem, ſive attri-

attributionem ad unum, dicuntur una ſcientia genere remoto.

88. His præjactis ſit prima concluſio: Phyſica non eſt una unitate numerica, ſive ſimplex qualitas, ſed ex pluribus habitibus aggregata. Hæc concluſio habetur expreſſè ab Scoto n. 4. & 5. ex q. in Metaph. cit. & ex 2. & 3. concluſione ejus veritas clarè fiet.

89. Sit ſecunda concluſio: Phyſica non eſt una unitate ſpecifica; & probatur: illa ſcientia eſt una unitate ſpecifica, quæ acquiritur per demonſtrationes ejuſdem ſpeciei; ſed demonſtrationes, quæ dantur in Phyſica non ſunt omnes ejuſdem ſpeciei, quia poteſt dari demonſtratio de mobilitate corporis naturalis cum ignorantia de ejus corruptibilitate: Ergo non eſt una in ſpecie: patet conſequentia; quia de eadem re evidenter cognita nequit dari ſimul ſcientia, & ignorantia: Ergo habitus diſtinctus eſt in ſpecie illo medio quo dicitur Phyloſophus ſciens unam veritatem, & ignorans aliam.

90. Sit tertia concluſio: Phyſica non eſt una unitate generica proxima. Hæc probatur: objectum Phyſicæ, quod eſt corpus naturale ſubſtantiale non eſt unum genere proximo reſpectu omnium ſcibilium, ſeu quæ tractantur in Phyſica: Ergo ipſa non eſt una genere proximo. Probo antecedens; quia corpus naturale ſubſtantiale non eſt genus reſpectu ubi, loco, vacuo, quantitatis finitæ, vel infinitæ, quæ omnia tractantur in Phyſica, tanquàm corpori naturali adiacentia, & proprietates ipſum conſequentes, quia accidens, & ſubſtantia non conveniunt in genere proximo, neque in ratione entitatis, neque in ratione ſcibilis: Ergo ſcientia, quæ de omnibus iſtis agit non eſt una genere proximo.

91. Sit quarta concluſio: Phyſica eſt una unitate genere remoto, quatenus omnia, quæ tractantur in Phyſica exſpectant ad corpus naturale ſubſtantiale, vel tanquam principia intrinſeca, vel tanquàm principia extrinſeca ipſius, vel tanquàm partes ejuſdem ſubjectivæ, ſive inferiora, vel tanquàm accidentia, quæ ad ipſum conſequuntur; ita ut Phyſica in plures alias Phyſicas partiales ſpecie, & genere diſtinctas dividatur. Hæc concluſio habetur expreſsè ab Scoto 6. Metaph. q. 1. ſub n. 12. §. 8 adiviſione, infine ubi ait; *Mathematica, ſive Phyſica, in qua tertio gradu ſtat diviſio eſt una tantum unitate generis remoti, & tertio modo, quarum utraque in plures deſcendit habentes unitatem ſecundo modo*: Ergo ex mente Scoti eſt noſtra quanta concluſio.

92. Et probatur ratione: illa, quæ ad eandem pertinent ſcientiam ſolum habent attributionem ad unum, & diverſi generis ſunt, ac eſt illud unum, ſed eodem genere remoto continentur; ſed omnia quæ tractantur in Philoſophia ad eandem pertinent ſcientiam, quatenus habent attributionem ad unum, ſcilicèt corpus naturale ſubſtantiale, & diverſi generis ſunt proximè: Ergo ſolùm ſub eodem genere remoto continentur: Ergo ſcientia, quæ agit de illis erit una genere remoto: patet conſequentia, qui qualem habet entitatem ſcibile, talem habet ſcientia: Ergo &c. Et dicta pro procemialibus Philoſophiæ ſufficiant, qui plura deſideraverit authores conſulat.

Liber Primus Physicorum.

93. Omnis quæstio unum quærit, & alterum supponit; supponit quidem rem esse de qua oritur quæstio, & quærit quæ nam sit ejus essentia, proprietas, passio, sive quodlibet aliud. Omnis similiter scientia suum objectum supponit ex eo enim quòd objectum sit causa scientiæ, & omnis causa ad suum effectum supponatur, necesse est scientiam, ut potè effectum suum objectum supponere, & de ipso quærit propriepietates in tali scientia demonstrabiles, nec non, & alia, quæ ad suum objectum exspectant. Jam igitur supposito, quòd corpus naturale substantiale complêtum sit nostræ Philosophiæ attributionis adæquatum objectum, ut in nostris proæmialibus manet pro mea tenuitate probatum, restat nunc primò,* in hoc primo Physicorum libro agere de ejus principiis, quia ut ait Phylosophus cap. 1. hujus libri: *Omnis cognitio, & scientia in omnibus disciplinis, quarum principia sunt causæ, aut elementa, ab eorum cognitione proficiscitur. Tunc enim denique aliquid nos scire existimamus, cum causas primas, primaque principia, etiam usque ad elementa cognita habemus.* Secundò de unione media qua corporis mobilis intrinseca principia uniuntur. Tertio de ipso naturali substantiali composito, quod exipiis resubstat principiis, & ut clariori ea quæ dixerimus intelligentia percipiantur librum hunc in sex dividam distinctiones, quarum aliquæ in alias subdistinctiones, si opus judicaverim, secabo. In prima de principiis in communi agemus. In secunda de materia primo, quæ est primum corporis naturalis principium, & de eis quæ ad ipsam exspectant disputabimus. In tertia de secundo principio ordine generationis, quod est privatio, erit sermo. In quarta de tertio principio quod est forma substantialis ventilabimus. In quinta de unione. In sexta denique de toto composito substantiali.

DISTINCTIO PRIMA,

In primum librum Physicorum, in qua de principiis corporis naturalis in communi disputatur

QUÆSTIO PRIMA,

De natura, & quidditate principiorum Corporis naturalis in communi.

Ut excussa caligine clariori stylo, & via procedamus, prius agemus de principio ut sic, seu ut conformius loquar de hujus nominis principii variis acceptionibus; qua propter sit

ARTICULUS PRIMUS,

Variæ principii acceptiones explicantur.

94. Ad majorem quæsiti intelligentiam; Principium ait Philosophus lib. 5. Metaph. cap. 1. tex. & comm. 1. *dicitur aliud quidem* (id est alio modo) *unde aliquid rei movebitur primum ut longitudinis, & viæ.* Itaque ut ait Scotus ibidem, illud dicitur principium, unde aliquis incipit moveri ut v.g. illud principium motus localis, unde incipit motus.

95. Secundo dicitur principium, ait Philosophus, *aliud unde utique optimè fiet unumquodque, ut doctrinæ non à primo rei*

prin-

principio aliquando inchoandum est, sed unde facilime adiscet. Itaque ait Scotus, *alio modo dicitur principium, unde oportunè fit unumquodque*; & in hac acceptione principium dicitur illud, quod quia magis notum est, per illud incipimus ad deveniendum ad cognitionem minus noti, ut patet in scientiis, ubi semper à magis notis, ad minus nota procedimus.

96. Tertiò dicitur principium illud, *unde primum generatur in existente, ut navis sedile, & domus fundamentum & animalium alii cor, alii cerebrum*; *id est* (ait Scotus) *illa pars rei est principium generationis ex qua rei generatio inchoatur*, seu quod idem est, quæ primo generatur, in qua acceptione sedile, sive charina dicitur principium navis, quia est quasi fundamentum navis, super quod omnia alia construuntur, & eriguntur; fundamentum dicitur principium domus, & cor, sive cerebrum pro diversitate opinantum dicitur principium generationis animalis, eo quod sit primum, quod in ipso fit.

97. Quartò dicitur principium, unde motus natus est initiari primum, ut puer ex patre & matre & in hac acceptione pater dicitur principium pueri, eo quod sit à quo est puer, & similiter mater; artifex dicitur artificati principium, & urbium magnates, & proceres dicuntur principia motus seditionis civitatis, qui ad eorum motum cæteri moventur; sed tale principium est eatrinsecum.

98. Quintò dicitur principium, quod est causa cujuscunque rei, maximè in genere efficientis, in quo sensu Deus dicitur omnium rerum principium. Omnes enim causæ sunt quædam principia; ait Philosophus.

99. Sextò dicitur principium unius cujusque rei primum; ut *b*. v. g. dicitur principium dictionis *baralipton*, *a* dictionis *alpha*, punctum principium lineæ, & feria secunda hebdomadæ principium, & sic de aliis.

100. Ulterius principium aliud est cognitionis, aliud est principium rei; principium rei aliud incomplexum, & aliud complexum; incomplexum est, quod immediatè movet intellectum, & sui cognitionem producit: complexum licèt immediatè sui cognitionem causare (de quo non disputo modò) est illud, quod media sui cognitione ducit in cognitionem alterius, vel virtualiter in ipso contenti, vel formaliter, vel cum quo habet connexionem, ut præmissæ respectu conclusionis, & fumus respectu ignis potest etiam dici principium cognitionis ignis.

101. Principium rei est illud, unde res incipit, vel fit, vel est, & est duplex privativum, ut privatio respectu compositi, & positivum, ut materia, & forma respectu compositi. Positivum principium adhuc est duplex, & extrinsecum rei, ut efficiens, & causa finalis, & intrinsecum, ut forma, & materia, & dicuntur intrinseca, quia manent intra principiatum. Principium intrinsecum, quod manet intra principiatum est duplex, vel principium causans, ut materia, & forma, vel non causans, neque influens esse principiato, ut punctum respectu lineæ, & instans respectu temporis.

102. Rursus principium intrinsecum causans est duplex, vel causans Physicè, ut materia, & forma, quæ intrinsecè Physicè causant

causant compositum; vel Metaphysicè causans, ut genus, & differentia, quæ impropriè, & translativè dicuntur causare, & principiare constitutum, ut animal, & rationale respectu hominis.

103. Has omnes acceptiones tradit Philosophus loco citato, quas omnes in hac communi ratione, quasi definiendo naturam principiis, ut sic, his verbis comprehendit: *Omnium igitur principiorum commune est primum esse, unde aut est, aut fit, aut cognoscitur.* Omne igitur principium in ratione talis debet habere hoc, quod est esse prius suo principiato aliqua prioritate; quodlicèt evidens sit probatur, quia principiatum est à principio; sed quod est ab alio est ipso posterius aliqua posterioritate: Ergo principium debet esse suo principiato prius. Probatur minor, quia principium ut tale terminat dependentiam sui principiati; sed quod terminat dependentiam alterius est prius in illa lineæ: Ergo &c.

104. Secundò, omni principio est commune esse primum, unde aut est, aut fit, aut cognoscitur; ubi notanda est illa particula *unde*, per quam denotatur, quòd principium debet esse, à quo principiatum, aut fit, aut est, aut cognoscitur; id est, debet habere aliquam connexionem cum principiato, seu ordinem, ratione cujus principiatum dicatur principiari à tali principio, & quale fuerit principium, talis erit connexio, & ordo inter ipsum, & principiatum.

105. Ex quo infertur, quòd licèt omne principium sit suo principiato prius, non tamen omne quod est prius est principium, quia Petrus senex est prior Paulo juvene, & non ideò dicitur ejus principium, sed requiritur ultra, quod sit unde Paulus incipit esse, vel extrinsecè ut agens, vel in alio exemplo intrinsecè, ut materia, & forma, vel si est principium cognitionis, ut præmissæ respectu demonstrationis.

106. His præmissis de acceptionibus principii ut sic, nunc restat agere in particulari de principiis in particulari corporis naturalis, & quia hæc sunt in duplici differentia, alia positiva alia privativa, prius de principio ut sic agemus, & postea de quolibet in particulari. Quapropter sit.

ARTICULUS SECUNDUS,

Aliquæ sententiæ circa naturam, & quidditatem principiorum referuntur, & simul refelluntur.

107. ALiqui ex Thomistis sic principia corporis definiunt, ex Divo Thoma prima parte. q. 33. art. 1. dicentis, verba sunt Divi Thomæ; *principium est omne id, à quo aliquid procedit quocunque modo.* Sed hæc definitio sic impugnatur; effectus aliquomodo procedit à causa finali, & tamen causa finalis non est principium effectus: ergo non omne id est principium, à quo aliquid procedit quocunque modo. Major est certa, & minor probatur; *quia omnium principiorum* (ut ait Philosophus, *commune est esse primum*; sed finis ex sua natura est posterius: ergo causa finalis nequit esse principium; & est argumentum, quod adducit Scotus lib. 5. Metaph. q. 1. n. 1.

108. Insuper impugnatur, quia hæc definitio comprehendit non solum materiam, formam, & privationem, sed etiam omnia

omnia genera causarum, & quascunque conditiones ad fieri compositi, sive effectus requisitas, & sic est nimis lata, & ut talis rejicitur, quia hic solùm de principiis corporis naturalis inquirimus, & hic de omni principio agit Sanctus.

109. Alii sic principium definiunt ex Cicerone 3. ex Tusculano. *Principii nulla est origo, nam ex principio oriuntur omnia, ipsum autem ex re nulla alia nasci potest.* Cui concordat Philosophus, qui lib. 5. de generatione animalium, cap. 6. ait: *De ratione principii* (supple esse) *ut ipsum quidem causa sit multorum, sed ipsius nulla sit superior causa.*

110. Sed has etiam definitiones sicut & præcedentem rejicimus, quia non minus communiter, & in universali de principiis loquuntur, & hic inquirimus de principiis in particulari corporis naturalis substantialis.

111. Alii communiter, tam ex D. Thomæ schola, quàm ex D. Subt. assecla, sic ex Philosopho 1. Physicor. cap. 5. textu 142. principia corporis naturalis definiunt. *Principia sunt, quæ neque ex se neque ex aliis, sed omnia ex ipsis sunt.* Alii sic: *principia sunt, quæ neque ex se neque ex aliis, neque ex alterutris, sed omnia ex ipsis sunt.*

112. Sed hanc etiam definitionem, quamvis à ferè omnibus sit accepta, sic impugno. Definitio cujuscunque rei ita debet esse propria definito, quod illi soli conveniat, & non alteri; sed prædicta definitio competit aliis principiis, quæ corporis naturalis principia non sunt: ergo in hac definitione non definiuntur principia corporis naturalis, nec illis ut propria est adaptanda.

113. Major est per se nota, una enim ex regulis bonæ definitionis est, quòd definitio conveniat omni definito, & aliis ab ipso non; unde si definitio hominis aliis ab homine posset adaptari non esset propria hominis definitio, minor vero in qua est difficultas probatur ex verbis ipsius Philosophi textu 42. cit. ubi ait: *illa sunt prima principia, quæ non fiunt ex aliis.* Ex quibus verbis sic formo discursum: omne primum principium cujuscunque ordinis, vel Physicum, vel Metaphysicum, vel Mathematicum habet hoc commune, quòd in ea ratione, & linea, qua est principium non habet aliud principium, ex quo fiat.

114. Nam ut optimè probat Scotus in primo lib. Physic. q. 17. n. 7. *ex quo sunt prima principia non fiunt ex aliis, nam illa alia potius dicerentur prima principia.* Verba sunt Scoti §. & hoc secundo rationabiliter; neque fiunt ex alterutris, *nam illud principium, quod fieret ex alio non esset principium maximè primum, sed jam esset principiatum:* Ergo primum principium, sub ratione, qua tale est, & in illa consideratione, qua est primum principium, habet hoc, quod est esse non ex alio, neque ex alterutris, sed omnia principiata in illa linea esse à principiis primis ejusdem lineæ dependentia, & ex ipsis fieri: Ergo hæc definitio principiorum non ita est propria corporis naturalis principiis, ut illis, & non aliis possit adaptari: Ergo per hanc definitionem omni principio communem, non benè propriè principia corporis naturalis definiuntur.

115. Et quòd Philosophus loquatur de omni principio in communi patet ex ipso Scoto, qui loco citato ait: *quod omnia fiunt*

ex ipsis; patet, quia aliter non essent prima principia, & communia omnium: Ergo de illis principiis, ex quibus omnia principiata fiunt agit ibi Philosophus: Ergo non de principiis in particulari.

116. Præterea quod Philosophus, ut intuenti patebit, & bene notavit noster Franciscus Pitigianus in annotatione ad textum Philosophi, & Scoti q. 17. cit. n. 13. *quando dixit illa sunt principia prima, quæ non fiunt ex aliis* &c. non definit prima principia, sed assumit illud medium ad probandum, quòd aliqua prima principia sunt contraria, quod est intentio Philosophi; quod probat Philosophus hac ratione, licèt ab ipso non expresè adducta: quæcunque neque ex se, neque ex aliis, sed ex ipsis omnia fiunt sunt principia, sed prima contraria neque fiunt ex aliis, neque ex sese, sed omnia ex ipsis fiunt: Ergo prima contraria sunt prima principia: Ergo intentio Philosophi solùm est probare, quòd prima contraria sunt prima principia, non autem definitionem principiorum corporis naturalis assignare.

117. Insuper quòd Philosophus lib. 5. Metaph. cap. 1. ubi latè de principiis egit nullam definitionem pro principio ut sic, nec pro tali principio assignavit: Ergo falsum est dicere, quòd Philosophus aliquando talia principia corporis naturalis definivit, quia interrogabo ubi talem definitionem apposuit? Antecedens probatur ex nostro Scoto, qui in conclusionibus ex 5. Metaph. ait, quia in hoc libro procedit (supple Philosophus) non concludendo, sed potius distinguendo, ideo conclusiones ejus assignare non possumus: Ergo Philosophus ibi non concludit aliquam conclusionem de principiis, sed potius distinguit de modis, quibus aliquod potest dici principium.

118. Sed vel definitio tradita habeatur expresè à Philosopho tradita pro principiis corporis naturalis, quod nullus probabit, vel ex ejus doctrina, & verbis colligatur, quod aliqui rationibus fortè prædictis convincti confitentur, sic contra illam insurgo, & in primis suppono, quòd prædicta definitio, ut ipsi ajunt, convenit materiæ, & formæ, & privationi, quæ sunt tria principia corporis naturalis, quæ à Philosopho, & ferè ab omnibus assignantur; & arguo sic: materia, forma, & privatio sunt æquivoca: Ergo non potest illis aliqua una definitio convenire; patet consequentia, quia quibus non convenit idem prædicatum commune, & idem differentiale non potest eadem adaptari definitio; sed materiæ, formæ, & privationi non competit idem prædicatum commune, & idem differentiale: Ergo eadem definitio nequit illis convenire: de forma, & privatione ex se patet, quia enti positivo, & privativo non datur ratio univoca; de materia, & forma non modò contendo, infra suo loco dicemus.

119. Præterea, privationi non convenit, quòd principiatum naturale, scilicet corpus sit ex ipsa: ergo privatio non est corporis naturalis principium. Probatur antecedens; quia compositum non est ex privatione compositum, sed ex actu, & potentia. Si dicant quòd privatio est principium extrinsecum, & sic est extra compositum, licet possem contra ipsos contendere, quòd principiis extrinsecis, & intrinsecis nequit eadem definitio convenire, hac via omissa, sic contra illos insurgo: ergo hac

hac definitione definitur non ſolum principium intrinſecum corporis naturalis, ſed etiam extrinſecum; tunc ſic; ſed principia extrinſeca corporis naturalis non ſolùm eſt privatio, ſed etiam cauſa efficiens, & finalis: ergo hac etiam definitione debent comprehendi, & ſi iſta non quia principia extrinſeca ſunt, quare comprehenditur privatio; cum etiam privatio extrinſecum principium ſit? ergo &c.

120. Huic noſtræ, vel ſimili objectioni Patres Combricenſes reſpondent 1. Phyſicor. cap. 5. q. 1. quòd cauſa efficiens, & finalis, excluduntur à ratione principii per illam particulam *ex* in definitione principiorum poſitam, dum ait ex ipſis omnia fiunt, quia effectus non dicitur, quòd fit ex efficienti, ſed ab efficienti, nec ſimiliter dicitur, quòd fit ex fine, ſed quod fit propter finem; & ſic ex vi definitionis principiorum ſolum includitur materia, & forma ex quibus propriè dicitur compoſitum fieri, tanquàm ex partibus componentibus, & privatio tanquam ex termino à quo, & aliæ cauſæ excluduntur.

121. Sed ex ipſorum ſolutione ſic contra illos inſurgo; quia etiam effectus ſeu compoſitum non dicitur, quòd fit ex termino à *quo* tanquam ex quo compoſitum componitur, ſed ex termino à *quo*, tanquàm terminus à *quo* incipit generatio compoſiti: ergo à ſimili cauſa efficiens non dicitur principium, tanquàm ex quo compoſitum componitur, ſed tanquàm à quo accipit eſſe compoſitum, & ſimiliter cauſa finalis non dicetur principium, ex quo compoſitum fit, ſed tanquàm finis propter quem fit: qua ergo ratione cum compoſitum ex privatione non componatur, non excluditur privatio ex vi illius particulæ *ex*, & excluditur efficiens, & finalis, cum prædicta particula *ex* non magis propriè poſſit privationi adaptari, quàm cauſæ efficienti, & finali. Dicant & quod dixerint contra illos retorqueam.

122. Præterquàm quòd ex vi talis particulæ *ex* non excluditur cauſa efficiens, licèt poſſint contendere, quòd finalis excludatur; quod probo ex Euangelio Joannis cap. 8. n. 42. Chriſto dicente: *Qui ex Deo eſt verba Dei audit*; ubi non poteſt intelligi, quòd Chriſtus dicat, quòd qui ex Deo eſt compoſitus, tanquam ex materia, & forma, vel tanquam terminus à *quo* generationis, vel creationis, verba Dei audit, cum repugnet Deo ſimpliciter eſſe materiam, formam, ſeu privationem reſpectu alicujus hominis, nec debemus aſſerere, quòd Chriſtus verba ſibi repugnatia, & manifeſtam contradictionem involventia loquatur; ſed ſic debet intelligi ut videre eſt in Gloſſa; & expoſitoribus ſacris videre licet, quòd qui ex Deo eſt, vel prædeſtinatus, vel ordinatus ad ipſum, tanquàm ad finem, vel ex Deo, id eſt, eſt filius Dei per gratiam, & ab ipſo adoptatus ad ejus hæreditatem. Idem poteſtis probare ex verbis Chriſti ſequentibus n. 44. ubi ait: *vos ex Patre diabolo eſtis*: id eſt affecti à diabolo qui vos in peccatum compellit: Ergo Patri, qui eſt efficiens poteſt, cum proprietate adaptari particula *ex*, cum dicat Chriſtus *ex Patre diabolo eſtis*.

123. Ut igitur magis eorum inconſequentia in ſua doctrina omnibus patefiat do, quamvìs non concedo, quòd in prædicta defini-

definitione solùm includatur materia, & forma tanquàm partes essentiales, ex quibus coalescit compositum, & privatio, tanquàm terminus, à quo ejusdem, ex vi illius particulæ *ex*. Huic argumento quidam respondebunt; unum principium non fit ex alio, ut patet ex definitione tradita, dum ait quòd principia sunt, quæ neque ex se, neque ex alterutris &c.; sed forma fit ex privatione: Ergo forma non est principium.

124. Respondebunt profectò, ut aliqui, quos vidi, respondent, concedendo majorem, & distinguendo minorem; forma fit ex privatione, tanquàm ex altero principio ipsam componente intrinsecè, nego; tanquàm ex termino à quo, concedo; nam terminus à quo formæ est ejus privatio.

125. Sed contra: in illa linea, in qua aliquid est principium corporis naturalis, implicat, quod sit principium alterius conprincipii ejusdem corporis; sed privatio est principium corporis naturalis, tanquàm terminus à quo: Ergo implicat, quod privatio tanquàm terminus à quo sit principium formæ, quæ est alterum conprincipium. Major patet, quia materia, eo quòd secundùm quod potentia prima est, est principium corporis naturalis, implicat, quòd sit materia prima potentia respectu alterius conprincipii; illud materialiter componens, & similiter forma: Ergo si privatio quatenus terminus à quo est principium corporis naturalis, implicat, quòd privatio, etiam tanquàm terminus à quo sit formæ principium: Ergo manifestam contradictionem in sua doctrina involvunt. Alia plura possem objicere, sed hactenus dicta sufficiant, ut ad nostram stabiliendam sententiam deveniamus.

ARTICULUS TERTIUS,

Ubi primi Articuli quæsito fit satis, & quidditas principiorum Corporis naturalis elucidatur.

126. EX tituli intelligentia dependet difficultatis intelligentia, quæ sub hoc titulo investigatur (idem dico de aliis) quapropter titulum examinare necesse est. Titulus igitur petit quænam sit quidditas, natura, & essentia principiorum ut sic corporis naturalis, hoc est, supposito, quòd plura sint corporis naturalis principia, quæ sit ratio omnibus principiis talibus accomodata, sive conveniens ratione cujus, quidquid de uno principio affirmatur, quatenus principium est, possit affirmari de alio, etiam in ratione principii, quatenus omnia principia eadem ratione gaudent.

127. Insuper notandum est, quòd quotiescunque datur aliqua definitio conveniens pluribus, necesse est, quod in illis pluribus detur aliqua ratio communis, sive aliquis conceptus objectivus abstrahibilis ab ipsis particularibus, & de ipsis in quid prædicabilis, nec non & contrahibilis per illorum plurium differentias ad esse talis, ratione cujus de ipsis illa talis definitio verificetur.

128. His præjactis dico primam conclusionẽ: si privatio ponatur corporis naturalis principiũ, non potest dari aliquis conceptus objectivus in quid prædicabilis respectu materiæ, formæ, & privationis, & sic principium ut sic Physicum prout abstrahit ab istis tribus nequit definiri. Probatur conclusio quoad primam partẽ, & ex ea deducitur secunda; quia enti positivo, & negativo nequit aliquis conceptus objectivus convenire; sed mate-

materia, & forma sunt entia positiva, & privatio est quid negativum: ergo eis aliquis conceptus communis objectivus, & de ipsis prædicabilis in quid nequit convenire.

129. Major probatur, quia omnis conceptus objectivus abstrahibilis, & prædicabilis de ente positivo essentialiter est positivus, sicut omnis conceptus abstrahibilis, & prædicabilis de ente negativo est negativus: ergo conceptus abstrahibilis ab uno est essentialiter diversus à conceptu abstrahibili ab alio: ergo non unus conceptus, sed potius plures primò diversi, & oppositi, sed ubi non est convenientia, sive identitas non est unitas: ergo &c.

130 Major probatur; quia omnis conceptus abstrahibilis, & in quid prædicabilis de ente positivo est realiter identificatus cum ipso ente positivo: ergo est positivus, quia nullum positivum identificat sibi negativum, nec è contra: ergo &c.

131. Quoad secundam partem probo conclusionem; quibus non convenit aliquis conceptus objectivus, qui sit definitus, nequit competere aliquis conceptus formalis, qui sit definitio; hujusmodi sunt materia, forma, & privatio: ergo non potest illis aliqua una definitio adaptari.

132. Dico secundam conclusionem: materiæ, formæ, & privationi, si privatio ponatur principium, (de quo infra) licèt non possit aliqua una definitio adaptari, potest tamen aliqua definitio, vel quasi definitio disjunctiva, impropria, descriptiva, sive discernitiva accommodari, qualis est hæc. *Principia sunt, quæ neq; ex aliis neq; ex se fiunt compositivè Physicè, aut tanquàm ex termino à quo, ex ipsis autem omnia Physica fiunt, vel compositivè, vel tanquam ex termino à quo.*

133. Hanc definitionem tradit Noster Franciscus Pitigianus in suis annotationibus ad textum Scoti in 1. Physic. q. 17. n. 19. §. alii alium &c. in fine, & concludit dictum §. 7. cum his verbis, *& hæc expositio est Scoti in notabili. Videatur Scotus in expositione textus Philosophi n. 8. §. notandum.* Sed quòd prædicta definitio sit impropria, & descriptiva probatur, quia nulla essentia constituitur per *vel*: ergo nulla definitio essentialis datur per *vel*, quia cum essentia rei sit determinata, & in hoc, vel illo tali esse determinato, nulla definitio, quæ sit essentialis debet dari per *vel*, sed per prædicata illius essentiæ determinata: unde potius talis definitio induit rationem divisionis, quàm definitionis.

134. Dico tertiam conclusionem: materiæ, & formæ, quæ sunt principia intrinseca corporis naturalis potest dari aliqua propria, & peculiaris definitio, & hæc est talis. *Principia intrinseca corporis naturalis substantialis sunt illa, quæ neque ex se, neque ex aliis Physicè compositivè fiunt, sed omnia Physicè composita, ex eis Physicè essentialiter componuntur, sivè constant.*

135. Prima particula prædictæ definitionis est, *quæ neque ex se, neque ex aliis,* ratio quasi generica, sive communis, per quam conveniunt principia corporis substantialis, cum aliis primis principiis, cujuscunque generis sint, omnia enim principia ex eo quod talia sint, in illa linea, & ordine, quo principia sunt, petunt non fieri ex aliis principiis ejusdem ordinis, & lineæ, quia aliàs non principia prima, sed potius principiata dicerentur. Secunda particula est

Physicè compositivè non fiunt, per quam datur intelligi, quòd licèt principia Physica possint ex aliis, tanquàm ex genere, & differentia Metaphysicè componi, non tamen possunt Physicè compositivè ex aliis componi, tanquàm ex actu, & potentia, sive tanquàm ex partibus essentialibus Physicè, & est particula differentialis, per quam principia Physica ab illis principiis, quæ Physica non sunt distinguuntur.

136. Tertia particula est: *Sed omnia Physica composita, ex eis Physicè essentialiter componuntur, sive constant.* Per quam particulam explicatur principiatum in ordine, ad quod talia definiuntur principia, quia cum principium dicat ordinem ad suum principiatum, nisi apponatur principiatum, non potest adæquatè, & completè cognosci principium.

137. Quarta particula est, *ex eis Physicè essentialiter constant, seu componuntur*; per quam excluditur pars integralis à ratione principii, quia licèt compositum substantiale ex partibus integralibus componatur, non tamen ex eis Physicè essentialiter compositum substantiale componitur, sed solùm ex materia, & forma, quæ sunt partes essentiales compositi.

138. Hæc quartæ particulæ explicatio habetur expressè ab Scoto in 1. Physicor. q. 19. n. 3. §. quantum ad primum, ubi ait: *non intendimus per principium, quod est pars integralis, quemadmodum dicimus, quod fundamentum est principium domus, sed per principium intelligimus partem essentialem, cujusmodi est materia, & forma.*

139. Sed dices, quid sunt partes essentiales, & quæ integrales, & quod discrimen, quod inter eas versatur? Respondeo partes integrales eas esse, quarum una sublata tollitur compositi integritas, non tamen tollitur conceptus quidditativus essentialis compositi, ut v. g. si Petro manum abscindas manet Petrus quoad conceptum quidditativum essentialem Petri, non tamen manet Petrus integer, id est cum omnibus suis partibus integralibus, sed mancus. Partes verò essentiales sunt, quarum una sublata, non manet conceptus quidditativus compositi; ut si Petro tollas corpus, vel animam, non manet Petrus, quoad ejus quidditativum conceptum, & ex his patet discrimen.

140. Et quòd prædicta definitio sit propria, bona, & exacta probatur quoad primam partem; scilicèt quòd sit propria; illa est propria definitio alicujus, quæ competit illi & omnibus sub ipso contentis, & non aliis; sed definitio data pro principiis intrinsecis corporis naturalis sic se habet: Ergo est propria eorum definitio. Probatur etiam quoad secundam partem; quia illa est bona definitio, quæ datur per genus, & differentiam, sive per rationem communem, & rationem differentialem; hujusmodi est tradita definitio: Ergo &c.

Argumenta Contradicta.

141. ET primò arguitur contra nostram primam conclusionem: non est deviandum à consensu communi Patrum & expositorum sine magno fundamento; sed nullum est fundamentum ad non definiendam naturam principii corporis naturalis ut sic prout abstrahit à materia, & forma, & privatione: Ergo principium Physicum ut

sic

ſic prout abſtrahit ab iſtis tribus poteſt definiri; Minor probatur; quia ratio aſſignata eſt, quia nullus conceptus objectivus ut ſic poteſt abſtrahi à materia, forma, & privatione, quæ ſit definibilis, quia ſunt æquivoca, etiamſi in genere entis æquivoca ſint, in genere principii ſunt univoca: Ergo ab eis poteſt abſtrahi conceptus objectivus definibilis; hæc minor probatur, quia materia, forma, & privatio conveniunt in hoc, quod unumquodque in illa linea, & ſphæra, qua eſt primum principium non fiat ex aliis, neque ex ſe, ſed principiata illius ordinis ſint ex ipſis: Ergo in genere principii ſunt univoca, & definibilia.

142. Reſpondeo ad argumentum concedendo majorem, & negando minorem, & ad ejus probationem concedo ſimiliter majorem, ſcilicèt quòd fundamentum eſt, quia ſunt æquivoca, & nullus conceptus objectivus in quid eſt de ipſis abſtrahibilis, & prædicabilis, & nego minorem videlicèt, quòd in genere principii univoca ſint materia, forma, & privatio, nam ſi in genere entis principia ſunt materia videlicet, quatenus materia, & forma prout forma, & privatio prout privatio eſt, & in genere entis ſunt æquivoca: Ergo & in genere principii etiam ſunt æquivoca, & ſic non definibilia, æquivoca enim prius ſunt dividenda, quàm definienda. Ad probationem vero iſtius minoris, quod omnia principia conveniunt in hoc, quod non fiunt, neque ex ſe, neque ex alterutris, neque ex aliis in eodem genere, in quo principia ſunt.

143. Reſpondeo, quòd hæc ratio valde communis, ut ſupra manet dictum num. 20. & 21. quia eſt, quaſi tranſcendentalis, quæ reperitur in principiis Metaphyſicis, Mathematicis, Phyſicis poſitivis, & negativis; intrinſecis & extrinſecis, quæ ut ex ſe patet æquivoca ſunt, etiam ratione principii; de poſitivis & negativis jam viſum eſt. De Phyſicis, & Metaphyſicis ſic oſtendo; quia principium Phyſicum taliter principiat principiatum, compoſitum videlicèt Phyſicum; quòd illud Phyſicè cauſat, & ab illo realiter diſtinguitur; at vero principium Metaphyſicum taliter ſuum principiat principiatum, quòd illud eſſentialiter conſtituit Metaphyſicè, non cauſando, ſed conſtituendo, & ab illo non diſtinguitur realiter, immò realiter identificatur cum illo; & ſic iſta ratio valde communis, & æquivoca eſt, cum convenientia iſta ſit convenientia ſolum nominis, & non rei.

144. Quod patet in iſta definitione: relatio eſt ens referens unum ad aliud, in qua conveniunt relatio realis, & rationis, & nullus dixit, quòd talis definitio univoca ſit, neque quòd relatio realis, & rationis univocentur, etiam in ratione referendi, & ſimiliter dicimus, quod ens eſt, quod habet eſſe, abſtrahendo ab eſſe reali poſitivo, & negativo, & rationis, & quamvis omnia entia dicantur convenire, in hoc, quod eſt habere eſſe, tamen iſta convenientia ſolum convenientia nominis eſt, & non rei, cum in re illa omnia eſſentialiter diſtinguantur.

145. Nunc in forma reſpondeo diſtinguendo minorem: omnia principia conveniant in ratione principii, quatenus omnibus convenit non eſſe, neque fieri ex ſe, neque ex aliis &c. Eodem modo, & in eadem linea, nego: diverſo modo, & in diverſo

verso ordine, & linea, concedo, & sic nil contra nos.

146. Secundò arguitur contra secundam nostram conclusionem: nulla definitio explicat essentiam definiti per *vel* hoc, vel per illud; sed definitio à nobis assignata pro principio, prout abstrahit à materia, forma, & privatione datur per *vel*: ergo non explicat essentiam principii ut sic, quod est definitum. Major probatur; nulla essentia datur, quæ non sit determinata, sive quæ consistat in hoc, vel illo: ergo nulla definitio explicat essentiam definiti, per *vel*, sive per hoc, vel per illud: ergo definitio data est mala definitio.

147. Respondeo distinguendo majorem, nulla definitio explicat essentiam definiti per *vel*, si definitio est rigorosa, & perfecta; concedo majorem: si definitio sit impropria descriptiva, nego majorem; per quod patet ad argumentum. Nam cum definitio tradita (ut dictum est) sit impropria, disjunctiva, & descriptiva, magis quàm quidditativa; inde fit, quod argumentum non concludat contra nos. Sed contra dices: implicat, quòd sit definitio, & non sit quidditativa: ergo ruit solutio: probatur antecedens; quia definitio est modus sciendi explicans essentiam rei; sed definitio explicans essentiam rei est quidditativa: ergo implicat, quòd sit definitio, & non sit quidditativa.

148. Respondeo negando antecedens, & ad ejus probationem concedo majorem, & distinguo minorem: definitio explicans essentiam rei per partes essentiales est quidditativa, concedo: definitio explicans essentiam rei per passiones, & proprietates extrinsecas, vel intrinsecas, quæ dicitur per additamentum, est quidditativa, nego; quia talis definitio, quæ explicat quidditatem per proprietates, potius explicat proprietates, quàm essentiam, & sic nihil contra nos, qui explicamus essentiam termini ut sic, per proprietatem in ordine ad principia.

149. Tertiò arguitur contra nostram tertiam conclusionem, & primò contra rationem genericam definitionis traditæ pro principiis: principium ut tale petit, quòd non sit ex aliis; sed materia, & forma sunt ex aliis: ergo non sunt principia corporis naturalis; major ex definitione constat, minor probatur; quia materia, & forma sunt ex genere & differentia: ergo sunt ex aliis; patet consequentia; quia genus, & differentia alia sunt: ergo &c.

150. Respondeo distinguendo majorem: principium, ut tale petit, quòd non sit ex aliis, in eodem ordine, & genere, quo est principium, concedo: in diverso genere, & ordine, nego. Itaque quod petit principium Physicum est, quòd non sit alio principio Physico, non verò quòd non sit ex aliis Metaphysicè. Et sic concedo, quòd sunt ex genere, & differentia, nego tamen, quòd non sint propter hoc principia Physica.

151. Quartò arguitur; & est quasi replica præcedentis solutionis. In eo ordine, & linea, qua aliquid est principium, implicat fieri ex aliis ejusdem ordinis, & lineæ: ergo illa, quæ sunt Physicè principia, implicat fieri, sive componi ex aliis Physicè. Imo sic; sed materia, & forma fiunt, & componuntur Physicè ex aliis: ergo materia, & forma non possunt esse Physicè principia.

cipia. Probatur minor; materia, & forma fiunt, & componuntur ex partibus integralibus substantialibus, sive entitativis Physicè: Ergo Physicè fiunt, & componuntur ex aliis. Antecedens probatur; quia unumquodque componitur ex eis, in quæ resolvitur, ut habetur ab Scoto 1. Physicor. q. 19. n. 8. §. manifestum igitur, in expositione textus Philosophi; sed si resolveretur forma, vel materia, utique resolveretur in partes integrales: Ergo ex eis Physicè componuntur: Ergo &c.

152. Respondeo concedendo antecedens, & similiter consequentiam, & negando minorem syllogismi; & ad ejus probationem, scilicèt quòd materia, & forma Physicè fiunt, & componuntur ex partibus integralibus, sive entitativis, respondeo dupliciter: primò distinguendo antecedens; fiunt ex partibus integralibus, tanquàm ex partibus essentialibus Physicis, nego: tanquàm ex partibus earum naturam integrantibus, concedo; & ideo ponimus in definitione, quòd compositum componitur ex eis essentialiter, tanquàm ex actu, & potentia, quæ sunt partes essentiales Physicæ compositi, & in ista linea non fiunt materia, & forma ex partibus integralibus, tanquàm ex partibus Physicis essentialibus, quæ sunt actus, & potentia, sed tanquàm ex partibus integrantibus earum naturas, & sic ista compositio est alterius ordinis, & lineæ. Hæc solutio expressis verbis adhibetur ab Scoto simili argumento in 1. Physicor. cit. q. 19. sub n. 12. §. ad nonam, ubi ait: *dico, quod non loquimur de principiis, quæ sunt partes integrales; sed de principiis, quæ sunt partes essentiales.*

153. Secundo respondeo negando, quòd materia; & forma Physicè componantur ex partibus integralibus, quia Physica compositio rigorosè sumpta non datur, nisi ubi partes componentes se habent ad modum actus & potentiæ Physicè; & cum partes integrales non se habeant una per modum actus, & altera per modum potentiæ; sed sint partes ejusdem rationis; inde fit, quòd non dicantur Physicè componere totum, quod adintegrant. Ad authoritatem Philosophi, quæ etiam est Scoti, *quòd unumquodque componitur ex eis, in quæ resolvitur*; verum est, sed nego, quod quando resolvitur forma, sive materia resolvatur in partes integrales, immò desinit esse, & transiit in nihilum, vel in privationem, tanquàm in terminum oppositum; nam licèt posset quandoquè dividi materia, & forma in partes integrales, manentibus etiam partibus integralibus compositi, hoc eis evenit per accidens ratione divisionis quantitatis, quæ est quæ primò dividitur, & ratione sui partes substantiales dividuntur. Utraque habet patronum Scotum, eligite, quam volueritis.

154. Quintò arguitur: unum principium non potest fieri ex alio; sed forma fit ex materia: Ergo forma saltem non est dicenda principium. Major ex definitione constat; minor probatur, quia quælibet forma substantialis corporea educitur de potentia materiæ; sed educi de materia est fieri

ex

ex ipsa, & ab ipsa dependentèr: Ergo &c.

155. Ad responsionem hujus argumenti est primò notandum ex Scoto in 1. Physicor. q. 17. sub n. 8. §. notandum, quòd multipliciter potest unum fieri ex alio, *primò tanquàm ex subjecto* (verba sunt Scoti) & sic dicimus, quòd forma fit ex materia; alio modo tanquàm ex termino à *quo*, & sic dicimus, quòd ex nocte fit dies; tettio modo, tanquam ex parte integrante, & sic dicimus quòd homo fit ex capite, manibus, & pedibus; & domus ex lateribus, & lignis; quartò tanquàm ex partibus essentialibus quales sunt actus, & potentia.

156. Nunc respondeo ad argumentum: forma fit ex materia, tanquàm ex parte essentiali, sive integrante, nego; nam ut ait Scotus, *unum principium non integrat reliquum*; fit ex materia, tanquàm ex subjecto, concedo; & hoc non excluditur à ratione principii, sed solùm quòd in illa linea, qua est principium non supponat aliud, à quo fiat in eodem genere principiandi; v. g. materia non supponat aliam materiam, ex qua fiat tanquàm ex potentia prima; actus non supponat alium actum, à quo fiat in genere actus; & privatio aliam privationem, à qua, sive ex qua fiat, tanquàm ex termino, à quo. Per quod patet ad aliud argumentum, quod fit in hunc modum, & fit.

157. Sextò arguitur: forma fit ex privatione, seu à privatione: ergo unum principium fit ex alio, quod est contra rationem principii. Respondeo distinguendo antecedens, forma fit ex privatione Physicè compositivè, nego: fit ex privatione tanquàm ex termino à *quo*, concedo. Quod inconveniens nullum est, nam ut ait Scotus §. citato, in fine: *Omne quod fit, fit à suo contrario, tanquàm ex termino à quo*, si dicta bene considerentur facilis erit ad alia argumenta solutio.

QUÆSTIO SECUNDA,

Quotnam sint corporis naturalis principia, tam in fieri, quam in facto esse?

158. HAnc difficultatem tractat Scotus in hoc primo Physicor. q. 19. sub isto titulo, Utrum sint tria principia rerum naturalium? & non plura nec pauciora? Sed quia communiter inter Scotistas & ferè omnes Philosophos loquitur de principiis, prout corpus naturale consideratur in fieri, vel in facto esse, ideo illam sub titulo à nobis assignato ventilabimus; aliqua claritatis gratia prius prænotando; quapropter sit

ARTICULUS PRIMUS,

Ubi aliqua pro clariori intelligentia prænotantur.

159. PRimò præmittenda sunt verba D. S. ex q. 19. citata, ut status difficultatis aperiatur. Doctor igitur Scotus loco citato sub n. 2. §. oppositum arguitur, antequam ad difficultatem ab ipso propositam respondeat, nec ejus mentem adaperiat, ait: *In quæstione movebuntur duo dubia, primum est, utrum cujuslibet rei naturalis sint tria principia? & secundum, utrum cujuslibet transmutationis naturalis sint tria principia?*

160. Ex quibus verbis Scoti apparet, quòd non est idem quærere, quot sint corporis

poris naturalis principia, ex quibus corpus naturale principiatur, ſive conſtituitur? ac quærere, quot ſint principia tranſmutationis naturalis ſubſtantialis, hoc eſt generationis ſubſtantialis, per quam corpus naturale ſubſtantiale generatur, quia corpus naturale eſt terminus tranſmutationis ſubſtantialis, & eſſentialiter ab illa diſtinctum, & tranſmutatio ſubſtantialis, ſive naturalis eſt actio, quæ terminatur formaliter ad corpus, & ſic ſub duplici dubio de unius, & alterius principiis agitur ab Scoto.

161. Secundò eſt notandum, quantum ad primum dubium de principiis corporis naturalis, quòd hîc ſolum agimus, & inquirimus de principiis corporis naturalis, quæ ſunt partes eſſentiales ipſius, cujuſmodi eſt materia, & forma, & non de principio, quod eſt pars integralis, nec de aliis, ſed ſolùm de illis, quæ in tertia noſtra concluſione n. 41. definitum manet eſſe principia, & in hoc ſenſu primum dubium ventilatur ab Scoto, accipite ejus verba n. 3. in loco citato. Quæ talia ſunt: *quantum ad primum notandum, quòd in propoſito non intendimus per principium, principium magnitudinis &c., ſed per principium intelligimus partem eſſentialem, cujuſmodi eſt materia, & forma.*

162. Tertiò eſt notandum, quòd non eſt idem fieri compoſitum, ac compoſitum in fieri; nam fieri compoſiti eſt actio initiativa, ſive incompleta, quæ terminatur ad compoſitum in fieri, & compoſitum in fieri eſt terminus, qui terminat fieri compoſiti, ſive actionis, per quam fit compoſitum, ſicut eductio formæ eſt actio, quæ terminatur ad formam, per quam forma educitur de potentia materiæ, at vero formam educi nil aliud eſt, quàm formam terminare actionem eductivam, quæ ad ipſam educendam terminatur.

163. Quartò etiam eſt notandum ex eodem Scoto loco ſupra cit. n. 8. quod ipſe notavit quoad ſecundum dubium de principiis tranſmutationis ſubſtantialis, his verbis: *Quantum ad ſecundum eſt notandum, quòd aliquid poteſt dici dupliciter principium intrinſecum; uno modo quia eſt pars integralis, vel eſſentialis ipſius; alio modo quia eſt neceſſariò requiſitum ad cognitionem ipſius, ita ut illud aliud non poſſit cognoſci, definiri, imaginari ſine ipſo, & ſic dicimus, quòd motus eſt principium naturæ, quia ſine motu non poteſt cognoſci natura, ſaltem definitivè.* Sed hæc ſecunda principii intrinſeci acceptio eſt nimis lata, & potius poteſt dici principium intrinſecum cognitionis, quatenus per prius petit cognoſci, ad hoc ut cognoſcatur adæquatè aliud, quàm principium intrinſecum conſtitutionis, quod ſit pars eſſentialis, de quo agitur hic. His prælibatis jam ad quæſitum reſpondeam, quapropter ſit

ARTICULUS SECUNDUS,

Ubi vera mens Scoti de numero principiorum corporis naturalis tam in fieri, quàm in facto eſſe adaperitur.

164. OMiſſis Philoſophorum deliriis, qui jam unum, jam infinita, jam ignem, jam terram, & aquam, jam magnum, & parvum, jam hujuſmodi alia pro principiis corporis aſſignabant, ut apud authores poteſtis videre. Ad elucidationem mentis Scoti per ſequentes concluſiones accedam: quapropter ſit

 165. Pri-

165. Prima conclusio: principia corporis naturalis substantialis in facto esse, & in fieri, sunt tantum duo principia, materia videlicèt, & forma, & non plura, nec pauciora. Hæc conclusio expressè habetur ab Scoto q. 19. cit. sub n. 5. §. tertia conclusio, cujus hæc verba: *Cujuslibet rei naturalis, quæ composita est ex materia, & forma sunt duo principia, & non plura, nec pauciora, & loquor de compositis generabilibus, & corruptibilibus.* Quid clarius pro nostra conclusione? ergo ex mente Scoti corporis naturalis substantialis tam in fieri, quàm in facto esse duo sunt principia, & non plura, nec pauciora.

166. Sed quia Scotus, ut patet in textu, loquitur de re, quæ est composita ex materia, & forma, non determinando de fieri, vel de facto esse ipsius, ideo possunt respondere, ut de facto respondent, qui plura, quàm duo corporis in fieri assignat principia, qui sunt non pauci, & quod magis est ex Schola Scotica (immeritò quidem nisi me mea fallit Scoti intelligentia, non enim existimavi, neque in his, neque in aliis meum judicium aliorum judiciis præferendum, non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum, cui laus sit, & honor, si in nostris commentariis aliquid laude dignum dixerimus, sin verò minus, quàm oportet, majoribus nostris veniam humiliter expostulo) quòd ibi Scotus agit de corporis naturalis principiis in facto esse, non vero de corpore, seu compositi in fieri.

167. Sed contra illos sic insurgo: ideo Scotum (ajunt) loquutum de principiis corporis naturalis in facto esse, & non in fieri, quia de fieri compositi non facit expressè mentionem; sed Scotus non facit etiam mentionem de corpore in facto esse: ergo nec de illo est loquutus, cum non sit major ratio unius quàm alterius; vel si hoc non dicatur, dicatur, quòd de principiis tam in fieri, quàm in facto esse, loquutum Scotum fuisse, & fortè erit ejus menti conformius.

168. Præterea; axioma est receptum juris, quòd passim in explicandis sacris scripturis affertur à Patribus, & Theologis, quòd *ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus*; sed mens, & doctrina Scoti, est lex à nobis inviolabiliter sequenda: ergo ubi ipse non distinguit, nec nos distinguere debemus, sed non distinguit Scotus inter principia corporis in fieri, & principia corporis in facto esse, ut ipsi Scotistæ fatentur: ergo nec nos debemus distinguere.

169. Insuper Scotus loquitur in universali de principiis corporis naturalis, prout abstrahit à fieri, & à facto esse: ergo in illa universalitate intelligendus est: ergo in quocunque statu consideretur corpus naturale, duo tantum principia sunt illi adaptanda, & non plura nec pauciora.

170. Impugnatur etiam, quia fieri compositi, & factum esse ipsius sunt modi, sive status, in quibus consideratur compositum; sed modus rei, nec status ipsius variant rationem intrinsecam, & essentialem rei, cujus sunt modus, vel status: ergo nec variant principia essentialiter constitutiva ipsius: ergo eadem principia constitutiva compositi

sunt

sunt in fieri, ac in facto esse; sed principia constitutiva sunt tantùm duo in facto esse: ergo & in fieri.

171. Insuper ostendam ex verbis Scoti, quòd loquitur de corpore substantiali tam in fieri, quàm in facto esse, quod ostendo sic. Scotus ait, *quòd cujusvis rei naturalis, quæ est composita ex materia, & forma sunt duo principia, & non plura, nec pauciora*; hæc est universalis, nam signum *cujuslibet* facit universaliter distributivè supponere; & est idem, ac si diceret, omnis res composita ex materia, & forma habet duo principia, & non plura, nec pauciora; sed compositum in fieri est res naturalis composita ex materia, & forma: Ergo compositum in fieri habet tantùm duo principia, & non plura, nec pauciora; major est Scoti, & debet universaliter accipi sine distinctione; propositio enim universalis non distinguitur, sed vel conceditur, vel negatur; non est neganda propositio Scoti inter Scotistas: Ergo concedenda sine distinctione. Minor ex se patet, consequentia est legitima: Ergo &c.

172. Probatur conclusio nostra fundamentali ratione, qua eam probat Scotus, q. cit. in expositione textus Philosophi n. 8. §. hîc ostendit, & est hæc. Illa sunt principia per se rerum naturalium, ex quibus, tanquàm ex causis primis sunt, & fiunt res naturales; sed ex materia, & forma sunt, & fiunt res naturales, & non ex privatione: Ergo materia, & forma solùm sunt principia per se rerum naturalium, seu quod idem est compositi naturalis substantialis.

173. Major est definitio principiorum, minor probatur; ex illis fit, & componitur Physicè corpus naturale substantiale, à quibus habet corpus naturale substantiale, quòd sit tale; sed à forma, & materia, non verò à privatione habet corpus naturale substantiale, quòd sit tale: Ergo ex materia, & forma, & non ex privatione, neque ex alio componitur, & fit corpus naturale.

174. Et roboratur etiam ex Scoto q. cit. sub n. 5. §. secundo patet; quia illa tantùm sunt principia corporis naturalis substantialis, quæ sunt partes essentiales, essentialiter Physicè illud constituentes; sed materia, & forma præcisè ita se habent: Ergo &c. Minor probatur, nam major ex se constat, quia *homo* (ait Scotus) *v. g. componitur ex materia, & forma, & non ex aliis partibus essentialibus, & ita de aliis compositis: Ergo &c. Nec valet dicere* (addit Scotus) *quòd ibi requiritur privatio, quia producto composito desinit esse privatio.*

175. Secundò probatur conclusio, quoad illam partem, qua dicimus principia corporis in fieri esse eadem, ac in facto esse. Illa sunt principia corporis naturalis in fieri, ex quibus Physicè compositivè fit, & constat essentialiter corpus naturale in fieri; sed ex materia, & forma præcisè, & non ex privatione constat Physicè compositivè essentialiter corpus naturale in fieri: Ergo materia solùm, & forma sunt etiam principia corporis naturalis in fieri. Major est definitio tradi-

tradita principiis Physicis; minor vero probatur, ex illis fit compositum, sive corpus naturale in fieri, quæ sunt ipsius partes essentiales, & sine quibus non potest intelligi corpus naturale in fieri, sed præter materiam, & formam nullas alias partes essentiales habet compositum in fieri, & sine illis non potest intelligi, bene tamen sine privatione: Ergo &c.

176. Minor quoad ultimam partem probatur, nam si Deus concreasset materiam, & formam, daretur utique ex eis compositum in fieri, & in facto esse sine aliqua privatione, quia cum subjectum non præcederet, non daretur in ipso privatio, quia ad hanc requiritur, quòd subjectum scilicet materia præcedat privata ante adventum formæ; & quòd sit casus possibilis patet de verme, qui generatur ex corruptione eucharisticorum accidentium, ubi nulla est materia, sed concreatur à Deo simul cum forma vermis; & in opinione multorum in formatione cœlorum, & terræ, ubi nulla præfuit materia, quæ transmutaretur de privatione ad formam: Ergo &c.

177. Tertiò probatur conclusio: illa præcisè sunt corporis naturalis principia, quibus convenit definitio à Philosopho, & à nobis assignata pro principiis corporis naturalis; sed talis definitio solùm competit materiæ, & formæ, non vero privationi: Ergo solùm materia, & forma, & non privatio sunt corporis naturalis principia; Major ab omnibus admittitur; minor vero probatur; talis definitio solum competit eis de quibus affirmatur, quòd omnia Physicè composita fiant ex ipsis in eo sensu, in quo negatur, quòd fiant ipsa principia ex aliis, sive ex alterutris; sed de principiis negatur, quod fiant ex alterutris, tanquàm ex partibus essentialibus, & non quòd unum fiat ex alio, tanquàm ex termino à quo: Ergo illa sola sunt corporis naturalis principia ex quibus corpus naturale fit, etiam in fieri, tanquàm ex partibus essentialibus, & non tanquàm ex termino à *quo*; sed materia, & forma sunt ex quibus compositum fit etiam in fieri, tanquàm ex partibus essentialibus, & non ex privatione: Ergo materia, & forma solùm, & non privatio sunt corporis naturalis principia.

178. Sit secunda conclusio negativa: privatio non est principium corporis naturalis in fieri, neque in facto esse per se, sed per accidens. Probatur hæc conclusio primò authoritate Philosophi, qui 4. Metaph. ait: *Ex nihilo nihil fit*; sed privatio est nihil: Ergo privatione nihil fit: Ergo compositum in fieri non fit ex ipsa. Sed quia possunt respondere, quòd privatio etsi nihil positivum sit, est tamen aliquid negativum, & per consequens potest fieri compositum.

179. Adhuc contra illos insurgo: ex non positivis non potest fieri positivum, neque ex non ente, ens; sicut ex non substantiis, substantia; sed corpus in fieri est ens Physicum positivum & privatio est carentia ejusdem Physicè positivi: Ergo ex privatione non potest compositum fieri: Ergo &c.

180. Hæc conclusio expresè habetur ab Scoto loco citato in expositione textus Philosophi n. 9. ubi ait: *ponit Philosophus istam conclusionem, quod privatio est principium per accidens: probatur, quia illud non est*

est principium per se, quod non est numerabile inter entia (supple positiva) sed privatio non est numerabilis inter entia: Ergo privatio &c. Major patet, quia illud quod non est, non est principium per se; minor apparet, quia privatio nihil est, quatenus distinguitur à materia.

181. Dico tertiam conclusionem: sumpto composito in fieri, non pro ipso composito, quod est terminus actionis; sed pro fieri ipsius, sive transmutatione naturali, quæ est actio quæ terminatur ad ipsum, nullum est principium intrinsecum essentiale talis transmutationis; patet, quia actio ut talis non componitur Physicè ex aliquibus Physicis principiis, tanquàm ex actu, & potentia, licèt fortè eo quòd corporea sit, componatur ex partibus integralibus. Hæc conclusio etiam habetur expresè ab Scoto q. cit. sub n. 8. §. nunc ponitur prima conclusio, & concludit §. Scotus his verbis: *Ex quò sequitur, quòd nisi transmutatio capiatur pro composito, quòd materia, & forma non sunt principia transmutationis, nisi dicatur, quòd sunt principia extrinseca, & non intrinseca.*

182. Dico quartam conclusionem: sumpto composito in fieri, pro ipso fieri compositi, sive pro actione transmutativa, seu transmutatione substantiali, & sumpto principio pro principio extrinseco, ut est illud, sine quo non potest cognosci, definiri, vel imaginari transmutatio, tria sunt principia talis compositi in fieri, sive fieri compositi, sive transmutationis substantialis, quia hæc omnia idem sunt. Hæc conclusio habetur expressè ab Scoto loco cit. n. 9. §. secunda conclusio, & in expositione textus Philosophi, sub n. 9. §. hic ostendit, ubi ait: *Unde notandum, quòd principium dicitur in relatione,* (hoc est in ordine) *ad principiatum, & cum principiatum naturale* (supple dicitur) *vel ponitur compositum, vel ipsa transmutatio, si compositum, tunc solum sunt duo principia, scilicèt materia, & forma, si autem transmutatio ponitur principiatum, tunc principia naturalia sunt tria, quia ad transmutationem naturalem, requiritur materia, & forma, & non sufficit materia qualitercunque se habens, sed oportet, quòd sit privata dispositione* (hoc est tanquàm dispositione) *ad quam est mutatio*; hoc est ad hoc ut recipiat formam, ad quam mutatur.

183. Et probatur conclusio ratione Scoti, quam adducit n. 9. §. secunda conclusio: illa sunt principia transmutationis naturalis extrinseca; sine quibus transmutatio naturalis nequit definiri, intelligi aut imaginari; sed sine materia, forma & privatione non potest transmutatio naturalis definiri, intelligi, neque imaginari: ergo materia, forma, & privatio sunt principia, saltim extrinseca transmutationis naturalis substantialis. Minor probatur; quia major ab omnibus admittitur: transmutatio naturalis substantialis est mutatio totius in totum substantiale: ergo necessè est, quòd ponatur subjectum, quod mutetur per formam substantialem forma per quam mutatur; & terminus à quo incipiat talis mutatio: ergo &c.

184. Dico quintam conclusionem: adhuc respectu transmutationis naturalis, ad quam tria assignantur principia extrinseca, quatenus deserviunt ad explicationem, & intelligentiam transmutationis substantialis, pri-

privatio est impropriè principium, & potius induit rationem conditionis, quàm principii etiam extrinseci. Hæc etiam conclusio habetur ab Scoto n. 9. cit. §. prima conclusio, in medio, ubi sic ait: *Ex quo patet, quod compositi naturalis, vel etiam transmutationis non sunt, nisi duo principia actualiter distincta; tamen ad transmutationem oportet aliquod istorum aliqualiter se habere; & est simile, nam ad actionem sufficiunt agens, & passum, tamen agens, qualitercunque se habens non sufficit, immò requiritur, quod sit applicatum passo, quæ applicatio non est aliud ab agente* (supple agens) *sic similiter ad transmutationem sufficiunt materia, & forma, licèt non sufficiat materia, qualitercunque se habens, immo requiritur, quod sit privata; quod esse privatum non est aliud* (supple principium) *à materia*: ergo ex mente Scoti, sicut se habet applicatio in agente ad agendum, ita se habet privatio in materia ad accipiendum formam; sed applicatio solum est conditio ad hoc, ut agens agat: ergo privatio solùm est conditio ad hoc ut materia accipiat.

Argumenta contra dicta.

185. PRimò arguitur contra nostram primam conclusionem, in eo quod asserit, duo, & non plura esse corporis naturalis principia. Datur aliquod corpus naturale, quod essentialiter Physicè ex triplici coalescit principio: ergo male asseritur principia ut sic, corporis ut sic naturalis, tantum esse duo principia. Antecedens probatur, in composito humano v. q. datur materia, & forma corporeitatis in nostra schola, & anima rationalis; sed hæc tria principia sunt, duæ videlicèt formæ, & una materia: ergo datur aliquod corpus naturale, quod essentialiter Physice ex triplici coalescit principio: Ergo male asseritur duo tantum esse principia corporis naturalis; patet consequentia, quia, quidquid de corpore ut sic essentialiter Physicè prædicatur, de corpore tali debet etiam essentialiter verificari.

186. Ad argumentum respondeo primò, ut quidam respondet Scotista, negando antecedens, & ad ejus probationem distinguo majorem: in composito humano datur forma corporeitatis, tanquàm forma compositi, nego: tanquàm materia, vel coaptans materiam, & unum principium materiale per se constituens cum materia ad recipiendam animam rationalem, concedo. Unde nego suppositum minoris, quòd forma corporeitatis constituat aliud principium à materia, cum ex ipsa, & materia unum adæquatum materiale constituatur, respectu corporis humani sive animæ rationalis.

187. Hanc exhibet ad argumentum suprasolutionem quidam Scotista in suis manuscriptis, quia fortè suis doctrinæ principiis conformiorem judicavit; sed quòd in nostra doctrina non possit sustineri, sic ostendo: illa sunt principia corporis naturalis humani, ex quibus omne corpus humanum, seu compositum humanum, Physicè compositivè essentialiter constat; sed Physicè compositivè constat essentialiter humanum corpus ex materia, & for-

ma corporeitatis, & anima: Ergo materia forma corporeitatis, & anima sunt principia corporis, sive compositi humani.

188. Major ex definitione principiorum constat, minor vero probatur: ex illis constat Physicè compositivè essentialiter compositum humanum, quæ se habent, tanquam partes essentiales illius, non vero tanquam partes integrales; sed materia, forma corporeitatis, & anima sunt partes essentiales compositi humani, non verò integrales: Ergo materia, forma corporeitatis, & anima sunt principia ex quibus Physicè compositivè essentialiter constat compositum humanum. Et quòd non se habent materia, & forma corporeitatis, tanquàm partes integrales, probatur, quia ex actu, & potentia non datur compositio integralis, sed Physica: Ergo &c.

189. Quapropter aliter ad argumentum respondeo; & pro illius solutione notate, quòd in homine, sicut & in quolibet vivente alio datur duplex compositio Physica, duplex forma, & duplex compositum, unum completum, incompletum aliud. Compositum incompletum est corpus organicum, & dicitur incompletum, quia forma, qua componitur est incompleta, & subordinata alteri formæ perfectiori, quæ dicitur forma specifica, seu dans speciem, quæ forma in homine dicitur anima rationalis. His præjactis in forma ad argumentum respondeo negando antecedens; & ad ejus probationem, scilicet, quòd in composito humano datur forma corporeitatis, & anima rationalis, nego suppositum, quòd compositum humanum, prout duplici illa forma constat, sit unum compositum, sed duplex; aliud organicum, aliud specificum, diversa forma unumquodque constans, unum inadæquatum, & incompletum, quatenus per se ordinatur ad componendum aliud; & aliud adæquatum completum, & ultimatum, & si vocatur unum compositum est antonomasticè, quatenus perfectius compositum, videlicet specificum continet aliud organicum, & est illo perfectius, & sic dicitur unum, quatenus supponit pro famosiori.

190. Et quòd sint in homine duo composita, unum completum, & incompletum aliud, probo; quia moriente homine, manet idem compositum organicum, quod erat antea, & non manet idem compositum specificum: Ergo hoc compositum aliud est ab illo, quia si essent idem, destructo uno destrueretur & aliud. Ex quo nil facit argumentum contra nos, quia non probat dari aliquod idem compositum ex duplici forma coalescens, quia etiamsi compositum specificum ex corporeo composito coalescat, coalescit tamen ex illo, tanquam ex alio composito, & nullum est inconveniens, quòd unum compositum incompletum ad aliud completum ordinetur, nec quod materia prima, quæ deservit ad unum, etiam deservire valeat ad aliud, cum maximè non sit completè informata per formam imperfectioris compositi.

191. Secundò arguitur: dispositiones naturales requisitæ ad generationem compositi, sunt etiam principia compositi; sed

ſed diſpoſitiones naturales, ſunt plures, quàm duæ: Ergo principia corporis naturalis plura ſunt, quàm aſſignata à nobis. Major probatur: illud eſt principium generationis compoſiti, quod de per ſe requiritur ad fieri ipſius compoſiti; ſed diſpoſitiones naturales per ſe requiruntur ad generationem, ſeu fieri compoſiti: Ergo ſunt principia compoſiti. Idem argumentum poteſt fieri de agente, de ſubſiſtentia, de unione media, qua partes compoſiti uniuntur, &c.

192. Reſpondeo ad argumentum, negando majorem; ad ejus probationem reſpondeo diſtinguendo majorem; illud eſt principium generationis compoſiti, quod de per ſe requiritur ad fieri ipſius compoſiti, tanquàm pars eſſentialis Phyſicè conſtitutiva ipſius, concedo: tanquàm quid requiſitum, ut conditio, vel unio, vel quid extrinſecum, nego. Non enim omne, quod requiritur ad fieri alicujus rei eſt principium, nec cauſa ejuſdem rei, quia ad fieri effectus requiritur applicatio agentis, & talis applicatio eſt ſolùm conditio, & non cauſa, nec principium.

193. Tertiò arguitur contra id quod dicimus, quod forma eſt principium compoſiti: forma ſubſtantialis non eſt principium corporis naturalis in fieri: Ergo principia corporis naturalis in fieri non ſunt illa, quæ à nobis manent aſſignata. Probatur antecedens, forma ſubſtantialis eſt terminus formalis, ad quem generationis ſubſtantialis: Ergo non poteſt eſſe principium corporis naturalis. Antecedens eſt certum, conſequentia probatur, terminus ad quem generationis compoſiti ſubſequitur ad generationem compoſiti; ſed quod ſubſequitur ad generationem, ſeu fieri compoſiti, nequit eſſe principium illius: Ergo ſi forma ſubſequitur ad fieri, ſeu generationem compoſiti, nequit eſſe principium illius; quia principium debet eſſe ſuo principiato prius.

194. Reſpondeo ad argumentum negando antecedens primum, & ad ejus probationem concedo antecedens, & nego conſequentiam, & ad ejus probationem omitto majorem, & diſtinguo minorem; quod ſubſequitur ad generationem, nequit eſſe principium illius, id eſt generationis, ut generatio eſt concedo minorem: nequit eſſe principium illius id eſt compoſiti, quod habet per talem generationem eſſe, nego minorem. Per quod patet ad conſequentiam; itaque verum eſt, quòd forma non eſt principium generationis, cum generatio ſit actio, quæ non componitur ex materia, & forma; ſed falſum eſt, quod forma non ſit principium compoſiti in fieri, & in facto eſſe, quod eſt terminus, qui per generationem fit. Reducite ad memoriam illud, quod ſupra diximus, videlicèt, quòd aliud eſt fieri compoſiti, & aliud compoſitum in fieri, nam iſtud eſt terminus fieri, ſeu generationis, fieri vero compoſiti eſt actio, quæ terminatur ad compoſitum, & de fieri compoſiti dicimus formam non eſſe principium, bene tamen de compoſito in fieri dicimus principium eſſe formam.

195. Quartò arguitur contra id, quod dicimus duo tantum eſſe compoſiti, ſive corporis naturalis principia: cujuſlibet rei naturalis per nos dantur duo principia; ſed materia, & forma ſunt res naturales: Ergo tam materia, quàm forma, conſtat duobus principiis: tunc ſic, ſed compoſitum conſtat

ſtat ex materia, & forma: Ergo conſtat quatuor, ſive pluribus principiis.

196. Reſpondeo ex Scoto in hac quæſtione 19.cit.ſub n.12. §. ad octavam; quòd materia, & forma, quæ ſunt principia non ſunt propriè res naturales, ſed naturæ, ex quibus compoſitum dicitur res naturalis, & ſic non tenet argumentum; quia res naturalis propriè ſolum eſt compoſitum ex materia, & forma: & quando dicimus, quòd corpus naturale conſtat duobus principiis, loquimur de corpore naturali ſubſtantiali completo, non vero de incompleto. Et ſic reſpondeo in forma, cujuſlibet rei naturalis dantur duo principia, diſtinguo majorẽ; cujuſlibet rei naturalis completæ, & quæ propriè dicitur naturalis, concedo: cujuſlibet rei naturalis incompletæ, quæ impropriè dicitur naturalis, nego: per quod patet &c.

197. Quintò arguitur, & eſt argumentum, quod immediatè militat contra primam noſtram concluſionem, quatenus aſſerit, quòd principia corporis naturalis in fieri, & in facto eſſe, ſunt eadem, & non plura, quàm duo, materia, ſcilicèt, & forma. Corpus naturale in fieri diſtinguitur eſſentialiter à corpore naturali in facto eſſe: ergo principia corporis naturalis in fieri, diſtinguuntur à principiis corporis naturalis in facto eſſe. Antecedens probatur, fieri rei, & factum eſſe ipſius ſunt prædicata ſpecificè diſtincta; ſed illa, quibus prædicata ſpecificè diſtincta conveniunt, ſpecificè eſſentialiter diſtinguuntur: ergo ſi fieri convenit compoſito in fieri, & factum eſſe compoſito in facto eſſe, compoſitum in fieri, & in facto eſſe eſſentialiter diſtinguuntur; major hujus probationis probatur, quia plus diſtinguitur fieri à facto eſſe, quàm fieri à fieri, & factum eſſe à facto eſſe; ſed fieri à fieri, & factum eſſe à facto eſſe numericè diſtinguuntur; ergo fieri à facto eſſe plus quàm numericè diſtinguitur: ergo ſpecie diſtinguuntur eſſentialiter.

198. Conſequentia primi ſyllogiſmi probatur, ſcilicèt, quòd principia corporis in fieri, & principia corporis in facto eſſe eſſentialiter diſtinguuntur. Quotieſcunque principiata ſunt eſſentialiter diſtincta principia conſtitutiva talium principiatorum eſſentialiter diſtinguuntur; ſed principiata videlicèt corpus in fieri, & in facto eſſe eſſentialiter diſtinguuntur: ergo principia conſtitutiva unius, & alterius eſſentialiter diſtinguuntur. Major probatur, quia omnis diſtinctio eſſentialis per principia eſſentialia rei conſtitutiva fit: ergo ſi res conſtitutæ diſtinguuntur, principia debent diſtingui: ergo non ſunt eadem principia corporis in fieri, ac in facto eſſe.

199. Reſpondeo ad argumentum diſtinguendo primum antecedens, videlicèt, quòd corpus in fieri diſtinguatur eſſentialiter à corpore in facto eſſe; corpus naturale in fieri diſtinguitur eſſentialiter à corpore naturali in facto eſſe, reduplicativè prout in fieri, concedo antecedens: ſpecificativè nego antecedens. Et eſt idem ac dicere, quod fieri formaliter, prout tale, diſtinguitur à facto eſſe, etiam prout tale, quia ſunt ſtatus diverſi, in quibus corpus naturale conſiderari poteſt: cæterum ſpecificativè corpus, quod eſt ſub fieri, & corpus, quod eſt in facto eſſe, hoc ſubſtractum, quod denominatur à fieri, & facto eſſe idem corpus formaliſſimè indiſtinctum eſt; ſicut homo

in ſtatu poſſibilitatis idem formaliſſimè eſt, ac in ſtatu exiſtentiæ, & eadem prædicata eſſentialia habet, licèt ſtatus poſſibilitatis, & exiſtentiæ, ſub quibus homo conſideratur, eſſentialiter diſtinguantur. Idem eſt dicendum de corpore naturali, quòd eadem prædicata eſſentialia habet in fieri, ac in facto eſſe, licèt fieri, & factum eſſe, tanquam ſtatus diverſi eſſentialiter diſtinguantur.

200. Ad probationem ejus reſpondeo concedendo majorem, videlicet, quòd fieri, & factum, ſunt prædicata eſſentialiter diſtincta, & diſtinguendo minorem; illa quibus prædicata eſſentialiter diſtincta conveniunt, eſſentialiter diſtinguuntur, ſi illa prædicata conveniunt illis ratione ſtatus rerum, nego: ſi conveniunt illis prout ſunt in ſe, & abſtrahunt ab ſtatu, concedo: & cum prædicta prædicata non conveniant corpori naturali, ſecundùm ſe conſiderato, ſed prout in diverſis ſtatibus conſideratur, hinc eſt, quòd argumentum nihil facit contra nos; & per hoc patet ad alias argumenti probationes.

201. Sextò arguitur contra noſtram ſecundam concluſionem negativam, quæ ait, quòd privatio ut talis, non eſt corporis naturalis principium, & arguitur ſic: ratio primò aſſignata, quare privatio non eſt corporis naturalis principium, eſt, quia ut ait Philoſophus *ex nihilo nihil fit*; ſed hæc ratio eſt nulla: ergo &c. Probo minorem, per creationem accipit eſſentialiter eſſe tota rès, quæ creatur; ſed creatio eſt totalis productio rei ex nihilo: ergo ex nihilo aliquid fit: ergo &c.

202. Reſpondeo concedendo majorem, & negando minorem, & ad ejus probationem concedo majorem, & diſtinguo conſequens: ergo ex nihilo aliquid fit, tanquam ex termino, à quo, concedo conſequentiam; tanquàm principio Phyſico Phyſicè componente compoſitum, nego conſequentiam, ex quo nihil contra nos.

203. Septimò arguitur contra ſecundam probationem ejuſdem concluſionis, quatenus ait, quòd ex non ſubſtantia, non fit ſubſtantia, neque ex non poſitivis &c. Ex non ſubſtantiis fit ſubſtantia, & ex non relativis relatio, & ex non quantis quantum: ergo ratio aſſignata eſt nulla. Probo antecedens: ens, quod determinatur, & contrahitur ad eſſe ſubſtantiæ per differentiam ſubſtantiæ, non eſt formaliter ſubſtantia in ſuo conceptu formali; ſed ens, nec differentia illud determinans, & contrahens ad eſſe ſubſtantiæ, non eſt formaliter ſubſtantia, ſed differentia ſubſtantiæ. Idem dico de relatione ut ſic, quæ eſt prædicamentum relationis, nam ratio entis, quæ in ſuo conceptu formali non eſt relativa, determinatur ad eſſe relationis, per differentiam referendi, & ipſa differentia, quæ non eſt relatio contrahit illam communem rationem entis, & conſtituit relationem: ergo ex non ſubſtantiis fit ſubſtantia, & ex non relativis relatio &c.: ergo ratio aſſignata eſt nulla.

204. Reſpondeo ad argumentum diſtinguendo antecedens primum, ex non ſubſtantiis formaliter fit ſubſtantia Metaphyſicè, concedo antecedens: ex non ſubſtantiis realiter fit ſubſtantia Phyſicè, nego. Itaque ut optimè probat argumentum ex non ſubſtantiis formaliter, id eſt, ex formalitatibus,

bus, quarum nulla est formaliter substantia, bene potest fieri Metaphysicè substantia; immò ex eo quòd sit Metaphysica constitutio ex illis formalitatibus petitur, quòd nulla formalitas, quæ constituit rem in aliquo genere determinato, putà substantia relationis &c. habeat formaliter ex se denominationem talis, quia nec ratio animalis dicitur homo, quamquàm utraque formalitas possit dici homo realiter, ex eo quod idem realiter cum homine. Ex non substantiis Physicis potest fieri Physicè substantia, nego antecedens, quia quod non est Physicè substantia non potest Physicè causare substantiam, quia jam effectus esset sua causa perfectior; & sic nil contra nos, quia nos probamus, quòd privatio non potest esse principium, quod sit causa corporis substantialis per Physicam compositionem, & causalitatem ex eo quod ex non substantia Physicè, non potest fieri substantia Physicè.

205. Sed contra dices: sicut se habent partes Metaphysicæ ad Metaphysicam constitutionem totius; ita se habent partes Physicæ ad Physicam totius Physici constitutionem; sed ex non substantiis Metaphysicis potest constitui substantia Metaphysica: Ergo ex non substantiis Physicis potest constitui substantia Physica: Ergo &c.

206. Respondeo negando majorem, nam diversimodè constituunt partes Metaphysicæ totum Metaphysicum; ac partes Physicæ totum Physicum; quia partes Metaphysicæ constituunt totum Metaphysicum per identitatem formæ differentialis cum potentia determinabili, & cum exclusione formali à conceptu unius conceptus alterius, seu non identitate formali unius conceptus cum alio: at verò partes Physicæ constituunt compositum Physicum, supposita unione partium inter se, cum distinctione reali partium, & per Physicum influxum in totum, & inde fit, quòd si partes Physicæ non essent substantia, non possent Physicè habere influxum in substantiam; partes vero Metaphysicæ, cum nullum habeant Physicum influxum in totum Metaphysicum, & alias sint idem realiter inter se, & cum toto, benè possunt licèt non sint formaliter substantiæ, substantiam Metaphysicè constituere, ut patet de differentia contrahente rationem entis ad esse substantiale.

207. Octavò arguitur contra eandem conclusionem ex Aristotele, qui 1. Physic. cap. 3. & cap. 6. & 7. textu 58. 60. & 67. ubi enumerans principia corporis naturalis in fieri asserit esse materiam, formam, & privationem: Ergo privatio non debet excludi à ratione principii corporis in fieri: probatur consequentia: ideo materia, & forma enumerantur principia, quia à Philosopho assignantur talia, sed etiam privatio assignatur à Philosopho principium: Ergo non est excludenda à ratione principii: Ergo &c.

208. Confirmatur authoritate Scoti lib. de rerum principio. quæst. 1. art. 1. n. 4. §. circa primum sciendum, in fine, ubi ait: *Unde privatio est principium fiendi non vero essendi; materia enim, & forma esse rei generabilis, & corruptibilis constituunt*: Ergo privatio est

 prin-

principium in fieri, & Scholiator in margine.

209. Respondeo ad argumentum ex nostro Scoto locis supra citatis, & ex Joanne Rodelin in sua Physica, acceptione de principiis, qui eandem sequitur sententiam, quòd Philosophus ibi non enumeravit privationem inter principia corporis naturalis in fieri, sed inter principia extrinseca mutationis substantialis naturalis, quæ mutatio præcedit corpus in fieri, tanquàm via ad terminum; & aliud est loqui de principiis corporis naturalis, quod est terminus transmutationis substantialis, & aliud de principiis ipsius transmutationis, quæ est actio, quæ terminatur ad corpus; unde nego consequentiam, & ex hoc patet ad argumentum &c.

210. Nonò arguitur contra nostram tertiam, & quartam conclusionem, & est argumentum, quod etiam militat contra quintam: implicat quòd materia, forma, & privatio sint principia extrinseca transmutationis substantialis, & quòd sine illis non possit cognosci, definiri, & imaginari ipsa substantialis transmutatio: Ergo si absque materia, forma, & privatione non potest intelligi, definiri, imaginari transmutatio substantialis, materia, forma, & privatio principia sunt non extrinseca, sed intrinseca. Probo antecedens: illud, sine quo res non potest definiri, neque intelligi est de conceptu definitionis, & intelligibilitatis rei; sed quod est de conceptu definitionis, & intelligibilitatis rei, est illi intrinsecum, & essentiale: Ergo implicat, quòd sine materia, forma, & privatione, non possit definiri, nec intelligi transmutatio substantialis, & quòd sint principia extrinseca, & non intrinseca.

211. Respondeo ad argumentum negando primum antecedens, & ad ejus probationem distinguo majorem: illud, sine quo res non potest intelligi, nec definiri, intelligibilitate absoluta, & definitione purè quidditativa, & essentiali est de conceptu intelligibilitatis, & definitionis rei, concedo majorem: illud, sine quo res non potest intelligi, seu definiri intelligibilitate relativa, & definitione per additamentum, est de intelligibilitate, & definitione rei, nego majorem. Itaque duplex est intelligibilitas rei, & duplex similiter ejus definitio; intelligibilitas alia est absoluta, ut illa, quæ rei absolutæ, & quæ non dicit ordinem ad aliud competit; & alia relativa, & est, quæ entitati relativæ adaptatur; quod est de intelligibilitate absolutæ rei, est ipsi intrinsecum; quod vero est de intelligibilitate rei relativæ potest esse extrinsecum, quia relatio v. g. non potest intelligi sine fundamento, & termino, & tamen terminus, & fundamentum sunt extrinseca relationi.

212. Duplex similiter est definitio, alia purè quidditativa, & est illa, quæ datur per partes intrinsecas, & essentiales, genus, videlicèt, & differentiam, ut *animal rationale*: & alia, quæ dicitur quidditativa non pura, sed per additamentum, quia non potest res cognosci, quæ definitur, sine eo quòd ponatur in definitione aliquid, quod sit additum rei, quæ definitur, & ipsi extrinsecum, ut in relationis definitione ponitur fundamentum, & terminus, quæ sunt extrinseca relationi. Deinde relatio est forma accidentalis referens unum ad aliud; &

cum mutatio substantialis sit actio, & relatio non potest intelligi sine eo, quod ponatur materia, tanquàm fundamentum, & privatio tanquàm conditio, & forma tanquàm terminus, & licèt hæc omnia sint extrinseca actioni, quæ est transmutatio, tamen sine illis non potest intelligi, nec definiri, & per hoc patet ad argumentum. Alia, quæ contra hanc nostram conclusionem possunt objici, facile solvetis, si dicta bene perpendatis.

ARTICULUS TERTIUS,

Utrum cujuslibet transmutationis naturalis principia sint contraria?

213. Præsens difficultas sub titulo à nobis assignato agitur ab Scoto in hoc 1. Physicor. q. 18. à n. 10. usque in finem, quæ ab aliquibus nullam distinctionem ponentibus inter principia corporis naturalis in fieri, & principia ipsius fieri, seu transmutationis substantialis, sub alio titulo investigatur, videlicèt utrum principia corporis naturalis sint contraria? nos verò, qui ex mente Scoti, ut patet ex superius dictis, inter utriusque principia posuimus discrimen, de utriusque principiis sub isto titulo per aliquam conclusionem agemus, ut clarius uniuscujusque quæsiti veritas patefiat.

214. Pro cujus intelligentia est primò notandum ex Aristotele in isto primo lib. tract. 3. cap. 1. text. 41. & ex D. S. Scoto in q. 18. cit. n. 3. §. oppositum arguitur. *Quod quatuor modis invenitur contrarietas in rebus* (verba Scoti) secundùm quod ad præsens attinet statutum. *Primo modo oppositio inter privationem, & habitum vocatur contrarietas, largè accipiendo contrarietatem, & sic dicimus, quòd sonus, & silentium sunt contraria*; scientia, & privatio scientiæ, forma, & ejus privatio &c. *Secundo accipitur contrarietas pro oppositione inter relativè opposita*, quæ oppositio vocatur relativa, maximè inter illa, quæ dicuntur de quantitate, & sic dicimus, quòd magnum, & parvum (scilicet quantitativè) sunt contraria, & minus propriè intensum, & remissum, etiam contraria vocantur; hoc etiam modo pater contrariatur filio, & filius patri, quæ oppositio dicitur relativa, & est duplex, alia recta, alia disparata: oppositio recta datur inter illa, quorum exempla adduximus inter causam, & effectum, inter unum, quod procedit ab alio &c. Oppositio relativa disparata datur inter illa, quorum unum non dependet ab alio, nec directè opponitur illi, ut inter hominem, & equum, inter Petrum, & Paulum &c.

215. Tertio modo accipitur contrarietas pro oppositione, quæ est inter terminos motus localis, quæ significatur per terminos absolutos de genere ubi, hoc est, qui generant, sive causant distincta ubi, cujusmodi est oppositio inter oriens, & occidens, vel inter oriens, & auster, & hæc oppositio dicitur localis propter incomparibilitatem locorum, ratione distantiæ localis, quæ reperitur inter oriens, & occidens, inter Romam, & Hispalim.

216. Quarto modo accipitur contrarietas pro repugnantia duarum formarum intensibilium, & remissibilium, quarum una nata est alteri inesse, ut in subjecto, nec simul possunt inesse eidem subjecto, & sic oppo-

opponuntur adinvicem caliditas & frigiditas; albedo, & nigredo &c. Et hæc oppositio, sive contrarietas propriè vocatur contraria, poteſtque ſic definiri, ut definitur à noſtro Pitigiano in ſuis annotationibus ad textum Scoti, in hac eadem quæſtione n. 19. *Contraria ſunt, quæ ſub eodem genere ſunt, & habent fieri circa idem ſubjectum, à quo propria actione mutuò ſe expellunt*: ut caliditas, & frigiditas, & hæc oppoſitio contraria ſolum in qualitatibus reperitur, quia ipſæ ſolùm ſunt, quæ ab eodem ſubjecto propria actione mutuo ſe expellunt.

217. Secundò eſt notandum ex eodem Scoto q. cit. n. 4. *quòd non ſolum diſpoſitiones; vel formæ accidentales dicuntur contrariæ, immo etiam ſubſtantia dicitur contraria* (ſupple alteri ſubſtantiæ) *ratione ſuarum diſpoſitionum, ſic dicimus, quòd ignis, & aqua contrariantur, non quòd forma ſubſtantialis ignis ſit contraria formæ aquæ, ſed qualitas unius qualitatibus alterius, & ſecundùm hoc ſubſtantia dicitur contraria.*

218. Tertiò eſt notandum, etiam ex annotationibus ad textum Scoti n. 12. quòd contrarietas idem eſt, ac oppoſitio, unde eo modo, quo aliqua opponuntur inter ſe, eo modo ſibi contrariari dicuntur; unde ſi opponuntur privativè, dicuntur privativè contrariari, ſive relativè, relativè etiam contrariari dicuntur: & ſic de aliis.

219. Quartò eſt notandum, quòd oppoſitio, ſive contrarietas, ſumpta contrarietate pro oppoſitione, ut ſumitur hic, eſt æquivoca; æquivocè enim dicitur de omnibus contrariis, ſive oppoſitis aſſignatis, cum unumquodque diverſimodè ſuo opponatur contrario; ſive oppoſito.

220. Quintò eſt notandum, quòd contrarietas ſumpta pro oppoſitione eſt prima, & maxima; illa, quæ dicitur privativa, & datur inter habitum, & privationem, quia licèt àb eodem ſubjecto propriis actionibus non ſe expellant mutuè, ſunt tamen ita incompoſibiles in eodem ſubjecto, ut nulla potentia, etiam divina, poſſint ſimul componi, & in hoc ſenſu loquitur Philoſophus lib. 12. Metaph. cap. 3. tex. 15. quando dixit: *Prima vero contrarietas, habitus, & privatio eſt*: ſed non omnis privatio, multipliciter enim dicitur privatio, ſed quæcunque perfecta fuerit.

221. Sextò nota ex Philoſopho loco citato, *quod alia autem contraria ſecundùm hoc dicuntur*, id eſt, ut ait Scotus ibidem, *oſtendit quomodo ex prima contrarietate, quæ eſt privatio, & habitus, alia contraria derivantur.* Itaque illa dicuntur magis contraria, quæ magis ſunt incompatibilia in eodem ſubjecto, & ex hac majori, vel minori incompatibilitate, dicitur major, vel minor contrarietas.

222. Septimò nota ex eodem Philoſopho lib. 10. Metaph. cap. 2. text. & comm. 14. *Quod contrarietas eſt differentia perfecta*, ut ait ipſe, unde Scotus ibidem ſub n. 40. §. reducit, quatuor pro contrariis definitiones apponit ex mente Philoſophi, his verbis: *Per hoc primam innuit definitionem contrariorum, quæ eſt, quòd contraria ſunt, quæ plurimum differunt.* Et per hanc definitionem, illa quæ, ſive in eodem, ſive in diverſo genere plurimum, ſeu maximè differunt, contraria denominabuntur.

223. Secunda definitio eſt (ait Scotus) quod

quòd contraria ſunt plurimum differentia in eodem genere: Ex qua definitione, quæcunque ſub eodem genere maximè differunt, contraria appellantur, ita ut ſi diverſi generis ſint, non dicantur contraria, ſed requiritur, quòd ſub eodem genere contineantur. Sed per hanc definitionem, & præcedentem contraria, ſine ordine ad ſubjectum definiuntur; unde vel ſint in ſubjecto, vel non ſint in ſubjecto, quæ maximè differunt contraria nuncupantur.

224. Tertia definitio eſt (ait Scotus) *quæ in eodem ſuſceptivo plurimum ſunt differentia*: hoc enim verificatur ex dictis: *enim* pro *quia* eadem eſt materia contrariis, cum habeant adinvicem tranſmutationem. Quarta definitio eſt, *quòd contraria ſunt quæ ſub eadem potentia, id eſt ſub eadem ſcientia, ſunt plurimum differentia.* Sed de hac ultima definitione parum ad noſtrum inſtitutum attinet.

225. His præjactis ad quæſitum per decem concluſiones reſpondebimus. Sit ergo prima concluſio: principia corporis naturalis, quæ ut ex dictis conſtat ſunt materia, & forma, & non plura ſunt contraria relativè, ſumpta contrarietate, ut ab Scoto in prima definitione contrarium ſumitur. Hæc concluſio probatur: contraria (ut ait Scotus) ſunt quæ plurimum differunt; ſed plurimum differunt materia, & forma: Ergo ſunt contraria. Major eſt definitio Scoti, quam etiam ex Philoſopho deſumpſit. Minor probatur; illa plurimum differunt, etiam in ratione principii, quæ quatenus talia diverſo, & oppoſito modo ordinantur ad principiatum; materia, & forma diverſo, & oppoſito modo ordinantur ad corpus in ratione principiorum ejuſdem: Ergo &c. Minor probatur; quia materia ordinatur ad compoſitum per receptionem formæ, & potentialitatem ejuſdem, forma per informationem, & actuationem materiæ; ſed iſtæ rationes, & modi reſpiciendi principiatum ſunt diverſæ: Ergo &c.

226. Sit ſecunda concluſio: iſta oppoſitio relativa, ſive contrarietas eſt immediata, & directa: & probatur: illa opponuntur relativè directè (ut patet ex ſecundo notabili Scoti) quæ datur inter illa, quorum unum procedit ab alio; ſed forma procedit à materia: (educitur enim de potentia ejuſdem:) Ergo inter materiam & formam datur opoſitio directa relativa.

227. Sit tertia concluſio: ſumpta contrarietate, ut ſumitur ab Scoto ex Philoſopho in ſecunda definitione; materia, & forma ſunt contraria; probatur: *contraria ſunt plurimum differentia ſub eodem genere*; ſed materia, & forma ſub genere ſubſtantiæ ita ſe habent: Ergo ſunt contraria. Minor probatur: materia prima, & forma ſunt, & ſe habent, ut prima potentia, & primus actus in ordine Phyſico; ſed prima potentia, & primus actus ſunt totaliter diverſa ſubjectivè, ut ait Scotus: Ergo ſunt &c.

228. Sit quarta concluſio: ſumpta contrarietate pro oppoſitione privativa, qualis eſt, quæ datur inter privationem, & habitum, quæ primò aſſignatur ab Scoto q. 18. cit. materia, & forma, quæ ſunt corporis naturalis principia non ſunt contraria, ſcilicèt privativè. Hæc concluſio probatur, quia talis contrarietas ſolùm datur inter poſitivam formam, & ejus privationem, & non inter extrema poſitiva; ſed materia, & forma ſunt

 extrema

extrema positiva, & neutrum est alterius privatio: Ergo &c.

229. Sit quinta conclusio: sumpta contrarietate ut in tertia definitione definitur ab Scoto, pro illis videlicet, quæ in eodem susceptivo plurimum sunt differentia, qualis est illa, quæ datur, ut ait Scotus q. 18. cit. inter duas formas intensibiles, & remissibiles, quarum una nata est alteri inesse, ut in subjecto, qualis est illa contrarietas, quæ inter formas accidentales contrarias, & mutuò se ab eodem subjecto per proprias actiones expellentes; materia & forma non sunt contraria: probatur; illa sunt propriissimè contraria, quæ sub eodem genere maximè distant, & ab eodem subjecto mutuò se expellunt; sed materia nullum habet subjectum, immò ipsa est primum subjectum, nec mutuò se expellunt ipsa, & forma, immò se uniunt naturaliter, & sunt maximè composibiles inter se: Ergo hoc genere contrarietatis, quæ propriissimè, & rigorosè contraria vocantur, materia, & forma non sunt contraria.

230. Et confirmatur; quia ut ait Philosophus in prædicamentis, cap. de substantia; substantiæ nihil est contrarium, hoc est (ut ait Scotus) substantiæ non opponitur altera substantia; sed materia, & forma sunt substantiæ: Ergo materia non contrariatur formæ, nec forma materiæ.

231. Sexta conclusio: sumpta contrarietate in hac acceptione, etiam si materia non sit formæ contraria, nec è contra, una forma substantialis, potest esse alteri formæ substantiali contraria, non formaliter ratione substantiæ, sed ratione dispositionum, & accidentium, quæ sunt uni connaturalia, & alterius accidentibus, seu dispositionibus repugnantia.

232. Hæc conclusio habetur ab Scoto q. 18. cit. n. 4. §. secundò notandum, cujus hæc sunt verba: *Non solùm dispositiones, vel formæ accidentales dicuntur contrariæ, immo etiam substantia dicitur contraria, ratione suarum dispositionum, & sic dicimus, quòd ignis, & aqua contrariantur, non quòd forma substantialis ignis sit contraria formæ aquæ, sed qualitates unius qualitatibus alterius, & secundùm hoc substantia dicitur contraria.*

233. Et probatur: contraria sunt, quæ ab eodem subjecto mutuò se expellunt, & sub eodem genere maximè distant; sed sic se habent duæ formæ substantiales, quæ in eadem materia sunt incomposibiles, ratione suarum qualitatum, quæ contrariantur: Ergo &c.

234. Septima conclusio: in omni linea, & ordine, quo materia, & forma dicuntur contraria, sunt prima contraria, non sumpta primitate contrarietatis pro majori contrarietate, sed pro prima seu priori, & sic possunt dici primò contraria: probatur; quæ omnium sunt prima, & sunt contraria, sunt primò contraria modo explicato: materia, & forma sunt prima, sunt enim principia omnis corporis substantialis, & sunt contraria, quatenus talia: Ergo sunt primò contraria.

235. Octava conclusio: principia transmutationis substantialis, sive generationis, quæ, ut constat ex dictis, sunt materia, forma, & privatio sunt primò contraria: hæc conclusio expressa est Scoti loco cit. n. 7. his verbis: *omnis transmutatio est de contrario in contrarium*; & habetur à Philosopho

hoc

hoc 1. lib. cap. 5. text. 41. ubi ait: *omnes igitur contraria principia faciunt.*

236. Hæc conclusio quoad materiam, & formam jam manet probata; nunc probatur primò de materia, & privatione. Contraria sunt, quæ plurimum differunt, ut ex prima definitione constat; sed materia, & privatio plurimum differunt: Ergo sunt contraria. Probatur minor; quia nulla differunt magis, quàm entitas positiva, & negativa; hujusmodi sunt materia, & privatio: Ergo &c.

237. Nona conclusio: sumpta contrarietate pro incompossibilitate in ordine ad aliud; materia, & privatio non sunt contraria: probatur, quia non sunt incompossibiles, immò compossibiles, & privatio est nata inesse materiæ: Ergo non sunt in hac acceptione contraria.

238. Decima conclusio: forma, & privatio sunt contraria privativè, quæ contrarietas vocatur à Philosopho prima, non solùm quia invenitur inter prima principia transmutationis substantialis, sed quia maxima contrarietas est in ratione incompossibilitatis unius cum alio, quæ sic definiuntur ab Scoto, cujus est hæc formalis conclusio loco cit. n. 7. *Contraria sunt, quorum alterum inest subjecto apto nato, & impossibile est ambo inesse simul.*

239. Et probatur conclusio: illa sunt contraria privativè, quorum alterum necessariò est in subjecto apto nato recipere illud, & taliter sunt incompossibilia in eodem subjecto, quòd per nullam potentiam possunt simul inveniri; sed privatio formæ, & ipsa forma sunt natæ esse in subjecto, scilicèt materia prima, & per nullam potentiam possunt simul esse in materia: ergo sunt contraria.

240. Et confirmatur ratione Scoti, quia in omni transmutatione substantiali transmutatur aliquod subjectum, scilicèt materia, de contrario in contrarium, tanquam de termino à quo, ad terminum ad quem, sed terminus à quo transmutatur materia est privatio, & terminus ad quem forma: ergo forma, & privatio sunt contraria.

Argumenta contra dicta.

241. Primo arguitur contra nostram primam, secundam, & tertiam conclusionem, quatenus per illas dicimus materiam, & formam esse contraria; & arguitur sic: substantiæ nihil est contrarium ex Philosopho, & habetur ab Scoto n. 1. hujus quæstionis citatæ; sed materia, & forma sunt verè substantiæ: ergo non potest materia formæ contrariari, nec è contra: ergo materiæ forma non est contraria.

242. Huic argumento respondet Scotus q. 18. cit. n. 11. distinguendo majorem, quæ est authoritas Philosophi, substantiæ secundum suam substantiam, & essentiam, concedo: secundùm suas dispositiones privativas, vel positivas, nego, quia dispositiones unius substantiæ sunt contrariæ dispositionibus alterius, & sic substantia potest dici contraria alteri substantiæ.

243. Secundò respondeo distinguendo etiam majorem, substantiæ nihil est contrarium, contrarietate positiva, quatenus una substantia non expellit ab eodem subjecto aliam, concedo: substantiæ nihil est con-

trarium relativè sumpta contrarietate pro differentia unius substantiæ ab alia, nego. Hæc etiam solutio habetur ab Scoto n. 3. utraque potest sustineri; & hac distinctione respondetur ad consequens argumenti.

244. Secundò arguitur contra easdem conclusiones, quatenus dicimus, quòd materia, & forma sunt contraria relativè, & est quasi replica ad præcedentem solutionem. Quæ non sunt relativa non opponuntur relativè; sed materia, & forma non sunt relativa, immò absoluta: Ergo materia, & forma non sunt relativè opposita, sive contraria. Major probatur, quia in ea linea, & ordine, quo aliqua sunt, debent esse contraria: Ergo quæ non sunt relativa, sed absoluta, non opponuntur relativè, sed absolutè: Ergo &c.

245. Respondeo ad argumentum distinguendo majorem, quæ non sunt relativa formaliter, non opponuntur relativè, nego; quæ non sunt relativa fundamentaliter, vel formaliter, non opponuntur relativè, concedo: ad minorem distinguo, materia, & forma non sunt relativa formaliter, concedo; fundamentaliter, nego. Itaq; licèt non sunt formaliter relativa, sunt tamen fundamentaliter, quod sufficit ad hoc ut dicantur relativè opposita, quatenùs una putà materia, fundat relationem, quæ est formæ incompossibilis, & forma fundat relationem, quæ in materia nequit fundari.

246. Tertiò arguitur contra decimam conclusionem (nam argumenta, quæ contra alias possunt effici, ex dictis manent soluta) quatenus asserit, quòd forma, & privatio sunt contraria maxima contrarietate, quæ dicitur privativa, & est argumentum, quod etiam mutatis mutandis potest effici contra nostras primam, secundam, & tertiam conclusionem, & contra alias. Contraria sunt, quæ sub eodem genere maximè distant, & ab eodem subjecto mutuò se expellunt; sed forma, & privatio non continentur sub eodem genere, quia forma est de genere positivo, & privatio de genere negativo, nec ab eodem subjecto mutuò se expellunt: Ergo non sunt contraria; probatur minor quoad hanc secundam partem, quia quæ se expellunt ab eodem subjecto, sunt pro aliquo instanti in eodem subjecto simul, & mutuò ibi se expellunt; sed forma, & privatio numquàm in eodem subjecto sunt simul: Ergo non mutuò se expellere possunt.

247. Respondeo ad argumentum distinguendo majorem, contraria sunt, quæ sub eodem genere maximè distant &c., contraria positivè, ut frigiditas, & calor, humiditas, & siccitas, quæ sunt alterabiles, & remissibiles, concedo: contraria privativè, nego; & cum forma, & privatio, non positivè, & remissibiliter, vel alterabiliter opponantur, sed privativè, quatenus forma privationi, & privatio formæ; hinc est, quòd argumentum nihil facit contra nos.

248. Quartò arguitur contra hanc eandem conclusionem: forma, & privatio formæ sunt contraria in materia simul: Ergo privatio formæ, & forma sunt simul in materia. Antecedens probatur, quia ad hoc ut materia. A. v. g. habeat privationem formæ ligni, necesse est, quòd ipsa

mate-

materia A. & non materia B. habeat carentiam formæ ligni, & idem vice versa dico de forma; ad hoc enim, quòd materia A. habeat formam ligni necessè est, quòd non habeat privationem ejusdem; contraria enim circa idemmet subjectum contrariantur, & non in alio, quia forma ligni, quæ est in materia A. non opponitur privationi, quæ est in materia B. nec è contra.

249. Consequentia verò probatur; quia illa, quæ non sunt simul, non possunt simul contrariari; sed forma, & privatio contrariantur simul in eadem materia: ergo forma, & privatio sunt in eadem materia simul; sed consequens est impossibile, videlicèt, quòd forma, & privatio sint simul in eadem materia: ergo & antecedens, ex quo sequitur, videlicèt, quòd sint in eadem materia contraria, etiam impossibile est: ergo &c.

250. Hoc argumentum affert Scotus confusè q. 18. cit. sub n. 9. §. tertio. Ad quod respondeo, ut ipse respondet duplici solutione; primò concedendo antecedens, & simul consequentiam, quòd forma, & privatio sunt simul in eadem materia, licèt incompletè, & initiativè, *quia tunc subjectum* (verba sunt Scoti) *partim privatum forma, & partim informatum.* Eo enim quod forma fiat in materia incipit privari privatione formæ, & postquam totaliter forma est introducta in materia, totaliter etiam materia est privata formæ privatione, itaque fieri formæ est desini privationis, vel defici, & fieri privationis est desitio formæ, & nullum est inconveniens, quòd forma in fieri inveniatur cum privatione formæ in facto esse, & è contra, quia ad introductionem unius desinit esse alterum.

251. Sed hæc solutio affertur ab Scoto ut ipse ait *supposito, quod omnis transmutatio sit successiva*, & quod transmutatio substantialis habeat latitudinem partium, ratione quarum in una parte transmutationis sit forma in fieri, & privatio incipiat non esse, & in altera parte formæ sit in facto esse, & privatio totaliter non sit, sed quia Scotus non admittit, quod transmutatio substantialis sit successiva, immo instantanea, ideo affert ad argumentum aliam solutionem his verbis.

252. *Aliter dicitur negando consequentiam, sicut enim non sequitur, & posterius sunt relativa, vel sunt contraria; igitur sunt* (quatenus si *sunt* denotat simultatem in existendo) *quia istud nomen contraria est terminus ampliativus, & etiam relativa, quæ non determinant sibi convertentiam* (id est, non necessariò petunt simultatem) *sed esse sumitur pro intelligi* (hoc est, sunt contraria, debet sumi, intelliguntur contraria) *ut de istis relativis prius, & posterius.*

253. Pulcherrima sunt profectò verba Scoti, & ad plura intelligenda necessaria. Pro quarum intelligentia notat subtilissimus Doctor, quòd sicut aliqua relativa non petunt simultatem utriusq; extremi, immò aliqua sunt, quæ ex sua natura petunt, quòd sit unum extremum, quando non est aliud, ut patet in exemplo allato de priori, & posteriori fundamentaliter saltem;

sic similiter sunt aliqua contraria quæ ex suis formalibus rationibus petunt, quòd sit unum contrarium in subjecto, quando non est aliud, ut patet in contrariis privativè, quorum unum privat altero, & sic concedo, quòd sunt contraria simul, hoc est quod ad invicem contrariantur forma, & privatio, & nego, quòd sint simul in materia; quia ex eo quòd privativè opponantur, petunt, quòd unum sit, & alterum non.

254. Et quando dicitur, contraria sunt forma, & privatio, idem est ac dicere, contraria intelliguntur forma, & privatio simul, ita ut simultas accipiatur pro mutua contrarietate, non vero pro simultate utriusque extremi in existendo. Nunc in forma respondeo ad argumentum: forma, & privatio sunt contraria simul, concedo; ergo sunt simul forma & privatio, distinguo, sunt simul, id est simul intelliguntur contraria, ratione mutuæ contrarietatis, oppositionis, & incompossibilitatis, concedo consequentiam; sunt simul in existendo, nego.

255. Ad argumenti confirmationem respondeo distinguendo majorem: illa, quæ non sunt simul, non possunt contrariari contrarietate positiva, per positivam incompatabilitatem, concedo: illa, quæ non simul, contrarietate privativa, nego. Utraque solutio est de mente Scoti, elige quam volueris. Ad hanc etiam confirmandam potest adduci exemplum de ente, sive scientia, cujus partes non possunt simul existere, & dicuntur simul partes. Et dicta pro hac quæstione sufficiant, ut ad alia dilucidanda transeamus.

DISTINCTIO SECUNDA,

De primo; tam corporis, quàm transmutationis naturalis principio, quod est materia prima.

256. Postquàm ultimam imposuimus manum distinctioni præcedenti, in qua de principiis ut sic corporis naturalis substantialis, nec non, & transmutationis naturalis egimus, restat nunc de ipsis in particulari tractatum instituere; & cum inter hæc materia prima, generationis, & naturæ ordine primum sibi vindicet locum (quamquàm ordine dignitatis, & perfectionis forma substantialis primatum teneat, hoc enim ordo generationis expostulat, ut quæ sunt perfectione priora, sint generatione posteriora) meritò primo de illa judicavi agendum; quapropter sit

QUÆSTIO PRIMA,

Quænam sit vera materiæ primæ quidditas, & essentia?

257. Quamquàm quæstio supponat dari materiam primam, de qua quærit quænam ejus quidditas, & essentia sit? tamen hoc quod supponit, quam certitudinem, & veritatem habeat ventilabimus, ut clarius ad quæsitum respondeamus; & ut non in æquivoco laboremus, aliqua prius pro intelligentia, tam quæsiti, quàm suppositi adjiciemus: quapropter sit

ARTICULUS PRIMUS,

Ubi aliquæ acceptiones materiæ præmittuntur, & varia ejus nomina proponuntur.

258. Materia prima communiter à Philosophis dividitur, licèt æquivo-

quivocè, non rei, sed nominis divisione, in materiam ex qua, in qua, & circa quam: materia in qua est omne illud, quod induit rationem subjecti respectu tam formæ substantialis, quàm accidentalis, tam absolutè quàm respectivè, sive illud tale, quod se habet tanquàm subjectum in quo, sit substantia, sive accidens: quo pacto corpus organicum, quatenus est subjectum, in quo recipitur anima, dicitur materia; totum compositum, quatenus recipit formas accidentales etiam materiæ nomen sortitur. Denique quodlibet accidens, in quo recipitur aliud, etiam materia denominatur, ut quantitas, quatenus in illa qualitates subjectantur, & relationes, & similiter ipsæ qualitates, quatenus sunt fundamentum, in quo relationes fundantur, vel subjectantur, & in hoc sensu charta dicitur inscriptionis subjectum, & hujusmodi alia.

259. Materia ex qua dicitur illa, ex qua aliquid fit, vel tanquàm ex subjecto, vel tanquàm ex parte integrante, vel tanquàm ex parte artificiali, vel cumuli, tanquàm ex subjecto, ut album dicitur fieri ex parietate, tanquàm ex subjecto v. g. & ex albedine, tanquàm ex forma; tanquàm ex parte integrante, ut homo v. g. fit ex capite, manibus, & pedibus &c. & caput, manus, & pedes dicuntur materia hominis; tanquàm ex parte artificiali, ut delineatio, sive delineamentum dicitur materia ex qua coalescit, & fit pictura; lapides & ligna materia ex qua artificiosè fit domus; & aurum, argentum, & metallum, ex qua fit statua; materia cumuli similiter dicuntur lapides, triticum, hordeum &c. ex quibus fit totum per aggregationem, acervum videlicet lapidum, & hordei.

260. Materia circa quam est omne illud, circa quod versatur aliquod agens, vel per actionem, vel per operationem; per actionem ut lignum v.g. quando igne comburitur, dicitur materia circa quam ignis versatur; per operationem, ut objectum cujuscunque scientiæ dicitur materia circa quam versatur scientia, & objectum cujuscunque potentiæ dicitur materia, circa quam versatur potentia, ut color dicitur materia visus; sonus, auditus.

261. Materia circa quam, & in qua omissa, materia, ex qua (ut videre licèt in Francisci de Murcia Philosophia disp. 5. q. 1.) dividitur communiter à Philosophis in materiam alterationis tantùm, & in materiam compositionis tantùm, & non alterationis, & in materiam alterationis, & compositionis simul.

262. Materia alterationis tantùm, & non compositionis est illa, ex qua mutata, & non permanente, res aliqua efficitur, quo pacto lignum, sive combustibile dicitur materia, ex qua fit ignis, quia ex illo alterato, & non manente fit ignis; semen similiter dicitur materia generationis, quia ex semine alterato, hoc est corrupto, & non manente fit, & generatur animal, idem dicito de semine plantæ &c.

263. Materia, ex qua compositionis tantùm, & non alterationis, est illa, ex qua manente, & non alterata sive destructa fit aliqua res; quo pacto lapides dicuntur materia, ex qua fit, sive construitur domus, quia ex lapidibus in propria forma manentibus, & non alteratis fit, sive construitur domus.

264. Materia ex qua compositionis, & alte-

alterationis ſimul, eſt illa ex qua manente, & aliquomodo alterata fit res aliqua, qua ratione elementa dicuntur materia mixti, quia ex illis alteratis, & quodammodo manentibus fit mixtum; & hanc diviſionem docuit Aberroës 2. Phyſic. text. 31.

265. Ulterius materia dividitur in materiam primò primam, & in materiam ſecundò primam, & in materiam tertiò primam. Hanc diviſionem materiæ expreſſè inſinuat Scotus in ſuo lib. de rerum principio q. 8. art. 3. n. 20. fol. 51.

266. Materia primò prima eſt illa, quæ ita ſimpliciter eſt prima, ut non ſupponat alteram, hoc eſt, ita eſt primum generationis, ſive tranſmutationis ſubſtantialis ſubjectum, ut non ſupponat alterum; *& ſimiliter dicitur, ita materia primò prima* (verba ſunt Scoti loco citato) *quia ut talis nudè accepta non poteſt eſſe ſubjectum alicujus creati agentis, ſed ſolùm agentis ſimpliciter primi, ſcilicèt Dei.* Et tale eſt materia nuda à quacunque forma, tam ſubſtantiali, quàm accidentali.

267. Materia ſecundò prima eſt ipſamet materia non nudè ſumpta, ſed affecta aliquibus diſpoſitionibus, quibus materia primò prima determinatur ad aliquam peculiarem formam ſubſtantialem, & efficitur ſubjectum (verba ſunt Scoti loco citato) *generationis, & corruptionis, quod mutant, & tranſmutant agentia creata.* Quo pacto corpus organicum dicitur materia ſecundò prima, quia per formam corporeitatis determinatur materia primò prima ad hoc, ut ſit ſubjectum animæ rationalis, in genere v. g. hominis.

268. Quæ diviſio aliis communiter nominibus ſolet nominari, videlicet diviſio materiæ in proximam, & remotam; materia remota eſt materia nudè ſumpta, & dicitur remota, quia indiget approximari per aliquas diſpoſitiones, ſive ſubſtantiales, ſive accidentales, coaptantes & diſponentes materiam ad hanc formam potius, quàm alteram recipiendam; materia proxima ipſa materia talibus diſpoſitionibus affecta.

269. Materia tertiò prima eſt ipſum compoſitum ſubſtantiale, quod induit rationem ſubjecti reſpectu formarum accidentalium, quæ ſubjectantur in ipſo, & omnes iſtæ materiæ ita ſe habent, ut tertia ſupponat ſecundam, & primam; ſecunda ſupponit primam, prima nullam aliam ſupponit. In præſentiarum igitur ſolùm agimus de materia primò prima, quæ ita eſt ſimpliciter primum ſubjectum tranſmutationis ſubſtantialis, ut alterum non ſupponat, & ex qua tanquàm ex primo Phyſicè componitur omne corpus ſubſtantiale, & ideo primum illius dicitur principium.

270. Ad ſecundam partem quæſiti in articulo deveniendo, dico quòd materia primò prima, de qua hic loquimur, ſolet dici à Philoſophis *luna*, vel quia mutat varias formas, vel quia ſicut luna luce emendicata à Sole niteſcit, ſic materia ſplendeſcit ſplendore à forma participato. Secundò dicitur fœmina, quia ſicut fœmina ſubjicitur mari, ſic materia ſubjicitur naturali agenti formam inducenti in ea. Tertiò dicitur mater, quia in ejus gremio, & ſinu

omnes

omnes formæ substantiales conservantur, & procreantur. Quartò dicitur malefica, quia est principium omnis corruptionis compositi substantialis. Quintò dicitur informis, quia ex se omni caret forma substantiali Physica. Dicitur similiter basis, quia primum est generationis fundamentum, & similiter aliis quàm pluribus solet appellari nominibus, ut videre est in Scoto nostro lib. 1. Physic. q. 20. à n. 3. & infra, & in Coimbricensibus lib. Physic. cap. 4. q. 2. art. 3.

ARTICULUS SECUNDUS,

An detur materia prima in rerum natura, & supposito, quòd sic, qua certitudine, & firmitate sit tenendum talem materiam dari?

271. DAri materiam primam in rerum natura supponit Aristoteles in hoc 1. Physicor. lib. in quo ferè per omnia capita de illa agit, & 8. Metaphys., & aliis in locis, & cum eo omnes ferè Philosophi, uno, vel altero excepto. S. Thomas in hoc eodem lib. & prima part. q. 66. Divus Bonaventura in 2. sentent. dist. 12. q. 1. N. Magister Scotus in 1. Physicor. q. 20. & 17. & q. 6. & in 2. dist. 12. q. 1. ubi latè de ejus natura, & quidditate agit: & lib. de rerum principio, q. 7. in qua diffusè per plures indagatur articulos ejus natura; & alii: licet Neotericus Valles dari materiam primam negavit.

272. Probatur ergo conclusio nostra, quòd datur de facto materia prima ratione Scoti in hoc 1. lib. q. 17. n. 8. §. secunda conclusio, & sequentibus; *quia illa, quæ nunc fiunt de novo, fiunt præsupposito aliquo subjecto*; sed formæ substantiales fiunt per generationem de novo: Ergo fiunt præsupposito aliquo subjecto. Major probatur, quia si illa, quæ de novo fiunt non necessariò supponerent aliquod subjectum, aliquando sine ipso fierent, *quia si esset possibile* (ait Scotus) *aliquando contingeret*; sed nulla fiunt de novo, nisi præsupposito subjecto, ex quo fiant: Ergo requiritur subjectum, ex quo, sive in quo fiant; sed hæc est materia prima: Ergo &c.

273. Et roboratur hæc ratio, quia in hoc distinguitur generatio à creatione, quia creatio non supponit necessariò subjectum, ex quo educatur forma, est enim creatio totalis productio rei ex nihilo; & generatio supponit necessariò aliquod subjectum, quod sit commune genito, & corrupto, hoc est illud subjectum, quod erat sub corrupto, manet sub de novo genito: Ergo implicat, quòd fiat generatio de novo sine tali communi subjecto; sed subjectum quod requiritur necessariò ad generationem est materia prima: Ergo si datur de novo, ut patet experientia, generatio, datur materia prima.

274. Si dicant, quòd verum est, quòd requiritur subjectum ad generationem, & in hoc distinguitur à creatione, sed non requiritur subjectum, quod sit materia prima genito, & corrupto communis, sed sufficit, quòd supponatur compositum corrumpendum; ut v. g. ad generationem ignis, solùm requiritur quòd supponatur lignum, ex quo tanquàm ex materia ignis generetur.

 275. Con-

275. Contra est ratio, quam affert Scotus in 2. dist. 12. q. 1. §. positio ista, quia si hoc esset verum, nullum esset discrimen inter generationem, & actionem miraculosam transubstantiativam, media qua panis convertitur in Corpus Christi in Sacramento altaris; probatur, nam in transubstantione necessariò supponitur subjectum destruendum, panis videlicèt, qui totaliter est convertendus in substantiam Corporis Christi: Ergo similiter lignum in exemplo allato totaliter converteretur in substantiam ignis, & sic nullum esset hujus, & illius actionis discrimen. Quod hoc sit impossibile inde probatur, quia actio transubstantiativa adeò est miraculosa, ut nullum habeat exemplum in natura, nam ut bene ait Scotus, si haberet exemplum, non esset singulare, & si simile, non esset particulare: Ergo &c.

276. Secundò probatur; quia in artificialibus (est ratio Scoti loco citato) semper præsupponitur subjectum, ad hoc ut de novo aliqua forma artificialis introducatur in ipso, ut patet de ligno, quod supponitur ad formam statuæ v. g. introducendam: igitur & in naturalibus debet supponi aliquod subjectum primum naturale, in quo recipiatur forma nova substantialis; patet consequentia, quia in utroque est par ratio.

277. Tertiò probatur, quia si non daretur materia prima, quæ esset transmutationis substantialis subjectum, sequeretur, quòd aliqua esset transmutatio, & non esset quod transmutaretur; sed hoc implicat; transmutatio enim est actus transmutabilis, quod necessariò transmutabile supponit: Ergo &c.

278. Quartò probatur; quia experimento cognoscimus, quòd quando ignis v. g. generatur ex ligno apposito, quòd neque lignum redigitur in nihilum, neque quòd ignis ex nihilo fit: Ergo necesse est, quòd maneat aliquid ligni, ex quo præexistente fiat ignis; sed hoc præexistens non est forma ligni, ipsa enim corrumpitur: Ergo est materia prima: Ergo datur materia prima existens in rerum natura.

279. Quintò probatur, quia si ad generationem formarum substantialium non esset necessarium aliquod subjectum, ex quo tales formæ fierent, non essent necessariæ aliquæ dispositiones ad expellendam formam præexistentem, quæ corrumpitur; sed experientia constat, quòd ut ex ligno fiat ignis prius disponitur materia ligni per expulsionem talis formæ, & alias dispositiones: Ergo &c. Major probatur, quia si non esset aliquod subjectum, quod debeat disponi abjiciendo à se formam præexistentem, ut aliam de novo reciperet, tales præviæ dispositiones essent superfluæ, & impertinentes; contrarium constat: Ergo necesse est ponere aliquod subjectum, quod vocamus materiam primam. Probatur etiam ex Scoto q. 17. n. 5. *quia nullum esset subjectum commune* (materia prima scilicèt) *generanti, & genito, tum ad corruptionem unius non oporteret alterum generari, ex quo nihil esset eis commune*: Ergo &c.

280. His, & aliis rationibus communiter probant Philosophi dari materiam primam in rerum natura, quæ ita potissimè videatur aliquibus, quòd affirment Coimbricenses in hoc libro, cap. 9. q. 1. & Suarez 1. tom. Metaph. disp. 13. sess. 1. n. 4.

Murcia in sua Philos. disp. 5. q. 1. esse ita evidens dari materiam primam, ac est dari transmutationes substantiales; & quod magis est, Vasquez 1. part. q. 44. art. 2. affirmat esse de fide tenendum talem materiam dari, ita ut non possit negari sine errore, quod probat hac unica ratione: Concilium Lateranense sessione 8. decrevit animam rationalem esse verè formam informantem: ergo necessariò supponit Concilium dari aliquod, quod sit verè informatum ab anima; sed verè informatum non est aliud, quàm materia prima: ergo &c.

281. Dico tamen secundam conclusionem ad secundam partem quæsiti respondendo, quòd materiam primam esse nulla ratione potest demonstrari, quantumcunque certum sit tenendum ut probant rationes factæ supra. Hæc conclusio habetur expressè à Scoto in hoc 1. lib. q. 20. sub n. 8. §. tertia conclusio, cujus hæc sunt verba: *Nullus processus, quo devenimus in cognitionem materiæ primæ est demonstrativus*; & assignat rationem, patet ait Scotus, *quia non potest demonstrari, quin omnia fuissent ab æterno, vel etiam, quin omnia de novo generentur secundùm se tota &c.*: ergo ex mente Scoti, non potest demonstrari dari materiam primam.

282. Probatur hæc conclusio eadem ratione, qua probant contrarii esse evidens dari materiam sic, non potest magis demonstrari (ut ipsi ajunt) esse materiam primam ac esse transmutationes substantiales, sive novas formarum generationes, sed esse generationes novas, & transmutationes substantiales non potest demonstrari: ergo neque esse materiam primam. Major est ipsorum fundamentum; minor probatur ex eorum dictis: illud non est demonstrabile ut ait Scotus q. 6. n. 4. §. Secundò sciendum, quod non est natum fieri evidens per præmissas in syllogismo, sed per experientiam; sed esse novas generationes constat, ut ipsi ajunt, experientia, & per præmissas in syllogismo applicatas non possunt demonstrari: ergo materiam primam esse non est demonstrabile.

283. Et roboratur præcedens argumentum ratione Scotica n. 6. ejus quæst. 6. illa propositio non est demonstrabilis per scientiam naturalem, sive Philosophicam, qua non & aliqua notior in scientia naturali, per quam possit probari; sed materiam primam esse, ut ipsi fatentur, non est aliqua propositio notior in scientia naturali: ergo materiam primam esse non potest demonstrari in scientia naturali.

284. Et si quæras, quæ est propositio demonstrabilis? Respondeo ex Scoto quæst. 6. hujus, n. 4. §. sciendum est, *quòd propositio demonstrabilis est propositio necessaria dubitabilis, nata fieri evidens per præmissas in forma syllogistica ad invicem applicatas*. Unde per hoc, quod dicitur necessaria differt à propositionibus contingentibus, quæ sunt evidentes, ut evidens est mihi, quòd tu sedes; per hoc, quod dicitur dubitabilis excluditur principium per se notum, de quo non potest dubitari; per hoc, quod dicitur nata fieri evidens, excluditur propositio necessariò dubia, quæ nulla via potest declarari; v. g. certum est, quòd altera istarum duarum est necessaria, astra sunt paria, astra sunt imparia, & tamen, quæcunque illarum per nullam viam poterit declarari, per

 hoc,

hoc, quòd dicitur per præmissas in syllogismo applicatas, excluditur principium acceptum per experientiam, & de quo aliquando est dubitabile, ut v. g. dubium est inexperto, an omnis ignis sit calidus, & tamen illud est necessarium natum fieri evidens, & est dubitabile, id tamen non est demonstrabile, quia non est natum fieri evidens per præmissas applicatas in syllogismo, sed per experientiam tantùm.

285. Dico tertiam conclusionem; materiam primam esse licèt non possit demonstrari, potest tamen cognosci esse per argumentationem, & discursum saltem probabilem; quoad primam partem est Scoti n. 7. ubi supra ait: *materia prima non cognoscitur sine argumentatione, & discursu.* Et quòd talis discursus sit probabilis, patet ex ipso ibidem sub n. 8. §. tertia conclusio, in fine: patet igitur qualiter materia prima cognoscitur per analogiam ad formam, per discursum, & rationem, qui licèt non sint demonstrati, sive demonstrativi, tamen verisimiliores sunt aliis viis salvandi generationem, & corruptionem.

286. Non vult dicere Scotus in locis præfatis, ut bene notavit Pitigianus in suis annotationibus eadem q.n.26.quòd materia prima ex natura sua, & secundùm se non sit cognoscibilis, sed quòd non sit cognoscibilis à nobis, nisi per analogiam ad materiam artificialium, vel alia via, ut ait ipse Scotus in 2. dist. 12. q. 1. §. ad tertium. Probatur ratione Scoti n. 7. illud non cognoscitur sine argumentatione, & discursu, quod non est sensibile per se, vel per accidens; sed materia prima non est sensibilis per se, vel per accidens: ergo &c. Quænam sint argumentationes, & discursus per quos cognoscitur materia, ex prima parte hujus articuli patent.

287. Sed contra hanc rationem Scoti ipse insurgit probando, quòd materia prima sit sensibilis per accidens. Illud est sensibile per accidens, cui insunt sensibilia per se; sed materiæ primæ insunt sensibilia per se, scilicèt qualitates: igitur est sensibilis per accidens.

288. Respondet ibidem negando majorem, quia ad hoc ut aliquid dicatur sensibile per accidens, requiritur non solùm, quòd sibi insint sensibilia per se, sed quòd denominetur tale ab illis qualitatibus; & cum materia non denominetur à sensibilibus per se, quia non dicimus materia prima est alba, vel nigra, quia tales denominationes non competunt nisi composito, hinc est, quod compositum dicatur sensibile per accidens, non vero materia.

289. Ex quibus omnibus sequitur corollarium, quòd licèt verum sit, quòd datur prima à parte rei, non est tamen verum demonstrabile, nec ita firmum, quòd non possit negari, & argumentis illud probantibus fieri satis probabiliter, ut satis facit Scotus q. 17. hujus; & minus esse hanc de fide tenendam veritatem, ut vult Vasquez, neque authoritas Concilii coget nos illam fateri, cum possit salvari Concilium per hoc, quod subjectum, quod animæ rationali informatur, simul comproducatur cum anima, quod non posset ex Concilio improbari. Quibus præjactis, jam ad quæstionis petitum deveniamus. Quapropter sit

ARTI-

ARTICULUS TERTIUS,

In quo quæstionis quæsito fit satis, & quæ sit quidditas, & essentia materiæ primæ ex nostro Scoto elucidatur.

290. CUM ex dictis appareat, quòd omnis cognitio nostra Philosophica dependeat à sensibus, ait enim Philosophus 1. post. text. & comm. 1. quòd *nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu*; meritò ad indagandam materiæ primæ naturam per exemplum ad artificialia, quæ sunt verè sensibilia, devenire decrevi; quo exemplo usus est Philosophus 2. Physic. text. & cap. 22. ut refert Scotus lib. de rerum principio. q. 8. art. 3. n. 16. §. ista distinctio, in fine: *Si natura faceret domum, vel navem, faceret ea, sicut facit ars.* Ars igitur quando facit navem supponit necessariò materiam, in qua formam artificialem navis introducit: Ergo natura quando facit navem corporis substantialis supponit materiam, in qua formam substantialem corporis naturalis introducit.

291. Materia igtur, ut ex dictis articulo præcedenti habetur, non cognoscitur nisi per analogiam, & similitudinem rerum artificialum, ut dicit expresè Philosophus 1. Physic. cap. 7. text. 69. & loco cit. n. 19. §. quod tertiò: insinuavit Scotus. *Subjecta natura*, (id est materia prima) (verba sunt Philosophi) *scibilis est secundùm analogiam, sicut enim ad statuam æs, aut ad lectulum lignum, aut aliorum aliquod habentium* (id est introducentium) *formam in materia, & informe se habet priusquàm accipiat formam, sic ipsa se ad substantiam habet.*

292. Vult ergo Philosophus, quòd sicut in artificialibus illud appellatur materia, quod in se nulla gaudet artificiali forma, sed est quid informe potentiale, & indifferens ad hanc formam artificialem, vel ad illam, ut patet in ligno, quod de se indifferens materia est, ad hoc ut in illo forma navis, cathedræ, mensæ, statuæ, vel alia hujusmodi introducatur in ipso, ita similiter proportione servata in naturalibus illam materiam primam vocamus, quæ cùm quoddam Physicè incompletum, & informe sit, nulla gaudet forma Physica substantiali, immo indifferens quoddam potentiale subjectum est ad hanc formam substantialem ignis v. g. vel ligni habendam, sive quamcunque aliam.

293. Ut igitur analogia, similitudo, & proportionalitas inter artificialia, & naturalia undequaque splendescat, nota quòd sicut lignum v. g. ex eo quod sit materia, in qua introducitur forma mensæ, seu cathedræ,& similiter cera ex eo quod sit materia, in qua sigillum suam similitudinem exprimit, non dicitur,neque est lignum quid artificiale completum (etiam si in ratione ligni quid completum sit) immo incompletum quid materiale artificiale denominatur, quia est pars materialis artificiati, seu compositi ex ligno, tanquàm ex materia, & ex forma artificiali, tanquàm ex forma coalescentis, seu resurgentis; ita similiter materia prima ex eo quòd sit subjectum, in quo introducitur forma

forma naturalis ſubſtantialis, non eſt quid naturale ſubſtantiale completum, immò quid incompletum ſubſtantiale naturale denominatur, etiam ſi in ratione materiæ completa ſit, cum ex ſe, tanquàm ſubjectum formæ ſubſtantialis ordinetur ad totum ſubſtantiale compoſitum conſtituendum, quod ex ipſa materia, & forma ſubſtantiali conſurgit, & coaleſcit.

294. Secundò eſt notandum ex annotationibus in textum Scoti Franciſci Pitigiani in q. 20. ex 1. Phyſicor. ſub n. 27. §. poteſt etiam; quòd ſicut Deus optimus maximus cognoſcitur per negationem omnium imperfectionum, ut cum dicimus, Deus non eſt finitus, non eſt corporeus, non eſt creatus, non eſt compoſitus, non eſt temporalis &c. & hoc propter ſuam ſummam perfectionem, quæ unica definitione adæquatè nequit comprehendi. Sic ex oppoſito materia prima, propter ſuam imperfectionem, quatenus omni perfectione proveniente à forma caret, per excluſionem omnium perfectionum provenientium à formis, aliquando negativè cognoſcitur; & ita Ariſtoteles lib. 7. Metaph. cap. 3. textu, & comm. 8. materiam negativè definit his verbis: *Dico autem materia, quæ eſt ſecundùm ſe nullatenus, neque quid, neque quantitas, neque aliquid aliud eorum dicitur, quibus ens eſt determinatum.* Idem habet Scotus in lib. de rerum principio. q. 8. art. 1. ſub n. 4. §. hoc idem patet.

295. Hoc etiam modo explicandi materiam uſus eſt Auguſtinus lib. 12. confeſſionum, cap. 3. dicens: *Non erat* (ſupple materia) *aliquid, non color, non figura, non corpus, non ſpiritus, non tamen omnino nihil.* Et lib. de natuta boni cap. 18. aſſignat rationem quare ſic definierit materiam his verbis, ut videre eſt in Scoto lib. de rerum principio. q. 8. art. 1. n. 4. §. potes etiam materia. *Sed Hyle* (inquit) *dico* (ait Auguſtinus) *quandam penitus informem, & ſine qualitate materiam; unde iſtæ, quas ſentimus, qualitates formantur, quæ non per aliquam ſpeciem ſentiri, ſed per omnimodam ſpeciei privationem cogitari vix poteſt.* Unde apparet, quòd propter minimam perfectionem, quam ſibi vindicat materia, vix poteſt excogitari, & ſic per excluſionem omnium perfectionum definitur.

296. Tertiò eſt notandum ex Scoto in 3. diſt. 22. q. 1. n. 16. §. ad ſecundum, & ex 4. diſt. 12. q. 1. n. 19. verſ. & ſi objicias. & ex 2. diſt. 12. q. 1. n. 20. §. dico igitur; quòd etiam ſi materia prima ſecundum ſe, & ſua prædicata eſſentialia ſit cognoſcibilis, & definibilis, non tamen eſt definibilis à nobis propter dependentiam noſtri intellectus à phantaſmatibus, ut bene notavit commentator Scoti ſuper hanc quæſtionem 1. ex 2. ſub n. 11. §. reſpondet Doctor. & §. dico igitur, & ſic ſolùm abſtractivè, & arguitivè, valet à nobis attingi, & definiri.

297. Quartò eſt notandum, quòd hæc definitio, quam poſſumus abſtractivè materiæ accommodare, non eſt definitio purè quidditativa per prædicata intrinſeca, & eſſentialia, ſed neceſſe eſt illam in ordine ad formam definiri, tanquàm in ordine ad actum; unde ſicut notavit Scotus loco cit. in 4. ſicut accidens non poteſt definiri, nec cognoſci cognitione quidditativa intellectus, niſi definiatur in ordine ad ſubjectum, etiam

etiam si subjectum non sit intrinsecum, & essentiale accidenti, immo quid illi extrinsecum, & alterius naturæ; nec similiter forma substantialis potest definiri, nisi in ordine ad compositum, vel in ordine ad subjectum, quod per formam informatur; sic similiter materia prima non potest cognosci, nec definiri, nisi in ordine ad formam, cujus est subjectum potentiale, & compositum, quod ex tali materia, & forma consurgit, & hoc propter limitationem nostri intellectus, qui res, seu objecta, ut sunt in se, & secundum sua essentialia nequit attingere.

298. Quintò nota, quòd hæc mutua coexigentia, ratione cujus non potest intelligi forma sine materia, accidens sine subjecto, & materia sine forma, non est propter dependentiam formæ à materia, nec materiæ à forma, sed quia nulla forma potest habere conceptum quidditativum sui, nisi cointelligatur illud, cujus est forma, nempè materia; nec materia similiter valet habere conceptum quidditativum sui, nisi cointelligatur illud, cujus est materia, nempe forma. Accipite verba Scoti, quæ optimè dicta confirmant ex 4. dist. 12. q. 1. n. 18. §. per istud patet ad secundum dubium, quæ talia sunt: *Respondeo, quòd nec dependentia essentialis, & necessaria est causa, quare terminus dependentiæ addatur in definitione fundamenti dependentis, tunc enim Deus magis poneretur in definitione cujuscunque creati, quàm substantia in definitione accidentis; sed causa est, quia nulla forma potest habere conceptum perfectum quidditativum, nisi cointelligatur illud, cujus est forma.* Quid clarius?

299. His præjactis sic à Petro Hurtado de Mendoza in sua Philosoph. disp. 2. art. 1. §. 21. materia prima ex 1. Physicor. cap. 9. text. 82. definitur: *Materia prima est primum cujuscunque subjectum, è quo quidpiam eo fit pacto, ut non per accidens insit.* Quæ definitio, si bene perpendatur, facile poterit sustineri.

300. Accipite nihilominus aliam ex D. N. Scoto q. 20. ex 1. Physicor. ex expositione textus Philosophi. sub n. 35. §. & ponit Aristoteles &c. ubi hanc ex Philosopho loco citato ponit definitionem: *Materia prima est primum uniuscujusque subjectum, ex quo fit aliquid cum insit, non secundum accidens, & si corrumpitur aliquid in hoc abibit ultimum.* Quam definitionem sic explicat Scotus ibidem, & dicit Aristoteles *primum subjectum uniuscujusq;* ad differentiam materiæ secundæ, quæ non est prima, nec communis omnibus, sicut elementa caro, sanguis, & hujusmodi alia; *ex quo fit aliquid cum insit*, ponitur ad differentiam privationis, quæ non est pars inexistens toti: *& ponitur, & si corrumpitur &c.* ad differentiam formæ, inquam, compositum non corrumpitur, quia forma corrumpitur.

301. At quia Scotus solùm commentatoriè se habet in prædicta definitione, non approbando, sed præcisè definitionem Philosophi explicando, licet nobis ex verbis, tam Philosophi, quàm Scoti definitionem assignare, quæ clariori stylo utriusque mentem adaperiat, & eis, quæ supra ex mente ejusdem Scoti tradidimus, conformior evadat, quæ talis erit: *Materia prima est primum subjectum substantiale, ex quo omne corpus naturale completum, sive compositum substantiale fit, tanquàm ex principio materiali,*

riali, cum ei insit primò, & per se, & non secundùm accidens, & si corrumpitur aliquid, hoc est compositum, in hoc abibit ultimum.

302. Quod autem hæc definitio sit optima discretio materiæ ex ejus explicatione patebit. Prima igitur particula ordine intelligentiæ quamvis in scriptione secunda, est *subjectum*, & est ratio quasi generica, per quam convenit materia compositi naturalis, cum materia compositi artificialis, quia sicut lignum v. g. est subjectum, in quo introducitur forma artificialis cathedræ, sive mensæ, ita materia prima est subjectum, in quo introducitur forma substantialis; convenit etiam per prædictam particulam materia prima cum materia secunda, quæ est compositum substantiale, quia sicut compositum substantiale est subjectum accidentalium formarum, sic materia prima est subjectum formarum substantialium.

303. Per illam particulam *primum* differt materia prima à materia secunda, quæ est compositum, & à materia artificialium, quia materia ideo primum denominatur subjectum, quia ordine generationis est primum subjectum, & principium, quod necessariò supponitur, & ad alia comprincipia, & ad principiatum, & potissimè, quia in ratione materiæ, ita est prima in constitutione compositi, quod non supponit aliam materiam primam, quia jam non prima, sed secunda diceretur, at verò materia secunda, id est compositum, sive materia artificialium v. g. lignum, licèt sit subjectum, non est primum, quia necessario supponit materiam primam, ex qua, tanquam ex primo subjecto Physicè componitur.

304. Per si *substantiale*, quod est tertia particula, excluditur subjectum accidentale, ut quantitas v.g. quæ est subjectum aliorum accidentium, licèt non terminet ultimatè dependentiam accidentium, quæ in illa subjectantur; & idem dico de aliis accidentibus, quæ tanquàm subjectum se habent, in quo alia accidentia fundantur, sive subjectantur.

305. Quarta particula est, ex quo omne corpus naturale fit &c. per quam causæ extrinsecæ compositi ut finalis, & efficiens excluduntur, quæ non sunt, ut patet ex dictis in dist. 1. de principiis corporis naturalis. art 3. §. dico tertiam conclusionem, corporis naturalis principia, & solùm convenit per prædictam particulam cum forma substantiali, ex qua, & materia corpus naturale fit; quamvis noster Gaspar de Fuentes in sua Philosophia lib. 1. q. 2. art. 1. n. 3. asserat, per hanc etiam particulam materiam distingui à forma, sed ratio ejus inefficax, & minus ejus principiis conformis videtur.

306. Quinta particula, *tanquàm ex principio materiali*. Per quam differt materia prima à forma substantiali, quia licèt forma substantialis sit principium ex quo compositum, seu corpus naturale fit, & in hoc cum materia prima conveniat, tamen non fit corpus naturale ex forma, tanquàm ex principio materiali, sed tanquàm ex actu Physico substantiali.

307. Sexta particula est, *cum insit*; per quam excluditur materia alterationis (videte quæ n. 264. hujus distinctionis diximus) quæ non manet in composito, licèt sit, ex qua, tanquàm ex materia alterationis, seu tanquàm ex termino, à quo fit compositum;

tum; excluditur similiter privatio, quia ex illa non fit corpus naturale, tanquàm principio seu parte intrinsecè componente, sed tanquàm ex termino à quo negativo.

308. Septima particula est *primò, & per se*, quæ est expositiva alterius, *& non secundùm accidens*. Per quam significatur, & quòd materia est pars intrinsecè & essentialiter constituens compositum (videte quæ n. 161. 163. & 172. primæ distinctionis diximus) & quòd compositum, sive causatum ex materia prima non est ens per accidens, sed per se compositum substantiale completum.

309. Octava, & ultima particula est, *& si corrumpatur compositum, in hoc abibit ultimum*. Per quam denotatur, quomodo se habeat compositum, & quoad generationem, & quoad corruptionem, nam quando generatur primum, quod ad ejus generationem requiritur, & supponitur, est materia prima, ut n. 304. diximus, & quando corrumpitur ultimum, quod manet ex corrupto est eadem materia prima, in qua stat ultimò resolutio compositi, hoc est, omnibus aliis corruptis, ipsa sola incorruptibilis manet.

310. Nunc probatur dicta definitio materiæ per particulas, & primò quoad primam particulam, videlicèt, quod sit *primum subjectum*. Illud est primum subjectum in aliqua linea, quod non supponit aliud in eadem linea; sed in linea, & ordine generationis, & corruptionis naturalis Physicæ, materia prima non supponit aliud subjectum, cùm ipsa sit primum: ergo &c. Minor probatur, nam major ex se constat, quia in omni ordine causarum efficientis, formalis, & finalis, est dare aliquod primum, ne in infinitum processio detur: ergò & in genere materiæ debemus dare aliquam primam, ad quam altera non supponatur; ergo materia prima est subjectum primum: ex Scoto 2. dist. 12. q. 1: n. 8: §. item.

311. Quoad secundam particulam, videlicèt, quòd tale subjectum primum sit substantiale, probatur ratione Scoti ibidem: materia prima est primum receptivum essentialiter in genere substantiæ: ergo est substantia; probatur consequentia, quia primum receptivum naturale non est nisi in ordine ad primum actum; sed primus actus substantialis est: ergo & primum receptivum naturale debet esse substantia; patet consequentia, quia substantia non nisi in substantia recipitur.

312. Quoad tertiam particulam, videlicèt, ex quo omne corpus, sive compositum naturale substantiale fit, cum ei insit &c., & ad alias usque ad septimam: probatur, quia omne corpus, sive compositum naturale fit Physicè compositivè ex subjecto, sive Physica potentia componente, tamquàm ex parte materiali essentiali: ergo materia est ex qua compositum substantiale fit: probatur, quia materia prima est pars essentialis, & intrinseca compositi: ergo &c.

313. Quoad ultimam particulam probatur, nam quod est primum in compositione, est posterius in ejus resolutione (ordo enim resolutionis contrarius est ordini compositionis) sed materia prima est primũ in compositione compositi substantialis: ergo in resolutione abibit ultimum; & quod maneat incorruptibilis probatur, quia quod est commune genito, & corrupto, nec corrumpitur, nec

nec generatur; materia prima est communis genito, & corrupto, eadem enim materia, quæ erat in corrupto est quæ manet postea in genito: ergo nec corrumpitur, neque generatur.

314. Nunc probatur quoad collectionem omnium quæ diximus, quod scilicèt sit bona definitio: illa est propria, & legitima definitio, quæ ita competit definito, quod nulli alteri possit adaptari; sed definitio à nobis tradita pro materia prima ita convenit illi, ut nulli alteri possit adaptari: ergo est propria; quod sit bona probatur; quia illa est bona definitio, quæ datur per genus, & differentiam, seu per aliquid quod induat rationem generis, & aliquid quod gerat rationem differentiæ; definitio tradita sic se habet: ergo est bona.

ARTICULUS QUARTUS,

Utrum materia sit ita pura potentia passiva, ut nullum includat actum Metaphysicum, Physicum, vel entitativum?

315. CUM ex dictis n. 302. appareat, quòd materia prima est primum subjectum, ex quo tanquàm ex parte materiali, sive ex potentia Physica compositum substantiale, seu corpus naturale fit, & ex n. 292. & 293. habeamus, quòd materia sit, & denominetur potentia, sive quid potentiale, meritò inquirimus modò, an ita pura potentia sit, quòd nullum includat actum.

PARS PRIMA,

In qua aliqua præmittuntur ad intelligentiam quæsiti necessaria.

316. PRO cujus intelligentia est notandum, quòd potentia multipliciter sumitur, dividitur igitur primò potentia in Physicam, Metaphysicam, & Logicam, ut videre est in Scoto 9. Metaph. q. 2. sub n. 2. §. hic primò videndum. Potentia Logica (ait Scotus n. 3. ibidem) *est modus quidam compositionis factus, ab intellectu causatus ex habitudine terminorum illius compositionis, scilicèt, quod non repugnat.* Id est, est quædam non repugnantia aliquorum prædicatorum inter se; ut v.g. hæc propositio mundus erit, antequàm à Deo produceretur, fuit vera, quia mundum esse non dicit repugnantiam; & hæc potentialitas Logica, sive non repugnantia in omni ente creato invenitur, quia omne ens dicit non repugnantiam ad existendum, & in hac consideratione opponitur impossibili, & est idem ac possibile.

317. Potentia Metaphysica præcisè sumpta (verba sunt Scoti, ubi supra n. 5.) *est ordo illius essentiæ ad esse*: sicut in essentia animæ fundatur potentia ad suum esse. Potentia ergo Logica, sive non repugnantia, quæ reperitur inter animal, & rationale ad uniri in tertio, in homine videlicèt, dicitur potentia Logica. Potentia vero Metaphysica est ordo, qui fundatur in animali rationali ad esse existentiæ, sive ad esse simpliciter, & ista Metaphysica potentia necessariò supponit potentiam Logicam, tanquàm fundamentum, in quo fundatur. Unde (concludit Scotus) hæc propositio, possi-

possibile est hoc esse, plus explicat, quàm illa, hoc est possibile, quia illa includit fundamentum, & terminum, secunda verò solùm dicit fundamentum, in quo fundatur potentialitas ad terminum, putà existentiam; sed hæc potentiæ objectivæ divisio est, non subjectivæ, ut infra dicemus.

318. Ex quibus sequitur corollarium, quòd possibilitas Logica solùm dicit non repugnantiam aliquorum in se; ut v.g. possibile est hominem esse album, id est, albedo non repugnat in esse homini; & hæc non repugnantia solùm attenditur penes extrema, quæ comparantur secundùm suas entitates intrinsecas, abstrahendo ab omni existentia. Unde ut bene notavit Scotus n. 3. si per impossibile nulla esset potentia activa, etiam divina, quæ posset unire hominem, & albedinem in existentia, adhuc esset verum dicere, possibile est hominem esse album; at vero potentia Metahysica supra possibilitatem Logicam addit ordinem, sive respectum ad existentiam pro aliqua temporis differentia, & illud est possibile Metaphysicè, quod non solùm possibile est esse, sed etiam possibile est existere. Vide Scotum loco cit. & in 1. dist. 43. q.1. §. aliter n. 6. & 7. & dist. 49. q. unic.

319. Ulterius potentia Metaphysica comparata ad Metaphysicum actum, & non ad actum existendi, & illa, quæ in linea Metaphysicæ determinationis caret actu Metaphysico, & est per illum determinabilis, ut animal v. g. quatenus est quid potentiale, & determinabile per rationale, & irrationale, dicitur in potentia Metaphysica respectu rationalitatis, & irrationalitatis: ens quatenus quid contrahibile per finitum & infinitum; & ens finitum, quatenus est contrahibile quid per decem genera entium, sive per decem prædicamenta, & in hac consideratione solùm ens ut sic in sua communissima ratione sumptum, quatenus abstrahit à Deo, & à creatura est in pura potentia Metaphysica, quia ita est quid indeterminatum, & vagum, quod non includit actum Metaphysicum determinatum, cum ex se conceptus potentialis indissolubilis sit.

320. Secundò dividitur potentia Physica in activam, & passivam, & hoc prima sui divisione, ad quam omnis alia divisio potentiæ debet reduci. Ita expresè Scotus noster 9. Metaphysicæ q. 4. n. 7. cujus hæc sunt verba: *Ex dictis apparet, quòd sufficienter dividitur potentia in activam, & paßivam prima sui divisione.* Potentia activa sic describitur à Philosopho nono Metaphysicæ, cap. 1. text. & comm. 2. *est principium transmutationis in alio, in quantum aliud est.* Et 5. Metaph. cap. 11. text. & comm. 17. *Principium mutationis, aut motus, dicitur potestas in altero, aut in quantum alterum.* Sive ut explicat Scotus ibidem & 1. Physicor. q. 14. n. 3. §. quantum ad primum. *Potentia activa est principium transmutandi aliud, in quantum aliud.* Alias subdivisiones hujus potentiæ activæ omitto apud Scotum, quæst. 11. ibidem videndas.

321. Sed quia prædicta definitio non potest accomodari potentiæ activæ creatæ, quæ non est transmutativa potentia, ut bene notavit Scotus lib. 9. Metaph. q. 4. n.1. ideo ait n. 8. §. ex prædictis patet, quòd illa definitio potentiæ activæ, quam tradit Philosophus solùm est definitio potentiæ

 activæ

activæ Physicæ, & non omnis activæ potentiæ; & sic aliam tradit definitionem pro activa potentia, quæ sic se habet. *Est autem potentia activa* (verba sunt Scoti in fine §. dicti) *secundùm ejus unam significationem, Metaphysicè loquendo* (hoc est universaliter) *primum agendi agibile; secundùm aliam principium actuandi actuale.* In prima definitione comprehenditur omnis causa activa; in secunda omnis forma, quæ quatenus actuat actuabile, sive materiam, dicitur causa activa, sive potentia activa.

322. Potentia passiva sic definitur à Philosopho locis supra citatis n. 65. ut habet expresè Scotus in hoc 1. lib. Physicor. q.14.n.3.ubi supra. *Potentia passiva est principium transmutandi ab altero, in quantum ab altero.* Et à Scoto loco n. 66. cit. sic describitur universaliter. *Potentia vero passiva secundùm unam ejus significationem est principium, ex quo aliquid potest mutari. Secundùm aliam est principium actuandi passivè ab actu activo; secundùm aliam est principium actuabile, sive informabile ab actu sive à principio actuali.* 9. Metaph. q. 4. n. 8. §. ex prædictis in fine.

323. Hac triplici definitione definitur potentia passiva ab Scoto secundùm triplicem ordinem, seu respectum, quem dicit passiva potentia ad principiatum, sive compositum in ordine ad quod definitur à Scoto, cum dicit: *est principium ex quo aliquid potest mutari.* Secundò in ordine ad efficiens, quatenus dicit; *est principium actuandi passivè ab actu activo.* Tertiò in ordine ad formam, quam recipere potest, quatenus ait: *est principium actuabile, sive determinabile ab actu, sive à principio actuali.*

324. Ita Scotus 9. Metaph. q. 11. n. 2. §. ad quæstionem dicendum, & q. 4. n. 5. in fine, & num. 6. *Quod triplex relatio est potentiæ passivæ, scilicet ad principiatum, ad efficiens, & ad formam*, & secundùm istum triplicem respectum, triplicem assignat Scotus potentiæ passivæ terminum, si consideretur in ordine ad compositum, ejus terminus est ipsum compositum ex tali materia coalescens; si consideretur in ordine ad principium activum, sive efficiens, ejus terminus est, quod habet virtutem activam transmutandi, sive informandi materiam, hoc est, quod gaudet viribus ad educendam formam de materia, & illam in materia introducendam; si consideretur in ordine ad formam, ejus terminus est omnis forma, quæ nata est informare, sive actuare materiam, qui actus debet esse realiter distinctus à materia, ut ait Scotus 9. Metaph. q. 10. n. 2. §. ad quæstionem.

325. Ulterius potentia dividitur in objectivam, & subjectivam, & hæc divisio est maximè hîc notanda, prout ad præsens attinet institutum. Hanc divisionem tradit Scotus expresè in 2. dist. 12. q. 1. n. 10. §. est igitur videndum, & 1. Physic. q. 10. & lib. de rerum principio q. 7. art. 1. & 9. Metaph. q. 2. n. 8. & 8. ejusdem q. 4. sub n. 2. §. sed ista via. Potentia objectiva sic describitur à Scoto 9. Metaph. q. 2. n. 8. §. ulterius in medio. *Potest dici potentia objectiva, quatenus totum est in potentia ad existentiam, & non in actu* (& exemplificat Scotus his verbis) *sicut essentia animæ creandæ est in potentia ad suum esse.*

326. Itaque illud ens in hac acceptione dicitur in potentia objectiva, quod nondum est

est extra causas, sed tantùm est in statu possibilitatis ad existendum (vide, quæ diximus de possibili Metaphysico n. 62.) & ista potentia dicitur à Scoto potentia ad esse proprium, & simpliciter illius, quod est in potentia, à distinctione simpliciter possibilis, quod habet esse tantùm objectivè, sive secundùm quid, & hoc quod est esse in potentia objectiva est proprium cujuscunq; essentiæ substantialis, vel accidentalis, quia ut ait Scotus, *ita essentia accidentis, sive albedinis est in potentia ad proprium esse suum* (id est ad esse existentiale, quod esse simpliciter vocatur) *sicut essentia animæ creandæ est in potentia ad suum esse*; hoc est ad propriam existentiam.

327. Potentia subjectiva sic à Scoto ubi supra definitur. *Potentia subjectiva est illius, quod præter esse proprium natum est recipere aliud esse ab alio, & ita quando non habet illud, est in potentia* (scilicèt subjectiva) *ad illud.* Et ponit exemplum Scotus his verbis: v. g. *corpus non album est in potentia* (supple ad albedinem) *quod est esse ejus secundùm quid, & extrinsecum.* Itaq; potentia objectiva vocatur à Scoto, potentia ad esse simpliciter existentiæ, ut albedo v. g. quando est in virtute suæ causæ tantùm est in potentia objectiva ad existendum, sive ad esse simpliciter, tanquam ad quid intrinsecum albedini: corpus quod jam existit dum non habet albedinem est in potentia subjectiva ad albedinem, tanquàm ad quid accidentale respectu corporis, & sic dicitur ista potentia à Scoto, potentia secundùm quid.

328. Aliis terminis explicantur à Scoto istæ potentiæ in 2. dist. 12. q. 1. n. 10. scilicèt potentia objectiva vocatur potentia ut terminus, hoc est illud dicitur in potentia objectiva, quod potest esse terminus creationis, sive actionis productivæ. Potentia vero subjectiva dicitur, quatenus aliqua res potest esse in potentia ut subjectum ad recipiendum aliquod esse ab actu informante; sed ista explicatio coincidit cum prima, & sic jam una, jam altera utitur Scotus.

329. Quamquàm igitur prima potentiarum objectivæ, & subjectivæ explicatio, sit explicatio rigorosa, tamen ut è medio omnis æquivocatio tollatur, dico cum Scoto in eodem 9. Metaph. q. 4. n. 11. §. ad argumenta in medio, quòd potentia objectiva, seu ut verius loquar; illud ens dicitur in potentia objectiva, quoad habet esse in virtute suæ causæ tantùm, & non est productum, sed tantùm est producibile, & hoc sive sit substantia, sive accidens, sive forma, sive materia. Et illud est in potentia subjectiva, quod habet esse extra causas, & habet propriam existentiam, potestque recipere aliquam formam ab alio. Scotus 12. Metaph. q. 2. n. 8. Secunda (id est subjectiva potentia) non est cujuslibet entis, quia non est nisi illius, quod præter esse proprium, natum est recipere aliud esse ab alio, v. g. corpus non album est in potentia ut sit, non simpliciter, sed ut sit album, quod est esse secundùm quid.

330. Ex quibus apparet, quòd quando Scotus lib. 5. Metaph. q. 9. n. 21. & 9. ejusdem quæst. 2. & aliis in locis ait, quòd actus, & potentia dividunt ens, loquitur de potentia objectiva, & de actu entitativo, sive subjectivo, & est idem ac dicere, quod omne ens, vel est in potentia objectiva, hoc

est in statu possibilitatis, vel in actu entitativo, hoc est realiter extra causas, & habet esse à parte rei. Ita Scotus in 2. dist. 12. q. 1. n. 11. *Sed oportet tunc quòd sit in potentia subjectiva existens in actu, vel actus secundum quid &c. omne illud dicitur esse in actu, vel actus, quod est extra causas suas.*

331. Sed est notandum ex Scoto lib. 9. q. 3. n. 7. & 12. §. ad argumenta. *Quòd divisio entis per actum, & potentiam* (verba sunt Scoti) *non est divisio generis per differentias essentiales, sed est magis subjecti per passiones oppositas, quæ dicunt modum illius subjecti.* Vult dicere Scotus quòd ens in actu, & ens in potentia non distinguuntur, nisi penes diversitatem status, in quibus consideratur, quia ens in potentia est in statu possibilitatis, & ens in actu in statu existentiæ; & sic concludit §. dicens, *quòd prædicta divisio entis quasi divisio animalis per vivum, & mortuum.* Quod patet, quia Petrus possibilis, sive in potentia objectiva non distinguitur essentialiter à se ipso, prout in potentia subjectiva est, sive prout existens, nisi per diversum statum possibilitatis, vel existentiæ, cum eadem prædicata essentialia habeat Petrus possibilis, ac habeat existens.

332. Insuper est notandum, quòd triplex est actus, de quibus nunc in præsenti articulo quærimus, an aliquo eorum gaudeat materia prima, videlicèt actus Metaphysicus, Physicus, vel entitativus? actus Metaphysicus in ordine ad potentiam Metaphysicam sic definitur (vide quæ diximus n. 321.) est prædicatum differentiale contractivum, & determinativum alicujus prædicati communis ad esse talis, v. g. rationalitas, quæ est, quæ determinat animal ad esse rationale, & quodcunque aliud differentiale, sive alia quævis differentia quæ determinat Metaphysicam potentiam, seu prædicatum genericum, & communi ad esse in tali, & tali determinato esse substantiæ, vel accidentis, & iste actus Metaphysicus in ente creato reperitur, cum omne ens creatum constet ratione communi, quæ dicitur potentia Metaphysica, & ratione differentiali quæ dicitur Metaphysicus actus.

333. Ulterius actus Metaphysicus subdividitur in completum, & incompletum; actus Metaphysicus completus est differentia determinativa alicujus rationis communis, & constitutiva alicujus entis completi, ut v. g. rationalitas, quæ est hominis constitutiva, qui quidem homo est ens completum, & voco ens completum illud, quod per se non ordinatur ad constituendum aliud, tanquam pars ipsius, & hoc sive tale ens completum sit substantia, sive accidens, absolutum, sive respectivum: unde albedo est ens completum, quia per se non ordinatur ad constituendum aliud, & quantitas, & substantia, & omnia illa, quæ in recta linea prædicamentali ponuntur, unde eorum differentiæ actus Metaphysici completi appellantur.

334. Actus Metaphysicus incompletus est actus differentialis alicujus entis partialis, & incompleti constitutivus, & voco ens partiale, quod de per se ordinatur ad constituendum aliud, tanquàm pars illius, ut v. g. materia, & forma, quæ de per se ad constitutionem totius ordinantur, & non ponuntur in prædicamentali serie directè, sed reductivè ratione compositi, & similiter

ter partes integrales hominis, v. g. caput, pedes, brachia &c., quæ licèt habeant actum differentialem, vocatur talis actus incompletus, quia ens constitutum per ipsum, quid incompletum, & partiale est.

335. Actus Physicus sic in ordine ad potentiam Physicam definitur, est actus substantialis actuans, & determinans materiam, seu potentiam Physicam materiæ, & unum per se compositum cum materia constituens; v. g. forma substantialis aquæ est actus Physicus determinans materiam, ad hoc ut sit materia aquæ, & forma ligni est actus determinans materiam, ad hoc ut sit materia ligni, quæ quidem materia secundùm se indifferens Physicè erat ad esse sub forma ligni, potius, quàm sub alia. Videte n. 294.

336. Ex quibus sequitur corollarium, quòd actus Physicus, & Metaphysicus, sicut & potentia Physica, & Metaphysica multipliciter conveniunt, & multipliciter differunt; conveniunt enim in hoc, quod sicut ens quod est in potentia Metaphysica, animal v.g. est quid indifferens, & determinabile per rationale, & irrationale, ita quod animal secundùm se non petit magis determinari per actum Metaphysicum rationalitatis, quàm per actum Metaphysicum irrationalitatis; sic similiter materia prima, sive potentia Physica est quid indifferens ad determinari per hanc potius formam, seu actum Physicum, quàm per aliam, & sicut rationalitas est actus, qui determinat Metaphysicè animal ad esse determinatum hominis v. g. & irrationalitas determinat animal ad esse bruti, sic forma, sive actus Physicus, ignis v. g. determinat materiam, quæ secundùm se est indifferens ad esse sub hac forma potius, quàm sub alia, ad hoc ut sit materia in hoc determinato ignis, potius, quàm in alio.

337. Conveniunt similiter potentia Physica, & Metaphysica, in hoc, quòd sicut animal v. g. ex se, & in suo conceptu formali, non dicit Metaphysicè, neque includit actum Metaphysicum rationalis, vel irrationalis; sic similiter potentia Physica, sive illud ens, quod est in potentia Physica, non includit, immo excludit à suo Metaphysico conceptu omnem formam substantialem, sive omnem actum, per quem potest determinari, quia unumquodque in ea linea, qua est potentia, non includit actum.

338. Differunt tamen primò, quia indifferentia, quæ reperitur in animali v. g. respectu rationalis, & irrationalis, est indifferentia Metaphysica solùm, quatenus Metaphysicè loquendo non petit animal ad sui constitutionem Metaphysicam rationale, neque irrationale, at vero indifferentia, quæ datur in potentia Physica respectu formarum est indifferentia Physica, quatenus Physicè, & realiter potest esse sine hac, & sine illa forma, & fortè sine utraque. Differunt similiter actus Metaphysicus, & Physicus, quia actus Metaphysicus determinat, v. g. rationalitas animal ad esse determinatum hominis, tanquàm differentia, seu actus realiter identificatus cum animali, & cum homine; at vero actus Physicus v. g. ignis, sive forma ignis determinat materiam, ad hoc ut sit potius materia ignis, quàm alterius, tanquàm actus Physicus realiter distinctus, tam à materia, quam determinat Physicè, quàm à composito constituto ut ignis.

339. Diffe-

339. Differunt similiter potentia Metaphysica, & Physica, quia licèt animal v. g. quod est in potentia Metaphysica ad hoc ut contrahatur per rationale, & irrationale excludat à suo conceptu formali, tam rationalitatem, quàm irrationalitatem, non tamen excludit rationale, vel irrationale à suo conceptu reali, cum realiter identificetur animal cum rationalitate. At verò potentia Physica non solùm excludit à suo conceptu formali actum Physicum, sed etiam à suo conceptu reali, cum realiter potentia Physica à suo Physico actu distinguatur, & sine illo possit (ut inferius dicemus) inveniri, & istæ omnes convenientiæ, & differentiæ sunt maximè memoriæ mandatæ, tam ad hîc, quàm alibi dicenda, intelligenda.

340. Actus entitativus nihil aliud est, quàm actualitas rei, sive esse actuale, prout terminat actionem dantem illi esse, & secundùm quod tale esse distinguitur ab esse objectivo, sive possibili. Ita expressè Scotus in 2. dist. 12. q. 1. n. 16. cujus hæc sunt verba. *Dico igitur, quòd mihi est contradictio, quòd materia sit terminus creationis, & pars compositi, & quòd non habeat aliquod esse, cùm tamen sit aliqua essentia.* Ex quibus apparet, quòd actus entitativus non est aliud, quàm prædicata essentialia constitutiva rei in esse actuali, sive actualia, sive ista actualitas sit existentia, sive quid ab existentia distinctum, de quo non disputo modo.

341. Unde hallucinatus est cursus Carmelitanus, quem sequitur Rubio in suo 1. Physicor. tract. 1. de materia prima, q. 1. n. 17. quatenus asserunt D. nostrum S. intellexisse per actum entitativum aliquem actum transcendentalem in omnibus rebus repertum, illisque eo quod existant subsequutum. Quod nunquam somniavit Scotus, cum dicat, quòd illud esse, quod habet materia, secundùm quod est terminus creationis, est actus entitativus, hoc est esse actuale, quo in esse actuali constituitur; ait enim Scotus: *est mihi contradictio, quòd non habeat aliquod esse, cùm tamen sit aliqua essentia.* Vide Scotum in lib. de rerum principio. q. 7. art. 1. His præjactis ad quæsitum per conclusiones respondebo, quapropter sit

PARS SECUNDA,

In qua ad quæsitum articuli per quatuor conclusiones fit satis.

342. DICO primam conclusionem. Materia prima nullum dicit actum Metaphysicum completum, immò, neque est in potentia Metaphysicè completa. Videte n. 78. & 79. Hæc conclusio habetur expressè à Scoto lib de rerum principio q. 7. art. 1. n. 7. cujus hæc sunt verba: *illa actualitas materiæ omnino est indeterminata, nullius generis, vel speciei, nisi per reductionem ad genus substantiæ decernatur, & specificetur per formam.* Hanc conclusionem debent sequi omnes Scotistæ, qui rigidè doctrinæ Scoti velint adhærere, illamque amplexatur Rubio 1. Physicor. tract. primo de materia q. 2. n. 20.

343. Probatur nostra conclusio ex dictis n. 335. & 336. sic: Quod est ens incompletum non habet actum Metaphysicè completum; sed materia prima est ens incom-

incompletum: ergo non habet actum Metaphysicè completum. Major probatur, quod est ens incompletum non ponitur directè in serie prædicamentali; sed quod non ponitur directè in serie prædicamentali non habet actum Metaphysicè completum; ergo quod est ens incompletum non habet actum Metaphysicè completum. Minor probatur; illud est ens incompletum, quod de per se Physicè ordinatur ad constituendum aliud, tanquàm pars ad totum; sed materia prima de per se ordinatur ad constitutionem totius, tanquàm pars illius: ergo est quid incompletum: ergo non habet actum Metaphysicè completum.

344. Dico secundam conclusionem: materia prima habet actum Metaphysicè incompletum, constatque vero genere, & vera differentia partiali, ratione cujus ponitur, licèt indirectè, reductivè saltem in prædicamento substantiæ. Hæc conclusio est expressa D. N. S. locis supra citatis, quem sequuntur omnes Scotistæ, & quod magis est ex opposita familia Toletus in 1. Physicor. q. 13. Pererius 5. Physic. cap. 13. Suarez in sua Metaph. disp. 13. sess. 4. n. 9. Murcia disp. 5. q. 3. Hurtado de Mendoza in sua Physica disp. 2. sess. 2. n. 22. & 30. éstque contra D. Thomam 1. part. q. 66. art. 1. qui omnem actum negat materiæ, quem sequuntur omnes Thomistæ. Ita Complutenses 1. Physic. disp. 3. q. 2. Conimbricenses hîc q. 9. art. 1. & 2. Cajetanus, & alii.

345. Probatur conclusio: materia prima habet aliquam entitatem licèt partialem, quæ reductivè ponitur in prædicamento substantiæ: ergo habet aliquem actum Metaphysicum, sive differentialem, ratione cujus reducitur magis ad prædicamentum substantiæ, quàm ad aliud. Antecedens probatur; materia prima prout condistincta à forma habet sua prædicata essentialia, per quæ in esse materiæ constituitur: ergo habet aliquam entitatem per ista prædicata constitutam. Antecedens probatur, quia esse *primum subjectum* ex quo, sunt prædicata positiva, quæ conveniunt materiæ, prout à forma distinguitur: ergo habet aliqua prædicata sui constitutiva. Prima consequentia probatur; quia illud ens quod reductivè ponitur in uno prædicamento potius, quàm in alio, habet aliquem actum Metaphysicum, sive differentialem ratione cujus potius in tali prædicamento, quàm in alio collocatur; materia prima ponitur saltem reductivè in prædicamento substantiæ, cùm ex se substantia saltem incompleta sit: ergo habet aliquem actum differentialem, ratione cujus ejus entitas potius in prædicamento substantiæ, quàm in alio collocatur.

346. Dico tertiam conclusionem: materia prima non est pura potentia objectiva, sive non est ens in statu meræ possibilitatis, prout distincta à forma, sed habet actum entitativum, hoc est materia prima est ens actuale, etiam prout distincta à forma habens actualitatem sibi propriam, ratione cujus potest terminare actionem creativam, per quam accipit esse actuale distinctum à forma. Hæc conclusio habetur expressè à Scoto in 2. dist. 12. q.1. n.11. & lib. de rerum principio q. 7. art. 1. n. 2.

Scotum ſequuntur omnes ejus diſcipuli, & ex contrariis Murcia in ſua Philoſophia diſp. 5. de materia 1. q. 3. Gregorius in 2. diſt. 1. & 12. q. 1. Gabriel ibidem. Antonius Andreas 7. Metaphyſicæ. q.8. Simplicius, & Themeſtius 1. Phyſic. text. 61. Toletus q. 13. Pererius 5. Phyſic. cap. 13. Durandus in 2. diſt. 12. q. 1. Molina prima parte q. 3. art. 4. diſp.2. Suarez 2. tom. Metaph. diſp. 31. Vazquez 1. tom. in primam partem diſp. 74. n. 9.& 2. tom. diſp. 174. n. 19. Hurtado de Mendoza in ſua Philoſophia diſp. 2. de materia 1. ſect. 6. n. 55. eſtque jam hac tempeſtate à communi omnium fere conſenſu amplexata.

347. Probatur concluſio rationibus, quibus eam probat Scotus ubi ſupra: quod eſt principium intrinſecum entis, ſive compoſiti naturalis habentis verum eſſe in actu, eſt ens in actu, ſive actuale; ſed materia prima eſt principium intrinſecum compoſiti naturalis actualis: ergo materia prima eſt ens actuale, ſive in actu entitativo. Probo majorem, quod eſt principium intrinſecum entis, ſive compoſiti actualis terminat actualem dependentiam ſui principiati, hoc eſt compoſiti; ſed quod non eſt actuale non poteſt terminare dependentiam actualem alterius: ergo ſi materia terminat dependentiam compoſiti actualis nequit non eſſe actuale.

348. Major hujus confirmationis probatur: Omne principiatum dependet à ſuo principio: ergo omne principium dependentiam ſui principiati terminat: ergo ſi principiatum eſt actuale, actualiter dependet à principio: ergo principiũ terminat actualiter dependentiam ſui principiati. Minor probatur, quia quale eſt principiatum tale debet eſſe principium, & è converſo; ſed principiatum, compoſitum videlicèt, eſt actuale: ergo materia prima, quæ eſt ejus principium, debet eſſe actuale. Et roboratur hæc ratio, quia ex principiis non actualibus non poteſt principiari principium actuale: ergo ſi principiatum actuale principiatur à materia, materia neceſſariò erit quid actuale.

349. Secundò probatur; quod eſt per ſe cauſa intrinſeca entis, ſive compoſiti actualis, debet eſſe quid actuale, actualiter exiſtens; ſed materia prima eſt cauſa per ſe intrinſeca compoſiti actualis: ergo materia prima eſt actualis, ſive actualiter exiſtens. Major probatur; quia cauſa, quæ actualiter non eſt, nequit cauſare quod actualiter eſt; nam ut ait Scotus in 2. diſt. 12. q. 1. n. 11. §. præterea. *Cum principiatum, & cauſatum dependeat à cauſa ſua, & à principio ſuo, ſi eſſet nihil, vel non ens* (ſupple actuale) *dependeret ens à nihilo vel non ente, quod eſt impoſſibile.* Minor probatur ex Philoſopho 2. Phyſic. text. & comm. 28. ubi ait: *Uno igitur modo cauſa dicitur, ex quo fit aliquid, cum inſit, ſicut æs ſtatuæ.* conſequentia eſt legitima: ergo &c.

350. Tertiò probatur etiam ratione Scoti: materia prima eſt pars compoſiti realis actualis: ergo materia prima eſt ens reale actuale. Antecedens eſt Philoſophi, qui 7. Metaphyſicæ, text. & comm. 24. ait: *Materia pars eſt, ineſt enim, & fit hoc.* Et text. & comm. 34. *Et quod ex his eſt quidem, ut materia pars alicujus dicitur.* Conſequentia probatur, quia ex partibus non realibus actualibus nequit componi compo-

ſitum

ſitum actuale reale, nam pars in eſſe poſſibili nequit componere compoſitum in eſſe actuali: Ergo ſi materia prima eſt pars compoſiti actualis, debet eſſe pars actualis.

351. Quartò probatur concluſio Scotico fundamento in 2. cit. & lib. de rerum principio q. 7. art. 1. n. 3. §. item. Secundum omnes Philoſophos materia prima eſt in potentia ad formas ſubſtantiales, & eſt omnium formarum receptiva; Ergo habet aliquam entitatem actualem, ratione cujus eſt capax recipiendi formas actuales. Conſequentia probatur, quia ſi materia prima non eſſet quid actuale: Ergo eſſet nihil actuale, ſed nihil ad nihil eſt in potentia: Ergo ſi eſt aliquid, & in potentia Phyſica ad formas ſubſtantiales habet aliquod eſſe actuale, ſecundùm quod poteſt ipſas recipere; patet conſequentia, quia illud quod eſt in potentia objectiva, hoc eſt in virtute ſuæ cauſæ, non eſt capax recipiendi aliquam formam, ut v. g. Antichriſtus, qui modo eſt in potentia objectiva, ſive in eſſe poſſibili non eſt capax actualiter recipiendi actualiter albedinem: Ergo ſi materia prima eſt actualiter capax recipiendi formas ſubſtantiales, debet eſſe quid actuale extra cauſas, & non in eſſe poſſibili.

352. Quintò probatur ratione Scoti, quæ habetur ſub n. 10. in 2. cit. & §. iterum arguo ſic: materia prima aliter ſe habet quando eſt v. g. ſub forma ignis, ac antea ſe habebat, quando erat ſub privatione formæ ignis: Ergo materia prima prout diſtincta à forma ignis habet aliquam entitatem actualem, ſive eſt aliquod ens actuale. Antecedens probatur, quia ſubjectum transmutationis ſubſtantialis aliter ſe habet, quàm antea ſe habebat; ſed materia prima eſt ſubjectum tranſmutationis ſubſtantialis: Ergo aliter ſe habet per ipſam tranſmutationem; conſequentia probatur, quia quod eſt ſub privatione actuali, & tranſit per mutationem ad habendam formam, qua antea erat privatum, debet eſſe quid actuale extra cauſas, quod enim eſt in virtute cauſæ non habet privationem actualem, nec formam; materia prima eſt hujuſmodi: Ergo &c.

353. Sextò probatur ratione Scoti, quæ habetur lib. de rerum principio loco citato ſub n. 3. §. item: poſſe pati ad materiam reducitur, ſicut poſſe agere ad formam, ſed quod non eſt aliquid actu, non eſt principium patiendi, nec fundamentum: Ergo neceſſariò habet materia actualitatem ab actualitate formæ. Probatur conſequentia, antecedens enim ab omnibus admittitur: poſſe agere ſupponit actualitatem in forma: Ergo poſſe pati ſupponit actualitatem in materia; patet conſequentia, quia ſicut, quod non eſt actuale, non poteſt actualiter agere, ita quod non eſt actuale, non poteſt actualiter pati.

354. Septimò probatur etiam ratione Scoti, quæ ibidem habetur: materia prima in compoſito ſubſtantiali actualiter diſtinguitur à forma: Ergo habet eſſe actuale, per quod diſtinguitur à forma. Antecedens eſt indubitatum, conſequentia probatur; omnis diſtinctio realis actualis, eſt relatio realis: Ergo neceſſariò petit fundamentum actuale, in quo actualiter fundetur, quia quod non eſt non diſtinguitur: Ergo ſi materia prima diſtinguitur actualiter à forma, habet eſſe actuale, in quo fundatur talis diſtinctio: Ergo &c.

355. Octavò probatur etiam ex Scoto in 2. citato: quod est terminus creationis habet aliquod esse actuale extra causas, ratione cujus terminat actionem creativam; sed materia prima prout distincta à forma est terminus creationis, ut omnes fatentur: Ergo habet esse actuale, per quod terminat talem creativam actionem. Major probatur, quod terminat creationem prout ab alio distinctum, accipit esse distinctum ab alio per talem actionem, nam creatio est totalis productio rei ex nihilo: Ergo quod est terminus creationis habet aliquod esse actuale, ratione cujus terminat creativam actionem.

356. Minor prætérquàm quod ab omnibus est admissa, probatur authoritate D. Augustini lib. 13. confessionum cap. 33. ubi loquens de materia ait: *de nihilo, non à te, non de te facta sunt, non de te aliqua, non de tua, vel quæ antea fuerit, sed de concreata, id est simul à te creata materia, qui ejus informitatem absque ulla temporis interpositione formasti.*

357. Consequentia probatur: materia prima prout distincta à forma creatur, & terminat creationem: Ergo materia prima ponitur extra causas ex vi talis actionis: Ergo habet aliquam actualitatem condistinctam ab actualitate formæ; patet consequentia, quia quod est extra causas est quid actuale; materia prima est extra causas ex vi creationis: Ergo ex vi creationis habet esse actuale distinctum ab actualitate formæ; patet consequentia, quia inintelligibile est, quod materia prima accipiat esse per actualem creationem, & quod tale esse, quod accipit, non sit actuale.

358. Nonò probatur etiam fundamento Scotico, quod habetur in 2. citato. n. 10. §. & iterum arguo, sic in fine: quia si materia prima esset ens in potentia objectiva tantùm, sive in esse possibili: Ergo jam ex ente possibili, & actuali posset fieri compositio actualis: Ergo ex Angelo in esse possibili, & ejus existentia potest fieri Physica compositio: Ergo omne ens creatum, quod prius fuit in esse possibili, si transeat ad existendum dabitur Physica compositio, quod nullus somniavit; quòd si potentia objectiva non sufficit ad compositionem Physicam cum existentia: Ergo requiritur actualitas potentiæ ad talem compositionem: Ergo materia, quæ compositum componit necessariò est actualis habens actum entitativum.

359. Decimò probatur conclusio authoritatibus Divi Augustini, qui lib. 12. confessionum, cap. 3. de materia agens ait: *Non erat aliquid, non color, non figura, non corpus, non spiritus, non tamen omnino nihil:* Ergo ex mente Divi Augustini materia prima est aliquid actuale à Deo factum, atque creatum. Et lib. de natura boni cap. 18. ait: *Habet enim & ipsa* (supple materia prima) *capacitatem formarum, nam si capere impositam ab artifice formam non posset, nec materies utique diceretur: porrò si bonum aliquod est forma, proculdubio bonum aliquod est etiam capacitas formæ;* sed forma est aliquod bonum actuale: Ergo materia, quæ est capax illius boni formæ est quid actuale, quia quod actuale non est, non est capax boni actualis. Alias rationes omitto apud Scotum videndas, & dicta pro hac nostra conclusione sint satis.

360. Dico

360. Dico quartam conclusionem; materia prima est pura potentia subjectiva Physica, nullum includens Physicum actum, seu formam. Hæc conclusio ab omnibus utriusque scholæ admittitur, nullusque est circa illam controvertendi locus; & probatur ratione: in illo ordine, seu linea, qua aliquid est potentia non includit actum ejusdem lineæ; sed materia prima in ordine Physico est prima potentia: Ergo materia prima in ordine Physico nullum includit essentialiter Physicum actum.

361. Probatur ulterius: materia prima est realiter distincta à forma Physica, & ab illa separabilis: Ergo materia prima nullum includit essentialiter Physicum actum. Antecedens experientia constat, materia enim prima, quæ est sub forma ligni, destructa forma ligni per adventum formæ ignis, sub ipsa manet, & desinente illa manet sub alia: Ergo nulla est de intrinseca ejus ratione; patet consequentia, quia si aliqua forma Physica esset de intrinseca ratione materiæ, destructa illa formā, destruetur & materia; sed hoc non evenit: Ergo &c.

Argumenta contra dicta.

362. PRimò arguitur contra nostram primam conclusionem, quæ asserit materiam primam non habere actum Metaphysicè completum, ut videre licet n. 343. Materia prima etiamsi quatenus ordinatur ad componendum corpus naturale, quid incompletum, & partiale sit, tamen secundum se considerata, & prout materia prima est, quid complētum est: Ergo habet actum Metaphysicè completum. Antecedens probatur: illud est completum in aliquo ordine, quod in eodem ordine non petit compleri, sed materia prima prout talis non petit compleri in ratione materiæ, nec principii: Ergo materia prima prout talis quid completum est.

363. Et confirmatur: illud quod adæquatè habet actum Metaphysicum distinctivum, habet actum adæquatum Metaphysicè constitutivum, sed materia prima habet adæquatè actum Metaphysicè distinctivum: Ergo habet actum adæquatè Metaphysicè constitutivum. Major ex terminis constat; minor probatur: illud habet actum adæquatè Metaphysicè distinctivum, quod adæquatè secundùm se distinguitur à quocumque alio; sed materia prima adæquatè secundùm se distinguitur à quocunque alio, quod non est ipsa: Ergo &c.

364. Respondeo ad argumentum negando majorem, & ad ejus probationem concedo majorem, & nego minorem. Licèt enim materia in ratione materiæ non egeat complemento quoad essentialia materiæ prædicata, tamen quia in ordine Physico ordinatur ad constituendum Physicum totum, Physicè incompleta est, & egens Physico complemento, quod à forma accipit; & quod in ordine Physico incompletum est, etiam in Metaphysico quid incompletum censetur; Metaphysica enim à Physicis sumunt exordium, in rebus corporeis maximè, & sufficit, quod claudicet in uno ordine, ut in utroque claudicare dicatur; *bonum enim* (ut ait Theologorum receptissimum axioma) *ex integra causa, malum autem ex quocunque defectu.*

365. Ad confirmationem vero respondeo concedendo majorem, & negando minorem, & ad ejus probationem respondeo similiter concedendo majorem, & negando minorem; distinctio enim cum sit passio, vel proprietas entis, sequitur naturam entitatis, & si entitas est adæquata, adæquata etiam erit distinctio à quocunque alio quod non est tale, & si entitas inadæquata est, erit similiter ejus inadæquata distinctio, quomodo enim ab homine inadæquato, adæquata passio hominis valebit oriri? & licèt materia prima per ejus definitionem secernatur à quocunque alio, quod non est ipsa, ejus tamen distinctio, seu differentia est inadæquata, non quia aliquam convenientiam cum aliis admittat, cum nulli alteri ejus definitio adæquatè vel inadæquatè possit adaptari; sed quia entitas materiæ inadæquata est, ejus differentialis actus inadæquatus necessariò erit.

366. Secundò arguitur contra eandem conclusionem, & est validissimum argumentum, quod à contrariis potest efformari: etiam si forma substantialis, quæ est alterum comprincipium compositi naturalis in ordine Physico, quid incompletum sit, & Physicè ordinetur ad constituendum Physicum totum, tamen in ordine Metaphysico quid completum est: ergo à simili etiamsi materia prima in ordine Physico sit quid incompletum ordinatum ad aliud Physicè componendum, in ordine Metaphysico quid completum erit, habens actum Metaphysicè completum; patet consequentia, quia in utroque par militat ratio.

367. Antecedens quoad primam partem, videlicèt quod forma substantialis in ordine Physico sit quid incompletum est evidens; quoad secundam vero, quod in ordine Metaphysico sit quid completum probatur primò ex Philosopho, qui 10. Metaphysicæ, text. 14. & 5. cap. text. 9. & aliis in locis sæpissimè ait *quod omnis distinctio est per formam*; sed propter quod unumquodque tale, & illud magis: ergo si omnis adæquata distinctio fit per formam, potiori jure adæquatè distinguitur ipsa forma, & habebit actum adæquatè constitutivum, & distinctivum.

368. Secundò probatur authoritate D. S. qui in lib. de rerum principio q. 7. art. 1. apponens discrimen inter actualitatem, quam materiæ ibidem concedit, & actualitatem formæ, hæc profert verba, *Differunt etiam quia illa actualitas materiæ omnino est indeterminata nullius generis, vel speciei &c. actualitas autem formæ actu existentis est actualitas determinata, quia omnis actualitas formæ, vel est cœlica, vel vitrea, vel lignea, etiam considerata in se sine materia, & composito.* Hæc ultima pensate verba: ergo ex mente Scoti forma etiam à composito, & materia separata habet actum Metaphysicè adæquatum, ratione cujus ponitur in determinata specie, quod non habet materia, cum nullius generis sit, vel speciei, ut ait Scotus: ergo &c.

369. Respondeo ad hoc argumentum negando antecedens quoad secundam partem, videlicèt, quòd forma substantialis habeat actum Metaphysicè completum, cum ipsa Physicè incompleta sit, & ad ejus probationem ex authoritate Philosophi respondeo explicando authoritatem, & dico, quòd Philosophus ait, quòd omnis distinctio

ctio est per formam totius, non vero per formam partis, quæ est alterum principium compositi, de qua nunc agimus, & de prima forma totius verum est, quod Philosophus ait, falsum autem si de forma partis intelligatur (quæ sit forma totius, & forma partis infra suo loco dicemus) & si demus, licèt non concedamus, quòd Philosophus agit ibi de forma partis, adhuc non tenet argumentum, quia Philosophus ibi non intendit, nisi quod materia non habet ex se esse materiam ignis, vel ligni, nisi à forma ignis vel ligni determinetur, & specificetur, & sic distinctio quæ magis nobis innotescit formæ est, sive per formam, non verò materiæ, cum materia per analogiam ad formam (ut ipse ait) cognoscatur, sed non inde sequitur, quod habeat actum Metaphysicè completum.

370. Ad confirmationem ex authoritate Scoti eadem distinctione, & explicatione respondeo, quod ibi Scotus ait, quod actualitas formæ ex se, & à composito, & materia separata est, est determinata hujus speciei, vel generis ignis, ligni, vel cœli, quod libenter concedo, cæterum non ait Scotus, quòd forma separata habet actum Metaphysicum completum, ratione cujus ponitur directè in prædicamento, sed solum intendit, quòd forma est, quæ actuat, & determinat materiam, ad hoc ut materia cœli, aquæ, vel ligni sit, cum ex se materia indifferens sit utrumlibet; non tamen ex hoc infertur actus Metaphysicus formæ adæquatus, immo ob eandem rationem, qua dicimus materiam non habere actum Metaphysicè adæquatum, idem asserimus de forma substantiali, quæ solùm reductivè ponitur in prædicamento, ex eo quod quid incompletum sit.

371. Tertiò arguitur: ideo materia prima non habet actum Metaphysicè completum, quia de per se ordinatur ad constituendum totum, & ex hoc capite quid incompletum est; sed hæc ratio est nulla: Ergo &c. Major est fundamentum, quo nostra probatur conclusio; minorem, in qua est difficultas, sic probo; datur aliquod ens, quod de per se ordinatur ad constituendum aliud, & nihilominus directè ponatur in linea prædicamentali, habeatque actum Metaphysicè completum: Ergo etiamsi materia prima de per se ordinetur ad constitutionem totius, nulla est ratio, quapropter hoc illam excludit à recta linea prædicamentali, & actu Metaphysicè completo. Probo antecedens, etiamsi animal de per se ordinetur, tanquam pars, sive genus ad constituendum animal rationale v. g. nihilominus Metaphysicè quid completum est, & directè positum in linea prædicamentali: Ergo ratio, quam adstruimus, nulla est.

372. Et si dicamus, quod illud quod ordinatur de per se ad Physicam compositionem alterius est quid incompletum, non verò quod ordinatur de per se ad Metaphysicam alterius constitutionem, cujusmodi est animal. Contra insurgo: illud quod ordinatur de per se in aliqua linea ad constituendum aliud in eadem linea, quid partiale est, sed quidquid est partiale est incompletum in linea qua est pars: Ergo si animal in genere Metaphysico ordinatur per se ad constituendum alium hominem v. g. in eadem linea animal quid partiale erit, & incomple-

tum,

tum & nihilominus ponitur in recta serie prædicamentali: ergo &c.

373. Et adhuc solutione data sic contra insurgo: ergo illud quod ordinatur de per se ad Metaphysicam constitutionem alterius potest poni directè in recta serie prædicamentali, habereque actum Metaphysicè completum: concedent consequentiam stando in dicta solutione. Tunc sic: ergo rationalitas v. g. etiamsi per se ordinatur ad Metaphysicam constitutionem totius compositi Metaphysicè, hominis videlicèt, potest per se collocari in recta linea prædicamentali, & idem dico de aliis differentiis, quæ ponuntur ad latus, quod nullus sanæ mentis concedit. Hoc argumentum cum suis confirmationibus posui exercitii gratia, solutionem quærite; si dicta bene consideretis, & ad memoriam revocaveritis conditiones, quæ requiruntur ad hoc ut aliquid directè ponatur in prædicamento, facilis erit solutio, quam consultò omitto.

374. Quartò arguitur contra nostram tertiam conclusionem, quæ n. 348. habetur, quatenus asserit materiam primam habere actum entitativum (nam argumenta, quæ contra secundam nostram conclusionem efformari possunt, ferè nulla sunt, & sic omittuntur) authoritate Philosophi ex 7. Metaphysicæ text. & comm. 8. ubi ait: *dico autem materia, quæ secundum se nullatenùs, neque quid, neque quantitas, neque aliquid aliud illorum, quibus ens determinatur.* fol. 225. sed si materia prima esset ens actuale extra causas, vel esset *quid*, hoc est substantia, vel quantitas, vel aliquid ex prædicamentis, quibus ens determinatur: ergo si ut ait Philosophus nullatenus aliquid horum est, nullatenus habet actum sibi proprium entitativum.

375. Respondeo ad argumentum ex Scoto in 2. dist. 12. q. n. 8. quod Philosophus non loquitur ibi ex mente propria, sed arguendo contra oppositum opinantes ex eorum fundamentis. Vel si velis dare quòd Philosophus ibi loquatur ex proprio cerebro, respondeo, quòd bene ait Philosophus, quòd materia non est *quid*, nec quantitas &c formaliter, & directè, quia nullum prædicamentum formaliter prædicatur in quid de materia directè, & adæquatè, cæterum non negat Philosophus, quod de materia uon prædicetur saltem partialiter, quod sit substantia, cum sit pars substantialis compositi, cùm ibidem Philosophus affirmet, *alia namque de substantia prædicantur, hæc verò de materia*: ergo ex mente Philosophi substantia prædicatur de materia saltem partialiter, & incompletè, ex quo nil contra nos.

376. Quintò arguitur authoritate Avicennæ 5. Metaph. cap. 5. ubi ait: *Materia est quoddam quod non habet esse per se ullo modo, neque est in effectu, nisi per formam*: ergo ex mente Avicennæ materia prout à forma distincta, & separata non habet esse actuale, vel entitativum.

377. Respondeo primò quòd sic opinatur Avicenna, & nihil inde contra nos, qui ejus non sequimur sententiam. Secundò propter tanti Magistri authoritatem respondeo explicando textum, & dico quòd ibi Avicenna solùm intendit probare, quòd materia non potest esse naturaliter in effectu, vel extra sine forma, quod nos libenter

concedimus; cæterum non negat Avicenna materiæ propriam entitatem, & actualitatem condistinctam à forma, cùm dicat, *quòd materia est quoddam* (supple ens) *quod accipit esse per formam*, supple informationis, & actuationis.

378. Sextò arguitur authoritate Divi Augustini, qui lib. 12. confess. cap. 6. ait: *Si vellem prorsus omnino informe cogitare, & non poteram; citius enim non esse censebam, quod omni forma privaretur, quàm cogitabam quiddam inter formam, & nihil.* Et paulò infra: *Si dici posset nihil, aliquid est, & non est, hoc eam dicerem.* Ex quibus verbis sic formo discursum. Eandem implicationem involvit hæc prædicatio, *nihil aliquid est, & non est*, ac ista materia prima prout præscindit à forma est quid actuale; sed prima non est admittenda, ergo neque secunda.

379. Ad primam authoritatem respondeo, quod ibidem vocat Augustinus *materiam prope nihil*, quæ verba authoritati deficiunt, & vocare illam *prope nihil*, non est dicere materiam esse nihil; immo in eodem 12. confess. cap. 3. ait idem Augustinus: *Non erat aliquid, non color, non figura, non corpus, non spiritus, non tamen omnino nihil*: Ergo aliquid. Sed quod intendit Augustinus est, quòd materia est tam parvæ quantitatis, & perfectionis, quod est prope nihil. Ad secundam authoritatem ex eodem, respondeo quòd conditio illa *si* nihil ponit in esse, & sic ait Augustinus: *Si nihil posset dici, aliquid est, & non est, hoc eam dicerem*; sed sic est, quod de nihilo non potest dici, quod est aliquid, & quod non est aliquid: Ergo nec de materia prima, quòd est aliquid actuale, & quòd non est aliquid actuale, cùm necessariò ex eo quòd causa actualis compositi sit, petit esse aliquid actuale, & sic nil contra nos.

380. Septimò arguitur authoritate Philosophi, cui nititur omnis Thomistica Schola q. 1. Physic. text. 78. ait: *Res naturales fieri ex non ente in actu, ente tamen in potentia*: Ergo ex mente Philosophi materia prima non est ens in actu, sed in potentia: ergo nullum includit actum. Et similia verba habet Philosophus 1. de Generatione, cap. 3. Item ex eodem Philosopho, qui 8. Metaph. text. 3. ait: *Materiam vero dico, quæ non hoc aliquid ens in actu, potestate tamen est hoc aliquid.* Et pluribus aliis in locis materiam vocat puram potentiam, & negat esse ens actuale: Ergo non habet actualitatem ullam.

381. Respondeo ad has, & similes authoritates Philosophi, quòd Philosophus ibi non negat materiam primam esse ens actuale habens propriam entitatem, distinctam ab entitate formæ, sed quod negat est, quòd sit ens actuale, hoc est actuatum, & informatum à forma prout ab illa separatum, quod non concedimus. Et quando Philosophus ait, quòd materia non est ens in actu, sed in potentia, debet intelligi non in actu Physico, sive in esse actuato; sed in potentia Physica ad formam Physicam, includens tamen actualitatem, ratione cujus potest esse in potentia ad formas Physicas actuales. Ita Scotus in 2. dist. 12. q. 1. n. 12. & 13.

 382. Q...

382. Octavò arguitur: in rerum natura datur aliquod ens, quod ita sit purus actus, quòd nullam includat potentiam passivam, scilicet Deus: ergo debet dari aliquod ens: quod ita sit pura potentia passiva, ut nullum includat actum, sed hoc nequit esse aliud nisi materia prima, quæ est quæ maximè distat à Deo: ergo materia nullum includit actum etiam entitativum.

383. Respondeo concedendo antecedens, & distinguendo consequens: ergo debet dari in rerum natura aliquod ens, quod ita sit pura potentia passiva, ut nullum includat Physicum actum, sive formam, concedo consequentiam; ut nullum includat actum entitativum, nego consequentiam; immo nego suppositum consequentis, quòd possit dari aliquod ens in rerum natura, quod istum actum non includat, quia est implicatio in adjecto, quòd sit ens in rerum natura, & quòd non habeat actum entitativum, cùm actus entitativus nihil aliud sit, quam actualitas entis in rerum natura existentis.

384. Nonò arguitur, & est argumentum, quod contra se facit Scotus in 2. dist. 12. q. 1. n. 2. quia si materia esset ens in actu, sive actuale, omnis generatio esset alteratio, sed hoc est falsum: ergo & illud ex quo sequitur. Probo majorem, quia omne, quod advenit enti in actu est accidentale: ergo si materiæ in actu advenit forma, cum illa constituit ens accidentale: ergo generatio erit alteratio; Antecedens probatur ex Philosopho 1. de Generatione text. & comm. 1. & 23. ex eo probat contra antiquos Philosophos, quòd subjectum generationis, non potest esse ens in actu, ut ipsi affirmabant, quia quod advenit enti in actu est quid accidentale illi: ergo si nos ponimus materiam, quæ est generationis subjectum, esse ens in actu, omne quod advenit materiæ erit accidentale, & sic generatio, quæ terminatur ad istud accidentale, non generatio substantialis, sed alteratio accidentalis erit.

385. Respondeo ex eodem Scoto ibidem n. 15. negando majorem, & ad ejus probationem respondeo explicando authoritatem Philosophi, quæ ponitur pro antecedenti in argumento; omne quod advenit enti in actu completo & Physico est illi accidentale, concedo, nam isto modo quidquid composito, quod est ens completum advenit, illi accidentale, & non substantiale est, cùm nihil substantiale ex eo quod completum expectet ad sui complementum: omne quod advenit enti in actu entitativo incompleto est illi accidentale, nego, nam ex eo quod quid incompletum substantiale, sit expostulat substantialiter ab alia substantia compleri: Ad argumentum Philosophi contra antiquos respondeo, quod antiqui ponebant subjectum generationis esse ens completum, alii terram, alii aërem &c. contra quos arguit Philosophus, quia omne, quod advenit enti in actu completo, est illi accidentale, & per consequens generatio non substantialis, sed accidentalis alteratio erit. Quod argumentum tenet contra ipsos, non vero contra nos, qui subjectum generationis ponimus materiam, quæ est ens in actu non completo, sed incompleto.

386. Decimò arguitur: ex duobus entibus in actu non potest fieri unum per se; sed

ſed forma eſt ens in actu, ut ex ſe patet, & ſimiliter materia eſt ens actuale, ut nos concedimus: Ergo ex materia, & forma nequit fieri unum per ſe totum; ſed hoc eſt falſum: Ergo & illud ex quo ſequitur. Major probatur; quia ideo ex ſubjecto corpore v. g. & accidenti ſecundùm omnes Philoſophos fit unum per accidens, quia corpus eſt ens in actu, & ſimiliter accidens: Ergo ſi materia eſt ens actuale, & ſimiliter forma ex eis nequit fieri unum per ſe.

381. Reſpondeo ex Scoto ibidem n.13. & 15. diſtinguendo majorem, ex duobus entibus in actu non poteſt fieri unum per ſe, ſi ſint entia in actu ultimato, & completo, concedo majorem; ex duobus entibus incompletis, & partialibus in actu nequit fieri unum ens per ſe, nego; immò ad hoc ut fiat aliquod ens per ſe actuale, requiritur, quòd partes, ex quibus actualiter componitur, ſint entia in actu, licèt incompleta, & partialia. Ad confirmationem majoris reſpondeo diſtinguendo majorem, ideo ex ſubjecto & accidenti fit totum per accidens, & non per ſe, quia ſunt entia actualia accidens, & ejus ſubjectum, nego; quia ſubjectum, corpus videlicet, eſt quid completum, & non exſpectat compleri ab accidenti, concedo; at vero cùm materia ſit quid incompletum, quod formæ complementum exſpectat, hinc eſt, quòd ex ipſa actuali, & forma actuali, etiam tanquàm ex duobus per ſe partibus reſultet quoddam ens per ſe, nempe compoſitum.

388. Undecimò arguitur: materia prima eſt pura potentia ſubſtantialis: Ergo materia prima caret omni actu ſubſtantiali; antecedens patet, nam ex communi Philoſophorum conſenſu, & ex dictis à nobis, potentia ſubſtantialis appellatur materia prima; conſequentia probatur, in illa linea, & ordine, quo aliqua eſt, & dicitur potentia, caret actu ejuſdem lineæ, & ordinis, ſed materia prima eſt pura potentia in ordine ſubſtantiæ, dicitur enim potentia ſubſtantialis: Ergo caret actu entitativo ſubſtantiali.

389. Reſpondeo diſtinguendo antecedens, materia prima eſt pura potentia ſubſtantialis entitativa, nego; eſt pura potentia Phyſica ſubſtantialis, concedo; & ad ejus probationem concedo majorem, & diſtinguo minorem, dicitur pura potentia entitativa, id eſt carens actu entitativo, nego; dicitur pura potentia ſubjectiva carens actu Phyſico informante, concedo, & nego conſequentiam; itaque materia prima dicitur pura potentia ſubſtantialis, non quia caret actu entitativo ſubſtantiali, cùm ſit entitas actualis, quæ eſt ſubſtantia, ſed quia cùm ſit entitas ſubſtantialis, quæ eſt in potentia ſubjectiva ad actum Phyſicum, ipſo caret, & eſt in potentia ad ipſum.

390. Duodecimò arguitur: materia prima nullam habet operationem: Ergo nullum habet actum, etiam entitativum; Antecedens eſt certum; materia enim prima eſt potentia paſſiva, & non activa. Conſequentia probatur: omnis actus eſt alicujus operationis principium; ſed materia prima nullius operationis eſt principium: Ergo nullum habet actum. Et confirmatur, quia ſi materia haberet actum ſaltem entitativum eſſet cognoſcibilis per ſe, & per ſe poſſet per ſuam entitatem movere intellectum, & cauſare ſui cognitionem; ſed materia prima

non est cognoscibilis per se ex Philosopho) Metaphysicæ cap. 12. text. 31. fol. 268. n. 87. ubi ait; *materia quidem ignota secundùm se:* Ergo nullum habet actum, qui sit alicujus operationis principium.

391. Ad argumentum respondeo primò concedendo, sive omittendo antecedens, & negando consequentiam, & ad ejus probationem distinguo majorem: omnis actus est alicujus operationis principium, si est actus completus, & specificus, concedo; si est actus entitativus partialis, & passivus, qualis est materiæ primæ, nego. Ad ejus confirmationem concedo majorem, & distinguo minorem, materia non est cognoscibilis à nobis pro isto statu, in quo omnis cognitio nostra dependet à phantasmatibus, concedo; non est cognoscibilis in se, id est, nequit movere intellectum separatum causando sui cognitionem, nego; videte quæ diximus n. 41.

392. Secundò respondeo negando antecedens, materia enim prima est principium activum, vel quasi activum, tum respectu compositi; quia ex forma, & materia unitis efficitur causa adæquata compositi, sive tertiæ entitatis, quæ ab ipsis, quasi effectivè pullulat, & resultat; tum respectu formæ substantialis, quæ ab ipsa educitur, respectu cujus non se habet merè passivè, sed præbendo influxum effectivum; tum respectu quantitatis, & aliorum accidentium sibi connaturalium, nam si materia prima sola, & à forma separata conservaretur à Deo, ipsa suam produceret quantitatem, & accidentia sibi connaturalia; tum respectu relationis, quæ in ipsa fundatur, fundamentum enim est principium activum relationum, quæ fundantur in ipso; tum respectu actionis intentionalis, cum possit materia secundùm se, sui cognitionem & speciem causare in intellectu à phantasmatibus separato saltem; & sic falsum est, quòd materia prima non sit activa, etiamsi potentia passiva appelletur, quia ejus munus proprium, & principale, non est agere, sed recipere, non tamen ab actione privatur. Argumenta autem quæ contra nostram quartam conclusionem possunt efformari nullius sunt momenti, & sic illa omittimus, & dicta pro isto articulo sint satis, ut ad alia transeamus.

ARTICULUS QUINTUS,

Utrum iste actus entitativus, quem materiæ primæ concedimus, sit existentia materiæ, vel ab illa distinguatur; & dato, quòd sic; utrum materia prima existat existentia formæ?

393. CUM ex dictis articulo præcedenti à n. 91. usque ad 104. inclusivè stabilitum maneat, materiam primam habere actum entitativum, quem dicimus materiam habere, etiamsi pura potentia subjectiva sit, meritò in præsentiarùm inquirimus utrum iste actus entitativus, quem dicimus materiam habere sit ejus existentia, vel aliquod prædicatum de linea quidditandi, & essentiæ?

394. Circa quam difficultatem duplex versatur opposita sententia. Prima affirmat actum entitativum esse quid distinctum ab existentia. Ita Rubius in sua Philosophia, tract. 1. de materia prima q. 2. ubi post-

postquam n. 15. §. & sit prima assertio, fatetur materiam primam habere propriam existentiam, n. 16. negat ipsam habere actum entitativum. Ita Conimbricenses 1. Physicor. q. 9. art. 1. & 2. Complutenses disp. 3. q. 2. per totam. Fonseca 1. Metaph. cap. 7. q. 3. sect. 8. & alii, qui etiam pro se citant Divum Thomam, & Cajetanum.

395. Sed quidquid sit de sententia Divi Thomæ. Secunda sententia, & à nobis firmiter defensanda conclusio affirmat actum entitativum, quem adstruimus habere materiam primam, nihil aliud esse, quàm ejus existentiam. Hæc conclusio habetur expresse à *Scoto* locis supra citatis, & præcipuè in 2. dist. 12. q. 1. n. 16. ubi ait: *Dico igitur, quòd mihi est contradictio, quòd materia sit terminus creationis, & pars compositi, & quòd non habeat aliquod esse, cùm tamen sit aliqua essentia, quòd enim aliqua essentia sit extra causam suam, & quòd non habeat aliquod esse* (supple actuale) *quo sit essentia, est mihi contradictio.*

396. Pro cujus intelligentia nota, quòd existentia nihil aliud est, quàm actualitas essentiæ, quam res accipit, si est creata per eandem actionem, qua accipit esse, & ponitur extra causas. Ita Scotus pluribus in locis, & præcipuè lib. de rerum principio, q. 17. art. 1. n. 2. cujus hæc sunt verba: *Esse existentiæ, per quam scilicèt actu existit in re, inquantum est terminus creationis, vel alicujus actionis.* Et §. 3. hoc patet, *quia cuilibet rei acquiritur esse existentiæ per generationem, vel creationem, vel per aliquam actionem* &c.

397. Itaque idem existere est, ac extra causas sistere, sive esse; unde omnis res, quæ est in rerum natura extra causas, sive quæ transit de esse possibilis ad esse existentiæ, dicitur existens, seu habere existentiam. Quod esse existentiæ per esse actuale explicatur; unde idem est esse aliquam rem actualem, ac esse existentem, & cùm dicimus materiam habere actum, sive esse entitatem actualem, idem est, ac dicere esse existentem.

398. Secundò nota, quòd existentia non distinguitur realiter à re existente (utrum autem distinguatur formaliter, necne? controversia est ad Metaphysicam spectans) ita Scotus in 3. dist. 6. q. 2. & in 1. dist. 33. q. 1. & in 1. dist. 2. q. 2. quem omnes Scotistæ sequuntur, & ex opposita familia Suarez 1. tom. suæ Metaph. disp. 13. sect. 4. & 3. part. q. 6. disp. 17. sect. 2. Vasquez 1. part. tom. 1. disp. 74. n. 9. Gabriel in 1. dist. 12. q. 2. estque his temporibus fere apud omnes accepta.

399. Probatur primò conclusio: materia prima habet proprium actum entitativum, sive proprium esse actuale distinctum ab esse actuali formæ, ut manet probatum: Ergo habet propriam existentiam: patet consequentia, quia esse actuale idem est, ac esse existentiale; habet esse actuale: Ergo & existentiale.

400. Secundò probatur: materia prima accipit esse per actionem Dei creativam: Ergo accipit esse existentiale, quia impossibile est intelligere rem terminare actionem productivam, & non terminare illam per existentiam propriam; probatur, quia existentia est

terminus actionis productivæ rei, ut omnes fatentur: Ergo implicat, quòd materia prima per suam entitatem actualem terminet actionem creativam, & quòd illam non terminet per existentiam, cùm idem formalissimè sint; patet, quia omnis actio eò tendit, ut rem extra causas, & extra nihilum ponat in esse actuali, sive existentia.

401. Tertiò probatur, quia impossibile est, quòd aliqua res intelligatur in esse actuali reali, quin intelligatur formaliter existens: Ergo ab eodem, quo res intelligitur actualis realis, intelligitur existens; sed ab actu entitativo intelligitur materia prima actualis, & realis: Ergo ab actu entitativo intelligitur formaliter existens: Ergo actus entitativus, & existentia idem formalissimè sunt. Antecedens probatur, quia impossibile est, quòd res intelligatur in esse actuali reali, quin intelligatur extra causas producta per actionem veram realem, si est res creata, & si increata, extra statum possibilitatis; sed rem esse extra possibilitatis statum, sive extra causas est formaliter existere: Ergo impossibile est, quòd intelligatur res actualis, quin intelligatur existens.

402. Dico secundam conclusionem: actus entitativus, sive existentia, quam materiæ concedimus, non est prædicatum intrinsecum, & differentiale materiæ, sed modus distinctus saltem ex natura rei, distinctione formali modali. Hæc conclusio probatur primò ex Scoto quæst. quodlib. 1. num. 4. §. secundo ad idem: *In omni creatura essentia, eo modo, quo distinguitur ab existentia, videtur esse, prior illa, sicut potentiale, & susceptivum est prius actu suscepto.* Et §. ad secundum dici potest, *quòd essentia, & ejus existentia in creaturis se habent, sicut quidditas, & modus.*

403. Probatur ratione: nullæ creaturæ est essentiale prædicatum existentia: Ergo materiæ primæ actus entitativus, sive existentia non est illi essentialis. Probatur antecedens: omne prædicatum essentiale semper, & pro omni statu convenit rei, cujus est prædicatum; sed existentia non semper, & pro omni statu convenit creaturæ ulli; ergo non est prædicatum essentiale. Antecedens patet, quia ideo hæc propositio est sempiternæ veritatis *homo est animal rationale*, quia in omni statu verificatur de homine, utpote essentialis prædicatio; sed existentia convenit in tempore in statu existendi solùm: Ergo non est illi essentialis.

404. Ex quibus omnibus sequitur corollarium ex eo, quòd propriam sibi vindicet existentiam, saltem partialem, & incompletam (existentia namque cùm sit modus entitatis sive essentiæ, si essentia est incompleta, sive partialis, etiam existentia partialis erit, & si fuerit completa ejus existentia completa vocabitur) & existentia idem realiter cum essentia actuali sit, nullatenus materia existit, immo nec valet existere existentia formæ, neque compositi, quia nulla entitas creata, vel increata valet existere existentia alterius, quantumcunque unum sit alteri unitum, immo neque identificatum.

405. Hoc corollarium pro 3. nostra firmiter defensanda conclusione constituo ad secundum articuli quæsitum respondens; habetur expressè à Scoto locis supra citatis, valetque probari rationibus, quibus probatum

tum extat materiam proprium actum entitativum, sive existentiam habere; estque expressa sententia omnium illorum, quos pro nostra patrocinanda sententia adduximus n. 348. & aliorum quamplurium.

406. Probatur nihilominus conclusio: illud quod habet esse distinctum ab alio habet existentiam ab alterius existentia distinctam; sed materia prima habet esse distinctum ab esse formæ: ergo habet existentiam ab existentia formæ distinctam. Iste syllogismus jam manet ex dictis probatus; tunc: una entitas ab alia entitate distincta, non potest esse essentia alterius v. g. essentia hominis non potest esse, nec constitui in essendo essentia equi, vel è contra: ergo actualitas unius in existentia, nequit esse ab actualitate alterius, patet consequentia, quia sicut se habet essentia ad essentiam, ita se habet existentia ad existentiam, sed essentia unius nequit suppleri ab essentia alterius: ergo neque existentia unius potest existentia alterius suppleri.

407. Et confirmatur: quia si aliqua entitas posset constitui in esse actuali existentiali ab actualitate existentiali alterius, etiam posset constitui in esse finito, vel infinito à finitate, vel infinitate alterius, & similiter posset constitui à bonitate alterius, & vera veritate aliena; sed nulla res potest constitui finita, vel infinita, quia cum re finita, vel infinita sit unita, nec bona, nec vera, nec sancta &c. bonitate, veritate, vel sanctitate alterius, cum qua unitur: ergo neque existens. Antecedens probatur: quia sicut finitas, vel infinitas, bonitas, vel veritas, vel sanctitas sunt prædicata modalia intrinseca, in primo, vel secundo modo, quæ non possunt alteri communicari, ita existentia, sive actualitas est prædicatum modale in primo, vel secundo modo, quæ non potest communicari alteri: ergo &c.

408. Hoc argumentum affert Scotus in 3. dist. 6. q. 1. sub n. 4. §. contra 3. ad probandum, quòd natura humana assumpta à verbo divino, non potest existere existentia verbi, cujus hæc sunt verba: *Tunc* (id est tali hypothesi admissa, quòd natura humana Christi Domini existeret existentia increata verbi Divini) *natura illa esset formaliter bona bonitate increata, & ita in infinitum diligibilis, & sic de veritate, & aliis &c.* ubi concludit Scotus, quòd eadem impossibilitas datur ad hoc, quòd natura humana assumpta à Verbo Divino sit formaliter bona, infinita, vera & sancta, bonitate, infinitate, veritate, & sanctitate increata Verbi Divini, ac datur ad hoc ut sit formaliter existens existentia increata Verbi; sed primum est omnino impossibile: ergo & secundum.

409. Secundò probatur conclusio specialiter de materia prima, quia argumentum præcedens concludit de impossibilitate existendi unum alterius existentia in universali. Productio materiæ primæ est prior naturaliter productione formæ: ergo in illo priori materia prima existit propria existentia, & non existentia formæ. Antecedens probatur; nam materia prima producitur per creationem, & forma per generationem, sed generatio necessariò supponit materiam, in qua fiat: ergo necessariò quando producitur forma supponitur materia producta in esse existentiæ. Consequentia patet, quia quod necessario supponitur ...

ad.

ad esse existentiæ alterius, nequit existere illius existentia; materia prima supponitur necessariò ad generationem formæ, sive ad esse existentiæ formæ: Ergo &c.

410. Tertiò probatur: quidquid terminat dependentiam existentis, necessariò est existens prius dependente; sed materia prima terminat dependentiam formæ existentis: Ergo necessariò materia prima existens est prior forma. Major patet, quia existens nequit dependere à non existente, neque à posteriori: Minor probatur, forma educitur, vel saltem inducitur in materiá: Ergo forma dependet in sua existentia à materia. Antecedens est certum, consequentia probatur, quia quod educitur ab alio, dependet in fieri ab illo alio, & quod inducitur in alio, dependet ab illo in suo esse, sive in conservari: Ergo materia terminat dependentiam formæ; sed quod non est, nequit terminare dependentiam illius, quod est: Ergo &c.

411. Quartò probatur, quia forma non potest dare effectum formalem existendi subjecto, nisi per informationem subjecti, sive materiæ, ut adversarii fatentur; sed nequit forma informare materiam; nisi præsupponatur materia unita formæ, & forma materiæ: Ergo informatio formæ supponit unionem ipsius cum materia; tunc sic; quod non est existens nequit realiter intelligi unitum cum illo, quod est: Ergo si materia est realiter unita formæ, antequam informetur à forma, materia est existens ante informationem & ante unionem; probo consequentiam, quia fundamentum relationis actualis necessariò supponitur in esse actuali ad ipsam relationem; sed unio est relatio, quæ fundatur in materia, & materia fundamentum: Ergo necessariò supponitur materia in esse actuali ante unionem; sed unio est prior quàm informatio: Ergo & materia, quia quod est prius priore, est prius posteriore.

412. Hoc fundamento usus est Scotus in 3. dist. 6. q. 1. sub n. 5. §. præterea ad probandum quod natura humana Christi Domini non potuit existere existentia Verbi; accipite ejus verba: *Fundamentum relationis naturaliter præcedit relationem, & secundùm esse actuale præcedit rationem relationis actualis; ista unio est relatio, & ejus fundamentum est ipsa natura: Ergo &c.* Et dicta pro hac celebri difficultate sufficiant, ut ad alia transeamus; qui plura de hac re desideraverit authores consulat.

QUÆSTIO SECUNDA;

Utrum esse puram potentiam subjectivam sit essentiale quid materiæ primæ.

413. CUM ex articulo 4. part. 2. n. 361. & alibi dictis in argumentorum solutionibus habeamus, quòd materia prima sit pura potentia subjectiva Physica, meritò inquirimus modò, utrum hoc quod est esse puram potentiam subjectivam Physicam sit de essentia materiæ primæ, vel quid ab illa distinctum formaliter, vel realiter?

ARTICULUS PRIMUS,

Ubi aliqua ad intelligentiam quæsiti præmittuntur.

414. PRO difficultatis intelligentia est primò notandum ex Scoto lib. 9. Metaph.

q. 4. n. 4. §. consimiliter, quòd hoc nomen *potentia* est quiddam concretum dicens pro formali ordinem sive respectum ad actum, & pro materiali dicit entitatem absolutam, quæ denominatur potens formaliter à tali respectu; hæc sunt verba Scoti; *consimiliter dicendum est de potentialitate, potentia, & potente, quòd eandem relationem important, primum in abstracto, alia duo in concreto.*

415. Secundò nota, quòd licèt potentia dicat ordinem ad actum, non tamen actus dicit ordinem ad potentiam; ita Scotus in eodem 9. Metaph. q. 2. n. 4. §. ad secundam quæstionem, *quia ratio actus est absoluta*; ratio verò potentiæ est respectiva, unde iste ordo sive relatio, quam dicit potentia ad actum est nôn mutua, ut relatio scientiæ ad scibile, & creaturæ ad creatorem, ut ibi exemplificat Scotus.

416. Tertiò nota, quod potentia subjectiva, quam materiæ adstruimus, & de qua hic loquimur, potest esse duplex, & propinqua, sive proxima, & remota, ut habet Scotus in eodem 9. q. 2. n. 9. §. secunda potentia in medio. *Potentia propinqua* est (ait Scotus) *quæ per unam transmutationem reducitur ad actum*, id est materia disposita per aliquas dispositiones accidentales, quæ illam determinant ad hoc, ut talem, vel talem formam substantialem recipiat potius, quàm aliam.

417. *Materia remota* (verba sunt Scoti) *est illa, quæ non potest reduci ad actum, nisi per multas transmutationes medias*, & citat pro hac divisione potentiæ Philosophum lib 9. Metaph. cap. 6. text. & com. 13. Id est materia remota est materia, sive potentia nudè sumpta ab omni forma substantiali, & accidentali, privataque dispositionibus determinantibus materiam, & indigens illis ad hoc, ut efficiatur proximè in potentia ad hanc formam, & non aliam recipiendam. Videte quæ n. 11. & 12. hujus dist. diximus de materia primò prima, & de materia secundò prima.

418. Quartò nota ex eodem Scoto, eadem quæst. & num. quòd potentia subjectiva materiæ est duplex; & substantialis, & accidentalis; potentia subjectiva substantialis est quam dicit materia ad formas substantiales, & potentia subjectiva materiæ accidentalis ad formas accidentales; accipite verba Scoti, *Potentia materiæ ad esse communicatum sibi à forma potest dici substantialis, & quia ad esse substantiale in se, & quia illud, cujus est illud esse per se facit unum cum materia, potentia autem subjecti ad esse sibi communicandum ab accidente, potest dici accidentalis.*

419. Quintò nota, quòd licèt potentia materiæ ad formas substantiales dicatur substantialis, & ad formas accidentales dicatur accidentalis, non est, quia una potentia sit accidens, & altera substantia, cùm utraque potentia, ex infra dicendis, eadem materia sit, quæ quid substantiale est; sed dicitur substantialis, vel accidentalis terminativè, quia ad formas accidentales terminatur, cùm tamen in se quid substantiale sit.

420. Sextò nota, quòd licèt potentia dicat ordinem ad actum, non tamen ventilamus hic de illo ordine, sive

respectu, quem dicit potentia materiæ ad actum, sed de ipsa entitate absoluta materiæ, quæ denominatur potens recipere formas subjectivè à tali respectu. Ita Scotus 9. Metaph. q. 4. n. 4. cujus hæc sunt verba. *Frequenter quando dicimus potentia non intelligimus de respectu, sed de illo, in quo fundatur respectus.* His prælibatis ad quæstionem per conclusiones satisfaciam.

ARTICULUS SECUNDUS,

Ubi ad quæsitum quæstionis per conclusiones fit satis.

421. Sit prima conclusio: potentia subjectiva materiæ primæ ad recipiendas omnes formas tam substantiales, quam accidentales, est ipsamet capacitas substantialis materiæ, sive ipsamet quidditas, & essentia materiæ, secundùm quam quocunque alio circumscripto, quod non sit ipsamet quidditas, & natura materiæ, quæ quidditas est substractum, sive subjectum denominatum potentiæ à respectu potentialitatis ad formam, cum ipsa quid absolutum sit.

422. Probatur 1. conclusio authoritate D. S. ex 2. dist. 16. q. unic. sub n. 3. §. præterea, ubi hæc profert verba. *Respectus non est per se de ratione potentiarum receptivarum, quia recipiens, cujusmodi est materia recipit formas per essentiam suam, non per relationem:* Ergo ex mente Scoti potentia subjectiva materiæ secundùm quam est capax recipiendi formas, non est aliud ab essentia, & quidditate materiæ, cum per essentiam suam, & non per relationem, sive aliquid additum materia recipiat formas, & sit earum capax.

423. Secundò probatur ex eodem Scoto 9. Metaph. q. 5. n. 3. §. contra ista arguitur in fine, qui hæc verba profert. Hoc videtur specialiter de potentia passiva, nam ipsa secundùm illam rationem essentialem est pars compositi; & perficitur à forma, quæ est altera pars secundùm quam rationem est prior naturaliter principiato, ut tale principium, hoc autem est præcisè sub ratione absoluta, &c. Ergo ex mente Scoti habetur nostra conclusio.

424. Tertiò probatur ex eodem loco citato ex Metaph. n. 4. ubi ait: *Causa naturaliter est prior causato, & principium principiato secundùm esse absolutum*; & addit, *Hoc modo intelligendo quæstionem dicitur, quòd nihil est de ratione potentiæ, nisi absoluta aliqua essentia, in qua immediatè fundatur aliquis respectus ad principiatum.* Ergo &c.

425. Item lib. de rerum princip. q. 8. art. 2. sub n. 6. §. ad videndum. *Est sciendum, quòd materia & sua potentia, per quam est formarum substantialium susceptiva sunt omnino idem in re, differentia solùm ratione:* & n. 3. §. similiter. *Dico, quòd potentia passiva primò, & per se invenitur in materia prima, in qua sua potentia passiva est ita pura, quod omnino est idem in re, quod substantia materiæ.* Et n. 12. *Ex his patet, quòd sicut materia prima per suam substantiam est susceptiva formæ substantialis, ita compositum est per suam essentiam susceptivum accidentium:* Ergo &c.

426. Quartò probatur conclusio fundamentali ratione; illud est essentia alicujus rei, per quod constituitur ipsa res, & distinguitur

guitur ab omni alio, quod non est ipsa; sed per esse potentiam subjectivam omnium formarum capacem constituitur materia in esse talis, & distinguitur ab omni alio, quod non est ipsa: Ergo esse subjectum receptivum formarum est essentia materiæ primæ. Major est per se nota, & minor probatur, tum ex definitione materiæ primæ, tum ratione: circumscripta per intellectum saltem capacitate recipiendi formas non manet materia prima: Ergo capacitas, sive esse subjectivam potentiam est essentia materiæ primæ. Antecedens probatur, quia secluso hoc, quod est esse capacem materiam formarum destruitur esse primum earum subjectum; sed qui destruit esse primum subjectum formarum, destruit materiam: Ergo &c. consequentia probatur, quia illud sine quo non potest intelligi aliqua res per locum ab intrinseco est quidditas illius; sed per locum ab intrinseco non potest intelligi materia sine capacitate ad formas: Ergo &c. ita Scotus lib. de rerum principio q. 8. art. 2. n. 10. §. item. Augustinus lib. de natura boni cap. 18. *Nam si capere impositam ab artifice formam non posset, nec materies utique diceretur.*

427. Et confirmatur, quia sicut forma per suam quidditatem absolutam, & essentialem est potens informare materiam, ita per suam absolutam quidditatem, & essentiam est potens recipere formas; sed esse informativum in forma est ejus quidditas, & essentia: Ergo esse receptivum in materia est ipsa essentia materiæ, per quam est capax informationis, sive formæ. Scotus n. 6. ibidem §. item: *Sicut ergo forma per suam essentiam, & non per aliud re ab ea differens, est actus perficiens materiam, sic materia per suam essentiam est receptiva formæ.*

428. Sit secunda conclusio: potentia subjectiva accidentalis materiæ primæ ad recipiendas formas accidentales (videte n. 316. & 317.) non est aliquod accidens in materia, sed eadem met substantia absoluta materiæ, per quam est potens recipere tam formas substantiales, quàm accidentales. Probatur authoritate Scoti in 2. dist. 12. q. 1. n. 11. §. præterea; *quia materia est receptiva omnium formarum substantialium, & accidentalium, ideo non est maximè in potentia respectu earum, & ideo definitur per esse in potentia secundùm Aristotelem.*

429. Ex quibus verbis Scoti sic formo discursum; ideo per Scotum definitur materia per esse in potentia, quia est receptiva omnium formarum substantialium, & accidentalium; sed definitio explicat essentiam rei: Ergo si materia definitur per esse potentiam receptivam formarum substantialium, & accidentalium, esse formarum accidentalium receptivam est ipsa essentia, & quidditas absoluta materiæ, & non aliquid accidentale.

430. Secundò probatur: esse primum subjectum receptivum formarum accidentalium nequit accidenti adaptari, sed substantiæ: Ergo esse potens terminare dependentiam accidentalium formarum, sive recipere formas non est accidentale materiæ, sed substantiale & intrinsecum. Antecedens probatur, quia illud, quod necessariò supponit aliud subjectum, in quo sit, & ad quod ultimatè terminetur nequit esse primum subjectum respectu accidentis; sed accidens necessariò supponit subjectum sub-

ſtantiale, ad quod ultimatè terminatur ejus dependentia: Ergo nequit eſſe primum ſubjectum formarum accidentalium: Ergo ſubſtantia materiæ abſoluta eſt, quæ ultimò terminat dependentiam accidentis, quæ ſecundùm ſe eſt capax formarum accidentalium. Et roboratur, quia omne finitum, imperfectum & limitatum eſt capax, ſive eſt perfectibile quid per formas accidentales; materia prima per ſuam ſubſtantiam eſt quid finitum imperfectum, & limitatum: Ergo eſt capax perfici à formis accidentalibus: Ergo &c.

431. Sit tertia concluſio negativa contra D. Thomam, & ejus ſequaces: potentia, ſive capacitas, quam habet materia prima ad recipiendas omnes formas ſubſtantiales, ſive accidentales, non eſt qualitas de ſecundo genere, vel aliquod accidens à materia diſtinctum; probatur, quia ſi illud, quod reddit materiam capacem recipiendi formas ſubſtantiales, vel accidentales eſſet aliquod accidens diſtinctum realiter à materia: Ergo materia ſecundùm ſe non eſt capax recipiendi tales formas per ſe ipſam, & per ſuam ſubſtantiam, quod eſt contra definitionem materiæ, & communem explicationem ipſius, quæ ſemper explicatur ejus quidditas per eſſe ſubjectum receptivum: Ergo materia prima per ſe ipſam non eſſet primum, & immediatum ſubjectum.

432. Secundò probatur; materia prima, vel recipit immediatè per ſuam ſubſtantiam illam qualitatem de ſecundo genere, vel illud accidens per quod redditur potens proximè recipere formas ſubſtantiales, & accidentales, vel non recipit immediatè illam qualitatem diſpoſitivam; ſed media alia qualitate, & de illa alia iterum inquiram, vel recipitur immediatè à ſubſtantia materiæ, vel medio alio accidente, & ſic in infinitum: Ergo neceſſe eſt fateri, quòd ſaltem illam qualitatem, vel accidens, medio quo conceditur potens materia ad recipiendas formas ſubſtantiales recipitur immediatè in ſubſtantia materiæ; ſi ergo accipit materia illud accidens, quare non recipiet alia, & formas ſubſtantiales, cùm non ſit major ratio unius, quàm alterius.

433. Tertiò probatur concluſio, & impugnatur prædictus modus loquendi: ex tali hypotheſi ſequeretur, quòd forma ſubſtantialis non reciperetur immediatè in materia nuda; ſed in materia affecta illa qualitate, ſive diſpoſitione accidentali: Ergo ſubjectum proximum formæ ſubſtantialis non ſubſtantia, ſed illud totum per accidens ex materia, & illa qualitate reſultans foret; immo ſequeretur, quòd ipſa qualitas eſſet magis receptiva formæ ſubſtantialis, quàm materia, quia propter quod unumquodque tale, & illud magis: Ergo ſi materia eſt capax recipiendi formas ſubſtantiales per illam qualitatem, potiori jure ipſa qualitas eſſet dicenda capax illius receptionis.

434. Quartò probatur concluſio: receptum, & receptibile petunt proportionari, ſed magis proportionantur materia prima, quæ eſt ſubjectum ſubſtantiale, & forma ſubſtantialis, quàm ſubjectum accidentale, & forma ſubſtantialis: Ergo materia prima eſt magis proportionatum ſubjectum ad recipiendas formas ſubſtantiales, quàm

quàm est illa qualitas, quæ à Divo Thoma ponitur ad proportionandam materiam ad receptionem formæ substantialis; probatur minor, quia ex Philosopho 5. Metaph. cap. 2. *Cujus est actus, ejus est & potentia*; sed actus est forma substantialis: Ergo & potentia.

437. Sit quarta conclusio: ille respectus, quem dicit materia prima ad omnes formas substantiales, & accidentales, non est intrinsecum essentiale materiæ, sed illi convenit in secundo modo dicendi per se, tanquam passio, sive proprietas ab illa dimanans. Ita Scotus in 2. dist. 16. q. unic. n. 13. §. præterea. qui ait: *Respectus non est per se de ratione potentiarum receptivarum.* & 9. Metaph. q. 5. n. 3. §. contra in fine; *quia si aliqua relatio esset de ratione ejus* (scilicèt materiæ primæ de qua loquitur ibi) *in quantum est pars compositi; illa etiam relatio esset de ratione compositi; & ita nullum materiale esset essentialiter absolutum.* Idem habet q. 17. quodlib. art. 3. in principio, & in 1. dist. 1. q. 4. §. secundum membrum, & 2. report. dist. 1. q. 6. § secundùm principale patet, & in 4. dist. 12. q. 1. §. si dices, & aliis in locis, ubi tanquàm primum fundamentum supponit, quòd nulla relatio sit de essentia alicujus absoluti.

426. Probatur ratione deducta ex anthoritatibus Scoti; quidquid est essentialiter de ratione principii constitutivi alterius, est etiam de ratione essentialiter constituti per tale principium: Ergo si de ratione materiæ primæ est relatio aliqua, de essentia, & ratione corporis, sive compositi est etiam ipsa relatio; Ergo compositum erit essentialiter respectivum; patet consequentia, quia cujus principia sunt relativa est relativum: Ergo si materia, quæ est principium compositi, est relativa, compositum relativum erit; quod nullus somniavit.

Argumenta contra dicta.

436. PRimò arguitur contra nostram primam conclusionem; quatenus dicimus potentiam subjectivam materiæ esse ipsam substantiam, sive quidditatem materiæ authoritate D. S. qui lib. 9. Metaph. q. 2. n. 10. §. visa itaque divisione prope initium ait: *Ex his sequitur tertium, quòd potentia subjectiva in quocunque, sive in materia, sive in subjecto aliquo, non est eadem essentialiter illi, in quo est*: Ergo ex mente Scoti potentia subjectiva, quæ est, sive reperitur in materia non est illi essentialiter idem: Ergo male adstruimus in prædicta conclusione, potentiam subjectivam materiæ esse eandem essentiam, & quidditatem materiæ.

438. Respondeo, quòd D. S. non adversatur nostræ conclusioni, immo illam confirmat in prædicto loco; nam ibi, ut videre licet in textu, non loquitur de potentia subjectiva fundamentali absoluta materiæ, sed de potentia subjectiva formali, id est de respectu, qui in ipsa capacitate subjectiva materiæ fundatur, nam prosequitur dicens ibidem, *quia illud, in quo est* (supple talis potentia receptiva) *manet cum actu, & non numeratur* (hoc est multiplicatur per multiplicationem actuum, sicut potentia respectiva multiplicatur ad multiplica-

plicationem terminorum, qui ſunt actus) *Et ſecunda ratio eſt ad hoc, quia illud, in quo eſt, eſt abſolutum, potentia enim.* Ecce luce clarius, quomodo D. S. agit ibi de reſpectu, quem importat hoc concretum potentia, & non de per ſe denominato à tali reſpectu, hoc eſt de entitate abſoluta materiæ, quæ eſt, quæ manet cum actu, & ab ipſo perficitur recipiendo illum.

439. Secundò arguitur contra eamdem concluſionem; potentia materiæ, ſive ejus capacitas ad recipiendas formas ſupponit in aliquo priori materiam in ſuo eſſe quidditativo, & eſſentiali: Ergo potentia materiæ, ſive capacitas materiæ ad recipiendas formas non intrat rationem conſtitutivam materiæ, ſive non eſt ejus quidditas, & eſſentia; conſequentia patet, quia quod ſupponit aliquam rem conſtitutam in ſuo eſſe eſſentiali eſt extra talis rei conſtitutivum. Antecedens probatur, quia potentia, ſive capacitas alicujus rei, eſt capacitas, ſive potentia alicujus rei jam conſtitutæ, quæ denominatur potens, ſive capax à tali potentia: Ergo &c.

440. Et confirmatur; prius eſt quòd res ſit, quàm quòd capax, vel incapax alterius ſit: Ergo prius eſt, quòd materia ſit, quàm quòd capax formæ dicenda ſit. Probatur antecedens, quia ideo res aliqua dicitur alterius capax, quia eſt, non tamen è contra, ideo eſt, quia capax eſt. Et roboratur, quia ideo v. g. vas dicitur capax tantæ, vel tantæ aquæ, quia eſt tantæ, vel tantæ quantitativæ extenſionis: Ergo ideo res capax alterius eſt, quia eſt tantæ, vel tantæ entitativæ eſſentialis perfectionis.

441. Reſpondeo ad argumentum negando antecedens, & ſimiliter conſequentiam, & ad ejus probationem reſpondeo primò concedendo antecedens, ſcilicèt, quòd potentia materiæ alicujus ſit potentia, nego tamen, quòd alicujus jam conſtituti, ſed alicujus, quod per eſſe potentiam conſtituitur, & cum materia per eſſe potentiam conſtituatur, inde fit, quòd &c.

442. Secundò reſpondeo diſtinguendo antecedens; potentia operativa alicujus rei jam conſtitutæ eſt potentia, concedo antecedens; quia prius eſt eſſe, quàm operari; potentia paſſiva de qua hìc agimus alicujus rei jam conſtitutæ eſt potentia, nego; immo potentia paſſiva eſt idem, ac res, quæ paſſivè dicitur potens, & cum hæc ſit materiæ primæ potentia, inde fit &c.

443. Tertiò reſpondeo, & formaliùs, potentia alicujus rei jam conſtitutæ eſt potentia, diſtinguo, potentia formalis, vel reſpectiva, quæ reſpicit aliud, & fundatur in illo, quod potens formaliter à tali ordine, ſive reſpectu denominatur, concedo; potentia fundamentalis, & radicalis, quæ eſt ſubſtractum, ſive ſubjectum, quod à potentia formali reſpectiva denominatur, nego; immo eſt ipſamet quidditas abſoluta illius, quod potens denominatur; & cum dicimus, quòd materia, ſive capacitas ſubſtantialis, ſecundùm quam materia eſt capax recipiendi formas ſubſtantiales, eſt idem, quod materia prima, loquimur de potentia radicali abſoluta, non vero de potentia reſpectiva, & formali, ſive de reſpectu, quem fundat materia, quia talis reſpectus, medio quo materia, denominatur potens formaliter, non eſt ratio recipiendi formas, immo de per accidens ſe habet ad hoc, quod materia

teria

teria secundùm se sit capax fundamentaliter formarum, ita quod si per impossibile materia non diceret talem respectum potentialitatis ad formas, esset nihilominus capax recipiendi formas.

444. Ita Scotus expressè 5. Metaph. q.9.§. relatio. sub n. 12. ubi ait: *Relatio non est, quo agens, nec quo habens potentiam, est potens, nec quo receptivum recipit:* Et paulò infra; *quia absolutum receptivum, immediatè perficitur absoluto receptivo, si relatio esset quo, tunc compositum ex absoluto, & relatione esset immediatè receptivum.* Et ibidem n. 16. §. concedatur ergo, in medio. *Nunquid potentia dicta pro ipsa relatione principii, vel causæ est necessaria ad agendum, vel patiendum?* & respondet, *relatio autem causæ, vel principii concomitatur actionem, nec necessariò prævia est.* Vide etiam Scotum in 3. dist. 15. q. unic. num. 8. §. aliter potest: Ergo relatio, quam importat materia, à qua denominatur formaliter potens, non est necessariò prævia in materia ad receptionem formæ ex mente Scoti, sed concomitanter accidentaliter se habet.

445. Tertiò arguitur ex authoritate *Doctoris subtilis lib. de rerum principio. q. 7. art. 1. sub num. 3. §. item.* profert hæc verba: *posse pati ad materiam reducitur, sicut agere ad formam:* Ergo posse pati secundùm mentem Scoti, sive quod idem est potentia passiva materiæ non est ejus quidditas, & substantia. Probo consequentiam: illud, quod reducitur ad aliquod, non est illud aliquod, ad quod reducitur formaliter, sed reductivè; sed posse pati reducitur ad materiam: Ergo non est formaliter materia, sed reductivè.

446. Et confirmatur ulterius: sicut agere, seu posse agere reducitur ad formam, ita posse pati ad materiam ex sententia Scoti; sed agere actualiter, sive aptitudinaliter non est de conceptu quidditativo formæ: Ergo nec posse pati est de conceptu quidditativo materiæ. Major est Scoti; minor probatur: omne esse supponitur ad operari actualiter, & aptitudinaliter: Ergo esse formæ supponitur ad operari sive actualiter, sive aptitudinaliter. Quod esse supponatur ad operari actualiter, patet ex se; quod etiam ad aptitudinaliter operari supponatur, probo: quia omnis aptitudo fundatur in aliquo esse: Ergo esse supponitur ad aptitudinaliter operari: ergo etiam esse supponitur ad pati; quia sicut forma ad agere, ita materia ad pati se habet.

447. Respondeo explicando authoritatem Scoti, & dico, quòd Scotus loco prædicto utitur hoc simili ad probandum actum entitativum materiæ, quia sicut posse agere supponit actualitatem, sive existentiam in forma, ita posse pati supponit actualitatem in materia, ut videre licet in ipso textu, & sic quoad hoc tenet exemplum; cæterum non ait Scotus, quòd posse pati reductivè pertinet ad materiam, cum oppositum doceat locis supra citatis; nec similiter vult Scotus, quòd posse agere reductivè ponatur, sive pertineat ad formam, cum doceat esse ipsammet formam, ut patet ex loco num. 445. citato, & sic idem est, ac dicere, quòd reducitur, ac esse proprium, & essentiale, cum ipse Scotus se explicet in hoc sensu; quòd si velis contendere ex verbis, dico, quod ad probandum quod ibi intendit Scotus probare, ut[illegible]

[illegible] illis

illis terminis, non curando, quid sit de essentia, vel non sit de essentia, quod parum interest ad id, quod intendit ibi, ut intuenti patebit.

448. Nunc in forma respondeo ad argumentum negando consequentiam, & ad ejus probationem concedo majorem, & nego minorem: posse enim pati non reductive est materia, immò formaliter, & essentialiter, sicut animal rationale non reductive est homo, sed formaliter, & essentialiter. Ad confirmationem respondeo concedendo majorem in sensu explicato, & negando minorem quoad secundam partem, & ad ejus probationem distinguo majorem: operari actualiter supponit esse in forma, concedo majorem: operari aptitudinaliter, iterum subdistinguo: operari aptitudinaliter radicaliter supponit esse, nego: operari aptitudinaliter formaliter, id est, ipsa formaliter aptitudo supponit esse, concedo. Ad ejus probationem distinguo: omnis aptitudo formalis fundatur in aliquo esse præsupposito, concedo: omnis aptitudo radicalis, nego.

459. Pro cujus intelligentia nota, quòd aptitudo, sicut & potentia est duplex, & radicalis, & formalis: radicalis aptitudo, sive potentia, est radix, quidditas, sive essentia naturæ, à qua dimanat potentia, seu aptitudo formalis. Aptitudo, sive potentia formalis, est quidam ordo, sive transcendentalis respectus, medio quo radix, sive natura respicit suos actus. Prima aptitudo, videlicet radicalis, est quæ dat formæ agere aptitudinaliter, quæ non est aliud ab essentia, & quidditate formæ; & posse pati aptitudinaliter, sive aptitudo radicalis ad posse pati est essentia materiæ. Secunda aptitudo, sive potentia, quæ est respectus, sive ordo non est nec de essentia formæ, nec materiæ.

450. Quartò arguitur contra nostram secundam conclusionem: capacitas receptiva formarum substantialium non est formaliter capacitas receptiva formarum accidentalium; sed capacitas receptiva materiæ respectu formarum substantialium est quidditas absoluta, & entitativa materiæ: ergo capacitas receptiva formarum accidentalium non est quidditas eadem materiæ.

451. Respondeò distinguendo majorem: capacitas receptiva radicalis formarum substantialium, non est capacitas receptiva formarum accidentalium, nego majorem: eadem enim quidditas absoluta materiæ, & est potens recipere formas substantiales, & formas accidentales: capacitas receptiva formalis formarum substantialium, & accidentalium non est eadem, concedo: quia cum talis capacitas formalis sit respectus ad formas, si formæ sunt distinctæ, etiam ipsa capacitas, quæ est relatio, est distincta; relatio enim à termino specificatur; & cum forma substantialis, & accidentalis sint termini diversi, inde fit, quòd relationes, quæ ab illis specificantur, sint diversæ; ex quo nil contra nos.

452. Quintò arguitur contra nostram tertiam conclusionem: potentia subjectiva ad recipiendas formas destruitur per adventum formæ, & tamen manet materia: ergo potentia subjectiva ad recipiendas formas est accidens separabile distinctum à materia. Patet consequentia; quia quod potest adesse, & abesse, sine subjecti corruptione

ne

ne est accidens; tale est potentia subjectiva materiæ: Ergo accidens est materiæ. Antecedens probatur authoritate Doct. Subt. qui 9. Metaph. q. 2. num. 10. §. visa: *consideranda sunt quædam, primum est, quòd neutra potentia prædicta nec subjectiva, nec objectiva manet cum actu.* Et confirmatur, quia omnis potentia est qualitas de secundo genere qualitatis: Ergo &c.

453. Ad hujus argumenti solutionem est notandum, quòd potentia dupliciter potest considerari, vel pro absoluto, & positivo, quod importat pro materiali; vel negativo, seu privativo, quod dicit pro formali, quia potentia prout talis reduplicativè dicit carentiam actus. Hoc supposito in forma ad argumentum respondeo distinguendo antecedens: potentia subjectiva ad recipiendas formas destruitur per adventum formæ, distinguo: potentia absoluta, & positiva, quæ est, quæ dicitur, & denominatur capax, nego: potentia pro formali, quæ est privatio illius formæ, quæ advenit, destruitur per talis formæ adventum, concedo: & de hac potentia privativa ait Scotus, quòd non manet cum actu. Ad confirmationẽ respondeo distinguendo antecedens: potentia, id est facilitas operandi, quæ in aliquibus potentiis reperitur, ex frequentatione actuũ generata est de genere qualitatis, concedo: omnis potentia, nego: per quod patet ad argumentum.

454. Sextò arguitur contra quartam conclusionẽ: materia prima est essentialiter quid incompletũ, & potentiale: ergo essentialiter ordinatur, & petit compleri, & actuari: ergo ille respectus, quem dicit ad formas, per quas completur, & actuatur, est illi essentialis.

455. Respondeo concedendo majorem, & distinguendo minorem: essentialiter ordinatur, & petit compleri, id est ordo, & appetitus, quem dicit ad formas, per quas completur, & actuatur, est quid essentiale materiæ in primo modo dicendi per se, nego minorem: talis ordo, & appetitus est quid in secundo modo, tanquam proprietas passionalis materiæ, concedo. Vel sic: essentialiter ordinatur, & petit compleri, distinguo: ordine, & appetitu fundato in essentia materiæ, & ab illa formaliter distincto, concedo: ordine, & appetitu, qui sit formaliter ipsa materia, nego. Et dicta pro hac difficultate sint satis, ut ad alia transeamus.

QUÆSTIO TERTIA,

Utrum potentia receptiva materiæ respectu formarum tam substantialium, quàm accidentalium sit naturalis, violenta, vel neutra?

456. POstquàm quæstione præcedenti statutum reliquimus potentiã subjectivam materiæ esse ejusdem quidditatem, & essentiam, restat impræsentiarùm inquirere, quænam sit talis potentia, sed ut clarius percipiantur, quæ nobis præmittenda videntur, apponemus hic, quare sit

ARTICULUS PRIMUS,

Ubi aliqua ad intelligentiã quæsiti præmittuntur.

457. PRimò est notandum ex Scoto q. 1. prologi §. ad quæstionem num. 20. *quòd potentia receptiva* (loquitur in universali de omni receptiva potentia) *comparatur vel ad actum, quem recipit* (hoc est ad formã) *vel ad agens à quo recipit* (id est à quo introducitur forma in tali subjectiva potentia) *primo modo,* (id est si potentia passiva consideratur in ordine ad actum, sive formam, quam recipit) *ipsa est potentia naturalis, vel violenta, vel neutra; naturalis, si naturaliter inclinatur, violenta si [illegible] contra inclinationem*

N

tionem naturalem, neutra, si neque inclinatur ad istam formam, neque ad oppositam.

458. Ex quibus Scoti verbis liquet quòd si potentia passiva receptiva inclinatur ad formam, talis potentia passiva dicitur naturalis,& si non inclinatur susceptivum ad formam, neque renuit formam, dicitur subjectum susceptivum esse in potentia neutra.

459. Secundò est notandum, quòd tunc dicitur susceptivum alicujus formæ inclinari ad illam, quando perficitur à tali forma, & sub illa congaudet, & quiescit, vel illa forma sit naturalis in se entitativè, vel sit supernaturalis, vel introducatur prædicta forma ab agente naturali, vel ab agente supernaturali; quam formam esse naturalem subjecto non attenditur, nisi penès hoc, quòd forma sit perfectiva subjecti: unde etiamsi gratia, vel beatifica visio sit quid introductum in anima, vel intellectu ab agente supernaturali divino, nempe Deo, dicitur visio, & gratia formas esse naturales animæ, & animam esse in potentia susceptiva naturali ipsarum, solùm præcipuè ex eo quòd anima à talibus perficitur formis.

460. Similiter est dicendum de potentia passiva, violenta, vel neutra, quia illa forma est violenta, ad quam non inclinatur subjectum, immò ipsam renuit, & ad oppositam inclinatur, ut lapidem sursum moveri, & manere sursùm, aquam calefieri, & his similia, quia licèt calor v. g. in se forma naturalis sit, & ab agente naturali; igne videlicet in aqua introducatur, eò præcisè dicitur calorem esse aquæ violentum, quia calor solùm non perficit aquam, immò ipsam destruit, & aqua non solùm non inclinatur ad calorem, immò dicit renitentiam ad ipsum, cùm ad ejus oppositum, nempe frigiditatem inclinetur.

461. Potentia neutra est illa, quæ nec inclinatur ad formam, nec ad ejus oppositum, hoc est neque gaudet sub forma, neque sub illius privatione, sive opposita forma positivè deplorat, sed neutraliter se habet, quia forma talis neque est perfectiva, nec destructiva subjecti; cujusmodi est in artificialibus potentia passiva in ligno ad formam mensæ, vel statuæ, quarum neutra perficitur, nec destruitur lignum; & in naturalibus motus Angeli sursùm, vel deorsùm, quia Angelus ad neutrum inclinatur, nec sub aliquo illorum destruitur; superficies respectu caloris, motus cœli &c. Et in supernaturalibus ubi sacramentale, quo Christus Dominus in Eucharistia locatur, quod neque est Christi perfectivum Physicè, nec destructivum. Ita Scotus ubi supra & 11. Metaph. q. 12. num. 2. §. ad quæstionem dicendum.

462. Tertiò est notandum, quod hîc non inquirimus modò, utrum potentia subjectiva, quam esse materiæ essentiam statuimus, sit ipsi materiæ naturalis, violenta, vel neutra, quia esset hoc quærere absurdum (licet aliqui Scotistæ, primo supposito hoc ventilare non verecundentur) quia esset idem ac quærere, utrum essentia materiæ sit illi naturalis, violenta vel neutra? Quid indignius viris aliàs eruditis. Sed quod inquirimus est, an forma substantialis, vel accidentalis sit materiæ primæ naturalis, id est naturaliter perfectiva materiæ, vel potius sit violentia, vel neutra? Et utrum materia quando est sub forma substantiali, vel accidentali congaudet, ex eo quod habeat ter-

minum

minum ſuæ inclinationis, vel ſit violenta, quia ad oppoſitam formam inclinatur, & renuit, quam habet, vel neutraliter ſe habet, nec complacendo, nec renuendo.

463. Quartò eſt notandum, quòd ſi ſuſceptivum formæ comparatur ad agens, à quo introducitur talis forma in illo ſuſceptivo, *tunc illa potentia eſt ſuſceptiva naturalis* (verba ſunt Scoti in prologo citato) *quando receptivum comparatur ad tale àgens, quod natum eſt naturaliter imprimere talem formam in tali paſſo*; & hoc nulla facta comparatione formæ, quæ introducitur in ſubjecto ad tale ſubjectum; unde etiamſi calor ſit violentus aquæ, attenta natura aquæ, & caloris, tamen quia naturaliter poteſt introduci calor ab agente naturali in aqua, dicitur potentia receptiva caloris in aqua naturalis, ſed cum addito reſpectu agentis; *& tunc talis ſuſceptiva potentia dicitur ſupernaturalis, quando comparatur ad tale agens, quod non eſt naturaliter impreſſivum illius formæ in illo paſſo*; id eſt ad agens, quod operatur, quando introducit formam, excedendo vires naturæ in tota ſua latitudine, quia in naturalibus non datur vis introductiva illius formæ in illo paſſo; cujusmodi eſt Deus, quando gratiam, fidem, & formas hujusmodi introducit in anima.

464. Quintò eſt notandum, quòd potentia ſuſceptiva poteſt etiam dici potentia obedientialis, quatenus ſubjicitur agenti, cui nata eſt obedire, ſcilicet divino, ad recipiendas formas, quas ex ſe ordine naturæ attento habere non valebat. Sed hæc obedientialis potentia in ſuſceptivo non attenditur penes ſuſceptivi ad formam comparationem, ſed penes comparationem ſuſceptivi ad agens, cui ſubjicitur, & eſt impropria potentiæ paſſivæ accommodatio, quia potentia paſſiva ſolùm dicitur naturalis, violenta, vel neutra propriè comparando ſuſceptivam potentiam ad formam; comparatio enim potentiæ paſſivæ ad agens eſt valde extrinſeca, & ſic ejus denominatio talis à comparatione ad agens extrinſeca dicenda eſt; magis enim propriè obedientia competit agenti creato, quatenus ſubditur ſupernaturali divino, quàm potentiæ ſuſceptivæ, ut ait *Scotus* 11. *Metaph. q.* 12. *ſub num.* 3. *§. ſed quia ordo. obedientia enim propriè ſignificat ſubjectionem* reſpectu agentis potentis de obediente facere, quod vult.

465. Qui plura de hac celebri tripartita Scotica potentia ſuſceptiva, & an ſit admittenda, deſideraverit, conſulat Scotum locis citatis, & in 2. *d.* 18. *q.* 1. *ſub num.* 6. *& in* 3. *diſt.* 1. *q.* 1. *& in* 4. *diſt.* 1. *q.* 8. *& diſt.* 43. *q.* 4. *& in quodlib. q.* 19. & ex commentatoribus Scoti Dadam 1. tom. controv. 1. §. ſed rogabis. Liquetum in 1. ſentent. diſt. 1. q. 1. Brizeno 1. tomo in primum, proluſione 8. prooemiali à num. 1. & 9. de viſione controv. diſt. 1. ſubdiſt. 2. art. 2. à num. 6. & infra.

ARTICULUS SECUNDUS,

Ubi ad petitum in quæſtione ex mente Scoti per concluſiones fit ſatis.

466. DICO primam concluſionem reſpondendo ad quæſitum: potentia ſuſceptiva formarum ſubſtantialium, quæ reperitur in materia prima, quatenus reſpicit, ut perfectibile quid ſuum perfectivum, ſci-

licet formas substantiales, nulla facta comparatione ad agens, à quo forma substantialis est introducenda in materia absolutè, & simpliciter est naturalis tam respectu formæ substantialis ut sic, quàm respectu talis formæ determinatæ.

467. Hæc conclusio quamvis quoad primam partem inter Scoti discipulos sit communiter recepta, tamen quoad secundam, videlicet, quòd etiam respectu formarum substantialium in particulari sit naturalis est contra Herreram, qui in 1. sentent. disp. 1. q. 4. ab Scoticis principiis (ut solet) aberrans, & à veritatis scopo devians, negat formas in particulari subjectari in potentia naturali susceptiva materiæ. Idem tenet Fabrius q. 1. prologi disput. 2. §. hæc inquam. Gasparus Sghrema Panormitanus in suis Scoticis digressionibus in libros Physic. digress. 1. in primum lib. Physic. quæsito 6. sed in potentia neutra.

468. Probatur igitur nostra conclusio ex verbis Scoti; quibus habetur expressè 11. Metaph. q. 12. num. 2. §. ad quæstionem, ubi ait: *Primo modo considerando utramque potentiam illam, dico, quòd nulla est in materia prima, nisi naturalis, quia naturalem inclinationem habent ex se, ut sit cujuscumque compositi pars, & quacumque forma perficiatur, nec potest contra, nec supra inclinationem in aliquo composito esse:* Ergo ex mente Scoti habetur nostra expressa conclusio, quia si nulla potentia est in materia prima nisi naturalis: Ergo non est aliqua potentia in ipsa non naturalis, violenta videlicet, vel neutra, etsi naturalem inclinationem habet ex se ut quacumque forma perficiatur: Ergo non excluditur aliqua particularis, ad quam non inclinetur.

469. Item idem Subt. Doct. in 2. dist. 18. q. 1. sub num. 6. §. ad illud de violento, hæc fatur verba: *Unde respectu nullius formæ potest esse generatio violenta in materia, quia materia inclinatur naturaliter ad quamlibet formam individuam in ea.* Et in 1. dist. 1. q. 1. sub num. 6. §. ad ultimum dico; *quod quacumque forma satiat appetitum materiæ totaliter extensivè; tot enim sunt appetitus materiæ ad formas, quot sunt formæ receptibiles in materia:* Ergo ex mente Scoti ad quamlibet formam in particulari datur peculiaris appetitus in materia, & peculiaris inclinatio: Ergo ad quamlibet habet potentiam susceptivam naturalem.

470. Probatur conclusio ratione: illud subjectum dicitur in potentia naturali esse ad receptionem alicujus formæ, quod præbet inclinationem, & propensionem ad ipsam formam; sed materia prima præbet inclinationem, & propensionem ad omnes formas substantiales: Ergo recipit omnes formas in potentia naturali. Major probatur: quia ideo dicimus in Philosophia esse grave naturaliter deorsum & leve sursum, quia grave appetit ad sui conservationem esse deorsum, & leve, esse sursum. Minor probatur: omne incompletum, sive imperfectum appetit naturaliter compleri, & perfici; sed complementum, & perfectio materiæ, quæ est quid imperfectum, & incompletum, est forma: Ergo materia prima appetit, & inclinatur ad formas: Ergo est in potentia naturali ad illas.

471. Quoad

471. Quoad secundam partem, videlicet, quòd sit in potentia susceptiva naturali, etiam ad formam talem, probatur: quia sicut se habet materia ut sic ad formam ut sic, ita materia prima talis ad formam substantialem talem; sed materia ut sic appetit formam substantialem ut sic: Ergo materia prima talis appetit formas tales. Minor probatur: quia ideo materia ut sic appetit formam ut sic, & ad illam dicitur in naturali potentia susceptiva esse, quia forma ut sic est sui perfectivum ut sic; sed etiam forma talis est perfectivum tale: ergo &c.

472. Et confirmatur, quia quidquid convenit superiori, convenit inferiori: Ergo si materiæ ut sic, quæ est quid superius ad materiam talem, & talem, convenit potentia naturalis passiva ad omnes formas, etiam materiæ in particulari debet convenire talis potentia. Et roboratur; quia ideo materia ut sic est in potentia naturali ad formam substantialem ut sic, quia materia talis est in eadem potentia ad formam talem, ratio enim abstracta ut sic supponit rationes peculiares contractas, quia quod non est talis homo, non est homo: Ergo potentia susceptiva materiæ est talis determinata in ordine ad determinatam formam. Alias probationes omitto apud Scotum videndas.

473. Dico secundam conclusionem: potentia susceptiva materiæ respectu formarum accidentalium est etiam naturalis materiæ. Probatur ex *Scoto in 2. dist.* 12. *q.* 1. *num.* 11. ubi ait: *quia materia est receptiva omnium formarum substantialium, & accidentalium, ideo maxime est in potentia respectu earum:* Ergo sicut ad formas substantiales est in potentia susceptiva naturali, sic etiam est in potentia eadem respectu accidentalium. Et confirmatur: ideo materia est in potentia naturali ad formas substantiales, quia formæ substantiales sunt perfectivæ materiæ; sed etiam formæ accidentales sunt accidentaliter perfectivæ materiæ: Ergo est in potentia susceptiva naturali respectu earum. Minor probatur: quia formæ accidentales, ut quantitas v. g. & qualitas materiæ connaturales illam conservant modo connaturali: Ergo illam perficiunt accidentaliter, & potest probari rationibus supra factis.

474. Dico tertiam conclusionem: materia prima, quatenùs consideratur in ordine ad agens divinum, quandoque potest dici, quòd est in potentia obedientiali, quatenus subditur agenti ad introductionem formæ, quam in tali statu naturaliter nequibat habere, ut si est informata una forma, quòd altera informetur, vel quia cùm petat aliquas dispositiones prævias ad habendam talem formam, aquæ v. g. sine talibus dispositionibus præviis potest Deus talem introducere formam, & his similibus in aliis eventibus. Ita expressè *Scotus* 11. Metaph. cit. sub num. 3. §. sed quia ille ordo. Ubi ait: sed quia ille ordo (supple naturalis) non est necessarius, nisi in quantum materia transmutatur ab agente naturali, ideo hic habet locum potentia obedientialis, secundùm quam materia cujuscumque formæ est capax immediatè (id est non mediantibus dispositionibus) post quamcumque per transmutationem ab agente, cujus virtuti subest dictus ordo.

475. Probatur: materia prima aquæ v. g. non est capax recipiendi immediatè formam ignis, vel ligni, neque vinum formam aquæ, vel è contra, & tamen potens est agens divinum introducere immediatè dictas formas: Ergo non in potentia naturali respectu agentis est materia ad talium formarum receptionem, sed in potentia obedientiali. Major patet; quia nullum agens naturale, nisi divinum potest introducere tales formas dispensando leges à natura sancitas.

Argumenta contra dicta.

476. PRimò arguitur contra nostram primam conclusionem, in qua asserimus potentiam susceptivam formarum esse naturalem in materia: materia prima, quæ est v. g. sub forma ligni, non est in potentia susceptiva naturali ad formam ignis: Ergo potentia susceptiva in materia non est naturalis respectu omnium formarum. Probatur antecedens: si materia prima, quæ est sub forma ligni, prout tali informata forma haberet propensionem, & passivam inclinationem ad formam ignis, sequeretur, quòd esset sub forma ligni violenta: Ergo vel non habet capacitatem passivam naturalem ad formam ignis, vel si habet est sub forma ligni violenta. Probatur antecedens: illud est violentum sub aliqua forma, quod ad oppositam dicit inclinationem, & propensionem, ut habetur num. 458. & 459. sed forma ignis est opposita formæ ligni: Ergo si materia, quæ est sub forma ligni, inclinatur ad formam ignis, violenta est sub illa forma ligni. Et confirmatur: ideo dicimus lapidem esse seorsum violentum, quia inclinatur ad ubi deorsum, quod est ejus oppositum: Ergo si materia, quæ est sub forma ligni, inclinatur ad formam ignis, sub forma ligni est violenter.

477. Respondetur ad argumentum negando antecedens, & ad ejus probationem distinguo antecedens: si materia prima, quæ est sub forma ligni, haberet inclinationem ad formam ignis, sequeretur, quòd esset sub forma ligni violenta, si haberet inclinationem determinatam ad formam ignis, & non ad formam ligni, concedo: si haberet inclinationem ad utramque, & non ad unum determinatum, nego. Ad probationem ejus eadem distinctione respondetur. Ad confirmationem de lapide distinguo: ideo dicimus lapidem esse violentum sursùm, quia ad ubi deorsum inclinatur præcisè, & non ad ubi seorsum, concedo: quia præcisè ad ubi deorsum inclinatur, nego: ex quibus apparet, quòd illud dicitur violentum sub aliqua forma, quod inclinatur & propendet ad formam oppositam, & non ad illam, quam habet; at verò cùm propensio & inclinatio materiæ sit ad omnes formas, & non ad unam determinatè cum exclusione determinationis alterius; inde fit, quòd sub nulla sit violenter, etiamsi ad oppositam inclinetur, quia inclinatio ad oppositam non aufert inclinationem ad illam, quam habet.

478. Hæc conclusio habetur expresè à Scoto in 1. dist. 1. q. 1. in ultimo §. ubi ait: *Dico, quòd quies violenta nunquàm est, nisi quiescens determinatè inclinetur ad oppositum, sicut exemplificatur de gravi respectu deorsum, vel descendentis, vel quiescentis super*

per trabem: materia autem prima ad nullam formam determinatè inclinatur, & ideo sub quacunque quiescit non violenter, sed naturaliter quiescit propter indeterminatam inclinationem ad quamcumque.

479. Ex verbis Scoti nuper relatis aliqui Scotizantes ab ejus vera intelligentia aberrantes, fundamentum sumpserunt ad negandam potentiam susceptivam naturalem in materia ad formas substantiales in particulari; & pro ipsis sic contra secundam partem nostræ conclusionis, in qua talem potentiam etiam ad formas in particulari adstruimus, insurgo; tum ex illis verbis, materia autem prima ad nullam formam determinatè inclinatur; tum ex repugnantia, quam verba allata præ se ferunt ex opposita intelligentia: ideo materia ligni v. g. non est violenter sub forma ligni, quia ad ejus oppositam non determinatè inclinatur: Ergo si determinatè inclinaretur ad oppositam, violenter quiesceret sub forma ligni. Patet consequentia, quia ex opposito antecedentis sequitur oppositum consequentis. Antecedens probatur, *quies violenta* (ait Scotus) *nunquàm est nisi quiescens determinatè inclinetur ad oppositum*: Ergo si materia prima determinatè inclinatur ad formam oppositam, quiescit violenter sub illa, in qua est.

480 Respondeo primò, quòd quando Scotus profert aliqua verba non fundando suam sententiam, sed pro alicujus argumenti solutione, non sunt prædicta verba ita genuina de mente Scoti, ut oppositum sine præjudicio mutabilitatis non possit teneri, maximè cùm sæpè sæpius ad argumenta contraria ex contrariorum fundamentis respondeat: & hæc sit prima regula ad cognoscendum quid sit de mente Scoti, & quid non. Secundò, quòd quando verba Scoti in aliquo loco aliqua ambiguitate, vel æquivocatione laborant, in illo sensu sunt intelligenda, in quo ipse Scotus se explicat aliis locis, maximè cùm stabiliendo suam sententiam procedit; & cùm Scotus locis supra num. 469. & sequenti citatis, asserat appetitum, sive capacitatem susceptivam materiæ esse ad omnes formas, & ad quamlibet in particulari, in illo sensu est intelligendus.

481. Sed rogabis, quomodò sibi sic concurrant ibi dicta cum eis, quæ hîc ab ipso Scoto dicuntur? Respondeo, quòd optimè, quia dupliciter considerari potest indeterminatio in aliquo; primò per exclusioné omnis determinationis, quia ad nullũ inclinatur, ut determinatio superficiei, respectu albedinis, vel nigredinis, vel alterius coloris, cùm ad nullũ inclinetur, & hoc modo materia prima non dicitur indeterminata, immò determinata ad omnes formas, quia ad omnes inclinatur. Secundo modo per exclusionem determinationis alterius, cùm ad unum sit determinatè inclinatum, & non ad aliud, ut lapis v. g. qui habet ratione gravitatis propensionem ad centrum deorsum, cum exclusione determinationis propensionis ad esse seorsum; & hoc modo, ait Scotus, materia prima ad nullam formam determinatè inclinatur, cum exclusione determinationis ad aliam, immò ad omnes formas inclinatur, & ideo dicitur ejus inclinatio indeterminata, quia non est ad hanc formam determinatam præcisè, & non ad aliam, sed ad omnes, ad hanc, & ad illam. Argu-

menta,

menta, quæ contra alias nostras conclusiones possunt objici, minoris sunt ponderis, & sic illa apud authores videnda omitto.

QUÆSTIO QUARTA,

De appetitu materiæ primæ.

482. CUM ex dictis quæstione præcedenti habeamus, quòd materia prima est in potentia susceptiva naturali respectu omnium formarum tam substantialium, quàm accidentalium, idque probaverimus ex eo, quòd ad tales inclinatur formas; meritò impræsentiarùm ventilare decrevimus, quid sit talis appetitus, & inclinatio, & an materiæ primæ conveniat? quapropter sit

ARTICULUS PRIMUS,

Quid sit appetitus, & an materiæ primæ convenire possit?

483. PRimò notandum, quòd appetitus prout abstrahit ab elicito, & innato, *est quædam propensio, & inclinatio naturæ in bonum appetibile ipsius appetentis.* Ita *Scotus in 4. dist. 49. q. 10. num. 15. §. ex his sequitur*, ubi ait: *appetitus enim naturalis est in ordine ad perfectionem ipsius appetentis.* Et in 3. dist. 17. q. unica. num. 3. §. sed quid. *dico, quòd appetitus naturalis qualibet in re generali nomine accipitur pro inclinatione naturali rei ad propriam perfectionem, sicut lapis naturaliter inclinatur ad centrum.* Primus appetitus (scilicet naturalis) est quidam impetus; unde quod movetur secundùm talem appetitum, movetur quadam necessitate, & impetu naturæ. Scotus in 5. Metaph. Arist. cap. 5. num. 37. §. notandum.

484. Dividitur appetitus in naturalem, sive innatum, id est à natura congenitum, & in elicitum: appetitus innatus est quædam propensio, & inclinatio naturæ ad perfectionem sibi debitam, & connaturalem, ut inclinatio lapidis in centrum, inclinatio levis ad esse sursum &c. & hoc sive illa perfectio, sive illud bonum, quod appetitur, sit præsens, sive absens.

485. Appetitus elicitus est actus vitalis potentiæ appetitivæ tendens in bonum sibi conveniens, qui appetitus licèt possit aliquo modo dici tendere in bonum, quod est præsens appetenti, præcipuè tamen in bonum absens terminatur; ex quo illud commune axioma ex 1. *Physic.* Philosophi *text.* 81. trahit originem (videlicet) *privatio est causa appetitus*; non quia privatio influit in appetitum, sed quia ubi est privatio debitæ perfectionis, sive boni naturæ congruentis, ibi datur formalissimè appetitus. Vide *Scotum in Metaphysicam lib. 1. q. 2. sub num. 6. §. ideo. & num. 8. §. ad secundum, & §. ad quartum. & in 1. dist. 1. q. 5. §. ad argumenta in fine.*

486. Appetitus elicitus ulterius est duplex, rationalis, & sensitivus. Rationalis est actus elicitus à natura intellectuali, tendens in bonum sibi conveniens, supponensque actum intellectus, sive cognitionem intellectualem rei, quæ appetitur; qualis est appetitus, qui reperitur in homine v. g. ad beatitudinem, ex eo quòd cognoscamus beatitudinem esse bonam nobis. Sensitivus est actus elicitus à natura irrationali in bonum sibi conveniens per sensitivam apprehensionem; qualis est, qui reperitur

in

in brutis, in cane enim v. g. datur appetitus elicitus ingrediendi in domum, in qua apprehendit per sensitivam quòd in tali domo bene sibi est, quia ibi capit cibos.

487. Appetitus elicitus ulterius dividitur in appetitum desiderii, & in appetitum complacentiæ: appetitus desiderii est actus elicitus terminatus ad bonum sibi conveniens, prout absens est tale bonum, quod appetitur. Appetitus complacentiæ est actus elicitus tendens in bonum præsens, & in illo complacens, & gaudens; de quo Augustinus 9. de Trinitate cap. ultimo: *appetitus inchoantis fit amor fruentis*; id est ille appetitus desiderii, qui erat in via videndi Deum, sive amandi, in Patria fit amor fruitionis, sive fit fruitio.

488. Hac etiam divisione solet dividi appetitus naturalis innatus ab aliquibus Scotistis, sed immeritò, quia contra Scotum est talis divisio, qui 1. *Metaph. q. 1. sub num. 7. §. ad primum argumentum in medio* ait: *appetitus naturalis nullius est delectari, lapis enim non delectatur deorsùm, unde delectatio tantùm videtur esse ejus, cujus est desiderium elicitum.* Et *num. 8. §. ad secundum: desiderium naturale non corrumpitur habito ipso volito, tale enim* (ubi supra) *velle naturale unius rationis est in voluntate, & in lapide.*

489. Dico primam conclusionem: appetitus innatus naturalis, qui quidam impetus, & inclinatio naturæ à Scoto appellatur, est quidam transcendentalis respectus fundatus in materia prima, & ab ipsa formaliter distinctus, terminatus ad formam tanquam ad propriam, & debitam materiæ perfectionem. Hæc conclusio est contra aliquos Scotistas, qui tenent esse eandemmet essentiam materiæ, quæ per se, & ex se inclinatur ad formas.

490. Hæc conclusio habetur expressè *à Scoto in 3. dist. 17. q. unica. num. 3. §. sed quid*, ubi ait: *dico, quòd appetitus naturalis in qualibet re generali nomine accipitur pro inclinatione naturali rei ad propriam perfectionem, sicut lapis naturaliter inclinatur ad centrum*; & paulò infra; *ideo naturalis inclinatio lapidis nil dicit ultra gravitatem, nisi relationem.* Et idem habet ibidem §. tunc dico. & in eodem 3. dist. 18. num. 20. §. ad aliud, ait: *ideo dico, quòd motus naturalis non est aliquis actus elicitus, sed solùm dicit inclinationem voluntatis in bonum, & illud nihil reale aliud voluntati addit*, sed si est relatio, est idem voluntati per identitatem realem; unde Scotus in 4. Report. dist. 49. q. 9. num. 5. §. quod ergo: *tolle ergo istam inclinationem, & tolles naturam.*

491. Probatur conclusio: appetitus in suo conceptu formali est ad aliud, scilicet ad bonum sibi appetibile: Ergo in suo conceptu formali est relatio, & non quidditas rei appetentis absoluta. Probatur consequentia, quia omne absolutum est ad se, appetitus est ad aliud: Ergo non est absolutum quid, sed relatio est: quod ab intrinseco est inseparabile mutuò: & quòd non sit materia prima probatur: quia in unica materia datur duplex appetitus ad multiplicem formam; sed quando unum multiplicatur altero non multiplicato manente, unum formaliter non est aliud: Ergo &c.

492. Dico secundam conclusionem

in materia prima datur appetitus innatus ad formas substantiales. Probatur ex *Philosopho* 1. *Physic. text.* 81. ubi ait: *materiam appetere formam, sicut turpe pulchrum, & femina virum.* Quòd sit Scoti patet ex locis supra citatis 469. & 470. & probatur: omne turpe appetit naturaliter pulchrum, omne incompletum compleri, & omne imperfectum perfici; sed materia prima in ordine Physico est turpis, & potentia incompleta, & imperfecta, ut ex supra dictis patet: Ergo naturaliter appetit appetitu innato formæ pulchritudinem, complementum, & perfectionem. Quoad formas accidentales etiam patet ex dictis num. 451. & 452.

Argumenta contra dicta.

493. PRimò arguitur contra nostram primam conclusionem ex *Scoto, qui in* 4. *dist.* 49. *q.* 10. *num.* 2. *§. respondeo*, ait: *respondeo, quòd duplex est appetitus in voluntate, scilicèt naturalis, & liber; naturalem solùm dico potentiam voluntatis absolutè, sed non aliquid superadditum voluntati*: Ergo ex mente Scoti appetitus naturalis innatus non est aliquid superadditum materiæ, sed absolutè ipsa potentia materiæ. Respondeo, quòd Scotus ait, non est aliquid reale distinctum realiter superadditum, non verò quòd non sit superadditum formaliter, ut ex verbis citatis ipsius Scoti patet.

494. Secundò arguitur contra secundam nostram conclusionem: privatio est causa appetitus: Ergo respectu illius formæ, de qua non datur in materia privatio, sive quam habet materia, non datur in ipsa appetitus. Patet consequentia; quia ubi non datur causa, non datur effectus. Respondeo distinguendo antecedens: privatio est causa appetitus naturalis innati, nego: eliciti, iterum subdistinguo: est causa influens in appetitum, nego: quia privatio cùm sit quid negativum, & appetitus elicitus quid positivum, negativum nequit habere influxum in positivum: est causa per accidens, sive occasionativè, omitto. Vide num. 485.

495. Tertiò arguitur: materia prima non potest appetere formam, quam habet, nec formam, quam non habet: Ergo nullam. Antecedens probo quoad primam partem: nemo appetit, nec desiderat quod habet, sed quod non habet; rei enim habitæ complacentiam habemus, & non appetitum, sive desiderium. Unde Avicenna 8. Metaph. cap. ultimo, ait: scias, quòd delectatio cujuslibet virtutis plena est acquisitio suæ perfectionis. Nec formam, quam habet, cùm hæc sit formæ præexistenti in materia incompossibilis, appeteret suam destructionem: Ergo nullam.

496. Respondeo negando antecedens, & ad ejus probationem distinguo antecedens quoad primam partem: nemo appetit, quod habet appetitu elicito, qui est, qui complacet rei possessione, concedo: appetitu innato, nego. Vide 479. & 180. cujus enim est gaudere de re possessa, ejus est non desiderare appetitu elicito, cæterum non appetitu innato. Ad authoritatem Avicennæ dico, quòd loquitur de delectatione elicita, non verò de innata, ut patet ex Scoto ubi supra. Quoad secundam partem

tem antecedentis nego, quòd appetat materia formam, quam habet, licet sit incompossibilis formæ præexistenti, quia hoc est per accidens, & præter intentum naturæ, & sic ex hoc capite sequitur corruptio formæ præexistentis, hoc præter intentum naturæ appetentis est, videlicet materiæ.

497. Quartò arguitur: quando materia est sub forma perfectiori, nequit appetere minus perfectam: Ergo non omnes appetit formas. Antecedens probatur: quod habet majus bonum in aliquo ordine, non appetit minus bonum ejusdem ordinis; sed forma perfectior majus bonum est in ordine Physico forma imperfectiori: Ergo materia prima quando habet formam magis perfectam, quæ majus bonum est, non appetit imperfectiorem.

498. Respondeo dupliciter, primò negando antecedens, & ad ejus probationem distinguo majorem: quod habet majus bonum in aliquo ordine, non appetit appetitu elicito, & ordinato minus bonum, concedo: appetitu innato, qui rationis particeps non est, nego: quia talis appetitus totum, quod sibi bonum est, est ejus objectum. Secundò negando antecedens, & distinguendo majorem: quod habet majus bonum, non appetit minus bonum, si illud majus bonum continet in se minus bonum, & inamissibiliter habetur, concedo: si non continet in se minus bonum, & amissibiliter possidetur, cujusmodi est forma magis perfecta, nego: ex quo nihil contra nos. Ita *Scotus in 1. dist. 1. q. 1. §. ad ultimum. sub num. 6.*

ARTICULUS SECUNDUS,

An unico, vel multiplici appetitu materia ad omnes formas inclinetur?

499. RESpondeo breviter cum *Scoto in 1. dist. 1. q. 1. num. 6. §. ad ultimum.* quòd materia prima tot habet appetitus ad formas, quot formæ sunt in ipsa receptibiles; verba sunt Scoti: *dico* (ait Scotus) *quòd non quæcumque forma satiat appetitum materiæ totaliter extensivè*, tot enim sunt appetitus materiæ ad formas, quot sunt formæ receptibiles in materia; sed formæ receptibiles in materia sunt plures: Ergo & appetitus materiæ plures sunt.

500. Probatur: appetitus materiæ est relatio transcendentalis terminata ad bonum ipsius materiæ, scilicet forma: Ergo multiplicata forma, multiplicatur appetitus. Probatur consequentia: multiplicato termino multiplicatur relatio; sed terminus relationis appetitus est forma: Ergo hac multiplicata multiplicari appetitus necesse est. Argumenta, quæ contra hanc conclusionem possunt objicere contrarium opinantes, ex dictis facilè solvetis, quia omnia intendunt probare, quòd appetitus innatus nec formaliter distinguatur à re appetente, cujus oppositum de mente Scoti articulo præcedenti ostendi.

ARTICULUS TERTIUS,

Utrum materia prima æqualiter appetat omnes formas?

501. POstquàm statuimus materiam primam appetere omnes formas, & hoc appetitu distincto, vel multiplici pro-

pter multiplicitatem formarum, restat nunc examinare, an materia prima æqualiter appetat omnes formas perfectiores, ac imperfectiores, vel magis appetat nobiliorem formam, quàm minus nobilem? Circa quam difficultatem prima sententia est Patris Fuentes in 1. Physic. q. 2. diffic. 3. art. 3. qui affirmat omnes æquali propensione respicere, & fundamentum est, quia inclinatio, sive appetitus materiæ nihil aliud est, quàm ejus capacitas receptiva formarum, & cùm capacitas hæc sit respectu omnium formarum æqualis, quia non magis capax est materia unius, quàm alterius formæ, inde fit, quòd æqualiter omnes appetat. Fuentes sequuntur quàm plures Scotistæ in suis manuscriptis, & quod magis est in via Scoti.

502. Nos verò, qui ex mente Scoti demonstravimus talem appetitum non esse ipsam capacitatem substantialem, & absolutam materiæ, sed quemdam transcendentalem respectum in ipsa fundatum, nec ejus fundamento assentire valemus, nec doctrinæ ejus non dissentire. Sit ergo nostra unica firmiter defensanda conclusio: materia prima appetitu naturali innato inæquali appetit formas, ita ut formam perfectiorem perfectiori impetu, & conatu, ac propensione appetat, quàm formam imperfectiorem, & quò magis, vel minus fuerit forma perfecta, eo perfectiori, vel minus perfecto appetitu appetitur à materia.

503. Hæc conclusio expressè habetur à Scoto in 1. dist. 1. q. 1. §. ad ultimum sub num. 6. ubi postquàm statuit tot esse in materia appetitus, quot formæ sunt in ipsa receptibiles, ait: *nulla igitur una forma potest per se satiare omnes appetitus materiæ ad formas, sed una satiat perfectißimè scilicet forma perfectißima* (hæc verba attentè considerate) *illa tamen non satiat omnes appetitus materiæ, nisi in illa una forma omnes formæ includantur.*

504. Ex quibus sic formo discursum: forma perfectissima perfectissimè satiat appetitum materiæ: Ergo appetitus materiæ ad talem formam perfectius satiatur: Ergo est talis appetitus perfectior. Probo consequentiam: appetitus specificatur ab appetibili tanquàm relatio à suo termino, & actus à suo objecto: Ergo perfectius appetibile perfectiorem specificat appetitum. Probatur antecedens: ideo appetitus ad beatitudinem est perfectior omnibus aliis, quia appetibile, ad quod terminatur, scilicet beatitudo, aliis omnibus quid perfectius est: Ergo pari passu ille erit perfectior appetitus, qui ad perfectiorem formam, sive appetibile terminatur.

505. Probatur secundò ex aliis Scoti verbis *ex 4. dist. 49. q. 10. num. 3. §. de illo appetitu naturali patet, quòd voluntas necessariò, & perpetuò, & summè appetit beatitudinem, & hoc in particulari; & quòd summè appetat, probo, quia summa inclinatio naturæ est ad summam perfectionem; sic enim arguit Philosophus 1. Metaph. si omnes homines natura scire desiderant: Ergo maximam scientiam maximè desiderant; sed summa perfectio voluntatis est beatitudo: Ergo.* Et 4. Report. eadem dist. q. 9. sub num. 5. §. quod summè, ait: *si ergo natura appetit suam perfectionem: Ergo summè appetit summam perfectionem.*

506. Item in 4. *dist.* 49. q. 13. *sub num.* 13. §. *ad tertium. dico, quod illud est simpliciter violentum, quod opponitur simpliciter naturali, & magis violentum, quod opponitur perfectiori naturali, & minus, quod minus naturali.*

turali. Item Scotus Theoremate 18. fol. 303. num. 2. §. *v. g. ait: similiter aliquo modo ex parte ordinis materiæ ad formam, nam materia ad talem maximè naturaliter inclinatur, ad alias minus naturaliter; ita quod naturalius quiescit sub hac, cum privatione aliarum, quæ sunt minus malæ, quam sub aliis, ad quas minus inclinatur, & cum quibus est privatio hujusmodi, quæ est majus malum. Hæc Scotus.*

507. Ex quibus evidenter ostendo meam conclusionem: ideo probat Scotus voluntatem creatam appetitu naturali summo appetere beatitudinem, quia beatitudo est summa perfectio naturæ intellectualis: Ergo quo majus, sive perfectius fuerit appetibile, sive res, quæ appetitur, eo perfectior erit appetitus naturalis, quo appetitur.

508. Et confirmatur: ideo ait *Philosophus* 1. *Metaph. in proœmio*, quòd maxima scientia (sc. Metaphysica, quam maximam vocat) maximè desideratur ab homine, quia homo naturaliter scire desiderat desiderio naturali: Ergo à simili bene valet, materia naturaliter desiderat formam: Ergo maximam formam, sive perfectiorem maximè, sive perfectiori desiderio, sive appetitu desiderat.

509. Probatur tertiò ex Scoto in 3. dist. 17. q. unica num. 11. & 12. quia experientia constat, quòd quando imminet percussionis periculum, homo amens, vel parvulus rationis expers naturaliter movet manum, exponens illam ad periculum ad salvandum caput: signum ergo est, quòd homo magis appetit caput naturali propensione, quàm manum; sed hoc non est nisi impetu naturali naturæ, quo magis appetit, quod magis appetibile est, scilicet pars magis nobilis, scilicet caput, ad tuendum caput: ergo &c.

510. Quartò probatur à paritate rationis; sicut se habet appetitus elicitus ordinatus ad bonum, sive appetibile sibi conveniens, sic se habet proportione servata appetitus innatus ad bonum sibi conveniens; sed qui appetitu elicito v. g. desiderat, sive appetit pecunias, magis appetit majores pecunias, sive divitias, quàm minores; & sic qui appetit mulierem pulchram, eò magis appetit, quò fuerit pulchrior, sive venustior: Ergo à simili, qui appetitu innato appetit propriam perfectionem, majorem perfectionem magis appetet; sed major perfectio materiæ est forma perfectior: Ergo &c.

Argumenta contra dicta.

511. Arguitur à Fuentes contra hanc nostram solidam conclusionem, & ab illum sequentibus mechanico fundamento, quod tale est: si materia prima perfectiori appetitu appeteret formam perfectiorem, sequeretur, quod esset sub forma minus perfecta violenter; sed ex Scoto sub nulla forma materia violenter quiescit: Ergo quia omnes appetit æqualiter. Probatur; quia semper materia esset magis propensa in illam formam perfectiorem, quàm quieta sub forma, quam habet minus perfecta: Ergo sub illa esset violenter.

512. Respondeo negando majorem, quia etiamsi manus exponitur ad evitandũ capitis periculum, quia plus diligit homo caput, quàm manũ naturaliter, nihilominus naturaliter exponitur, & non est violenter exposita in periculo; & etiamsi lapis naturaliter magis appetat centrum terræ, quàm medium, sive superficiem, nihilominus neq; in medio terræ, neq; in superficie manet violenta; & ita

 simili-

similiter etiamsi materia magis appetat perfectiorem formam, quàm minus perfectam, ex eo quod etiamsi minùs perfectam appetat, non manet sub illa violenter, licèt concedamus, quòd sub forma perfectiori perfectiori modo quiescit, quia illa perfectius satiat appetitum, ut ait Scotus, *una satiat perfectissimè, scilicet forma perfectissima*: & magis, & minus in eadem linea non variant speciem, & ita magis perfectus, vel minus perfectus appetitus intra eandem lineam appetitus naturalis manent, sine eo quod constituant in altero extremo violentiam. Alia, quæ contra hanc conclusionem possunt objici, ex dictis facile habebunt solutionem.

QUÆSTIO QUINTA,

Utrum materia saltem per divinam potentiam absolutam possit existere sine omni forma substantiali, vel accidentali; absoluta, vel respectiva?

513. Ostenso jam actu entitativo materiæ, quem esse existentiam statuimus num. 140. & sequentibus, & materiam existentia formæ non posse existere demonstrato, ut videre est num. 396. usque ad 413. facilis extat præsentis difficultatis solutio, quæ enim hîc desiderari contigerit, ibi indicantur, quapropter sit

ARTICULUS UNICUS,

Ubi materiam sine omni forma posse existere ex mente Scoti demonstratur.

514. Omissa sententia D. Thomæ, qui 1. p. q. 66. art. 1. & quodlibet. 3. art. affirmat materiam sine forma substantiali esse in rerum natura contradictionem involvere; quem sequitur Cajetanus cap. 5. de ente, & essentia q. 8. & aliorum ipsum sequentium: Dico primam conclusionem: materiam esse de potentia absoluta sine omni forma substantiali, vel accidentali absoluta nullam involvit contradictionem. Hæc conclusio expresè habetur à Scoto 1. Physic. q. 19. 20. & 24. & q. 7. ex 2. Physic. & in 2. dist. 12. q. 2. num. 3. §. respondeo ad quæstionem, & aliis in locis, quem sequuntur omnes Scotistæ, & ex contrariis omnes, quos supra in hac dist. q. 1. art. 2. p. 2. num. 347. retulimus proprium actum entitativum materiæ concedere.

515. Probatur conclusio fundamentali ratione, qua eam probat *Scotus in 2. dist. 12. q. 2. num. 3. §. respondeo*, ubi ait: *dico, quòd non est contradictio materiam esse sine forma quacumque substantiali, vel accidentali. Quod probo: omne absolutum distinctum, & prius alio absoluto potest esse sine contradictione sine illo; materia est ens absolutum, distinctum, & prius forma quacumque substantiali scilicet, & accidentali: igitur potest esse sine alio absoluto, sive potest esse sine forma substantiali, vel accidentali absoluta.* Major patet, quia nullum absolutum prius habet intrinsecam connexionem cum suo posteriori, etiam absoluto, neque ab illo dependet essentialiter. Minor, quòd materia videlicet sit quid absolutum, probatur: constitutum per materiam, scilicet compositum est quid absolutum: Ergo materia, quæ est pars illud componens, quid absolutum est, quia absolutum compositum non nisi absolutis partibus componentibus componitur.

ponitur. Quoad secundam, quòd scilicet sit prius materia formâ, patet, quia receptivum cujuscumque formæ est fundamentum ejus: Ergo est prius: Ergo &c. & roboratur: quia aliqua prioritate creatur prius materia quàm forma ex August. 13. confess.

516. Secundò probatur: quidquid Deus absolutum facit in creaturis mediante causa secunda, quæ non est de essentia causati, potest facere per se ipsum; sed media forma, quæ non est de essentia materiæ, in quantum materia est, Deus dat esse materiæ, & illam conservat: Ergo Deus sine forma potest creare, & conservare materiam. Major probatur: omnis virtus causativa, quæ reperitur in creatura de genere efficientis, & finalis, quæ sunt causæ extrinsecæ causato, reperitur eminentiori modo in Deo, patet, quia omnis talis virtus est participata à Deo: Ergo Deus per talem virtutem valet solus causare quidquid causat media causa secunda. Minor videlicet, quòd forma non sit de essentia materiæ, patet; si esset forma de essentia materiæ: Ergo adveniente alia forma in materia, esset materia alia, & alia essentia: Ergo &c.

517. Tertiò probatur: quidquid Deus immediatè creat, immediatè conservat, vel potest conservare sine indigentia creati adjuvaminis; sed Deus immediatè creat materiam: Ergo immediatè potest illam conservare sine forma. Probo majorem: omne absolutum prius alio absoluto, quod à Deo creatur, potest à Deo sine illo alio absoluto, sine quo creatur, conservari; materia prima est quid absolutum, quod creatur à Deo sine forma: Ergo potest à Deo conservari sine illa. Patet; quia Deus potest conservare absolutum sine illo, quod non est de ejus essentia; forma non est de essentia materiæ: Ergo sine forma potest Deus conservare materiam.

518. Quartò probatur: non magis dependet materia à forma, immo minus, quàm accidens absolutum à subjecto, etiam in opinione D. Thomæ; sed Deus potest conservare accidens sine subjecto: Ergo potiori jure materiam sine forma. Quòd talis dependentia materiæ à forma sit minor, quàm dependentia accidentis à subjecto, probo ex eorum fundamentis: ex Divo Thoma accidens existit existentia subjecti, & individuatur à subjecto: Ergo etiamsi materia existeret existentia formæ, ex eo quòd non individuetur à forma, minùs ab illa dependet, quàm accidens à subjecto. Probatur consequentia: quia illa est major dependentia, quæ est secundùm magis intrinseca dependentis; sed ratio individualis magis intrinseca est individuo, quàm existentia: Ergo magis dependet accidens à subjecto, quod dependet secundùm individuationem ejus, & existentiam, quàm materia, quæ solùm (ut ipsi ajunt) dependet à forma quoad existentiam; & nihilominùs Deus potest conservare accidens sine subjecto, ut patet de accidentibus eucharisticis: Ergo potiori jure potest conservare materiam sine forma.

519. Dico secundam conclusionem: materiam esse sine omni forma accidentali absoluta nullam dicit implicationem. Hæc conclusio rationibus præcedentibus potest probari, & hac unica ratione nihilominus osten-

ostenditur: Deus potest quidquid non implicat contradictionem de potentia absoluta; materiam esse sine omni forma accidentali absoluta nullam implicat contradictionem: Ergo &c. Minor probatur: non implicat, quod Deus faciat accidentia sine subjecto: Ergo neque subjectum sine accidentibus. Patet consequentia; quia magis dependet accidens à suo subjecto, quàm subjectum ab accidenti; sed primum Deus facere potest: Ergo & secundum.

520. Dico tertiam conclusionem: materiam esse in rerum natura sine accidentalibus formis relativis, quæ immediatè in ipsamet materia fundantur, ut sine relatione identitatis, sive convenientiæ cum alia materia, & sine relatione diversitatis, sive distinctionis ab aliis, quæ non sunt materia, non dicere, vel dicere contradictionem problematicè ostendo: pro parte negativa probatur: quia relatio talis naturæ est, quòd posito fundamento, & termino necessariò consurgit, ita quod ex eo quod duo alba sint in rerum natura sine aliqua nova actione, (quia ad relationem tertii prædicamenti, ut ait Scotus, non datur per se actio) necessariò consurgit similitudinis relatio: Ergo posita materia in rerum natura, necessariò est alteri materiæ idem per relationem identitatis, & formæ dissimilis per relationem diversitatis; sed esse unam materiam alteri materiæ idem, & formæ diversam, ex eo quod extrema sint, non est in potestate Dei, quia talis identitatis, vel diversitatis relatio non exspectat actionem divinam: Ergo implicat etiam de absoluto posse esse materiam in rerum natura sine tali relatione.

521. Quòd non implicet contradictionem materiam esse sine tali forma relativa, probatur: materia prima est fundamentum talis relationis: Ergo non implicat, quod sit materia prima, etiam posito termino sine tali relatione. Probo consequentiam: non implicat, quòd prius sit sine suo posteriori; quod non est de ejus essentia, sed materia, ut fundamentum, est prior relatione, quæ in ipso fundatur, & relatio non est de ejus essentia: Ergo potest esse sine illa.

522. Et roboratur, quia Deus potest per substractionem concursus impedire resultantiam relationis, etiam posito fundamento, & termino: Ergo potest Deus conservare materiam, quæ est fundamentum, & similiter terminum sine tali relatione. Probo antecedens: quia si Deus non posset impedire talem resultantiam per substractionem concursus, esset maximè, quia Deus non concurrit ad talem resultantiam; sed hoc est falsum: Ergo &c. Probo minorem: quia impossibile est, quòd detur aliquod ens in rerum natura, quod non dependeat à Deo in fieri, & conservari immediatè; sed si Deus non concurrit ad resultantiam relationis, daretur aliquod ens, scilicet relatio, quæ in fieri, & conservari ab ipso non dependeret: Ergo &c.

Argumenta contra dicta.

523. PRimò arguitur contra nostram primam conclusionem argumento, quod facit contra se *Scotus in 2. cit. num. 1.* Quanto aliqua sunt magis unum, tanto minus sunt separabilia; sed materia est magis unum cum forma, quàm passio propria cum sub-

subjecto: Ergo minùs est separabilis materia à forma, quàm passio à suo subjecto; sed impossibile est passionem separari à subjecto: Ergo impossibile est potiori jure materiam separari à forma. Major est manifesta, minor probatur: materia facit unum per se essentialiter cum forma, passio non facit unum per se essentialiter cum subjecto: Ergo magis unum est materia cum forma, quàm passio cum subjecto. Antecedens patet, quia passio convenit cum subjecto in secundo modo dicendi per se: Ergo non facit unum essentialiter cum illo: Ergo &c.

524. Respondeo ex eodem *Scoto ibidem num.6.§. ad argumenta*, distinguendo majorem: quantò aliqua sunt magis unum unitate identitatis, hoc est, quantò magis sunt idem realiter, tantò minus sunt separabilia, concedo majorem: quantò aliqua sunt magis unum unitate unionis in aliquo tertio, sunt minus separabilia, nego: sed forma est magis unum cum materia, quàm passio cum subjecto, distinguo: sunt magis unum unitate unionis in composito, concedo minorem: unitate identitatis, nego: Ergo sunt minus separabiles materia, & forma, quàm passio à subjecto, nego consequentiam. Itaque duplex est unitas, & unitas identitatis, qua ratione omnia, quæ sunt realiter idem, unum dicuntur; & unitas unionis, qua ratione ea, quæ uniuntur, cùm sint realiter distincta ad constituendum unum tertium, unum dicuntur. Illa, quæ sunt unum per identitatem, sunt inseparabilia, quia implicat, quòd sint idem, & separari valeant; quæ sunt unum per unionem maximè separabilia sunt, & hoc secundo modo unitatis materia, & forma dicuntur unum, quia sunt unitæ, non quia sunt idem, & sic sunt separabiles, quia destructa unione separatæ manent.

525. Secundò arguitur, & est argumentum, quod immediatè militat contra primam rationem factam à Scoto in probatione nostræ conclusionis: etiamsi forma, & materia unitæ sint priores naturaliter ipso composito substantiali, utpotè causa illius, & ab illo realiter distinctæ, & quid absolutum, nihilominùs nec de potentia absoluta possunt dari materia, & forma unitæ sine composito: Ergo etiamsi materia sit quid absolutum realiter distinctum à forma, & prius naturaliter illa, non inde bene arguitur posse dari materiam sine forma. Probatur antecedens quoad secundam partem, nam quoad primam videlicet quòd sint quid absolutum, inde patet, quod sunt causæ intrinsecæ entis absoluti, videlicet compositi; quòd sint priores, patet, quia sunt causa, & omnis causa est prior suo effectu; quòd sint realiter distinctæ, evidens est in via Scoti, ut infra patebit; quòd non possint dari sine illo, probatur, quia impossibile est, quòd detur forma unita materiæ, quæ est subjectum capax, quin illi tribuat suum effectum formalem informationis, & actuationis, & quin materia tribuat effectum materializationis; sed ubi datur actus, & potentia actualiter causantes, datur compositum: Ergo impossibile est, quòd dentur materia, & forma unitæ, quin detur compositum: Ergo etiam impossibile est dari materiam, quin detur forma.

526. Respondeo primò negando antecedens, quòd forma, & materia unitæ non possint per divinam potentiam manere sine composito, cujus sunt causæ

intrinsecæ, quia bene potest Deus substrahere concursum non influendo ad informationem, & receptionem, sive materializationem, & sic illas conservare unitas sine composito; sicut potest Deus ignem conservare unitum, sive approximatum ligno, quin illud cremet, per substractionem concursus ad cremationem. Et ad ejus confirmationem nego majorem, videlicet quòd non possit Deus unire formam materiæ, quin illi formæ tribuat effectum formalem actuandi, sive informandi; quia cum sit effectus ad extra, potest Deus pro libito suæ voluntatis, vel ad illum influere, vel non influere, & impedire; alias daretur aliquis effectus realis creatus, qui non esset in potestate divina, cùm ad illum non daretur Dei influxus.

527. Secundò respondeo, & fortè melius concedendo, quòd Deus non potest facere, quòd materia, & forma sint unitæ, & quòd non resultet compositum, negando tamen quòd Deus non possit conservare materiam sine forma; & ratio est, non quia entitas absoluta est forma, & materia unitæ, & priores &c. ideo non possunt esse sine composito à se realiter distincto, immò ex hoc capite bene poterant esse sine illo, sed quia forma unita materiæ per modum informationis est forma causans compositum, & materia unita formæ, per modum materializationis similiter est causa causans, & est implicatio, quòd sit causa causans aliquem effectum actualiter, quin sequatur necessariò ejus effectus, tanquam terminus illius causationis, sicut est impossibile, quòd ignis sit actualiter cremans, & quòd non sequatur ejus effectus; at verò materia prout distincta, & separata à forma non est causa causans formam, nec habens in illam influxum, & ita materia potest esse, & conservari à Deo sine forma; non verò materia, & forma unitæ possunt esse sine composito, ex eo quod prout unitæ sint causæ causantes compositum. Utraque solutio in via Scoti potest sustineri, eligite, quam malueritis. Alia argumenta, quæ contra nostras alias conclusiones possunt fieri, minoris sunt ponderis, & sic illa omittimus, quia ex dictis habent solutionem.

528. Tertiò arguitur, & est fundamentum Patrum Carmelitarum: si materia prima posset dari in rerum natura sine omni forma substantiali, sequeretur, quòd esset sub genere determinato, & quòd nullius esset speciei, quæ substantiali genere contineretur; sed hoc implicat, quia omne animal v. g. quod datur in rerum natura, necessariò est hujus, vel illius speciei individuum: Ergo & illud, ex quo sequitur. Probo majorem: esset materia sub genere substantiæ, & tamen nullius speciei, vel sub nulla specie earum, quæ sub substantia continentur, esset: Ergo &c. Patet antecedens, quia non contineretur materia sub specie ignis, ligni, terræ, aëris, & sic de singulis: Ergo sub nulla.

529. Respondeo negando sequelam, & ad ejus probationem concedo, quòd materia non contineretur sub specie aliqua ex assignatis; sed sub specie propria materiæ, quæ species incompleta est, sicut anima rationalis separata, neque est sub specie hominis, quia anima non est homo, neque sub specie aliqua Angelica completa est, sed sub specie animæ, quæ est species alia incompleta.

530. Quar-

530. Quartò arguitur: ſicut ſe habet figura ad corpus, ita forma reſpectu materiæ; ſed Deus non poteſt facere corpus ſine figura, quia jam eſſet infinitum in actu, cùm nulla figura terminaretur: Ergo nec materiam ſine forma. Reſpondeo concedendo majorem, & negando minorem, quia bene poteſt Deus facere corpus ſine figura, & non propter hoc eſſet infinitum in actu, quia licèt in tali hypotheſi corpus illud ſine figura non terminaretur termino intrinſeco, terminaretur tamen termino extrinſeco extenſionis, quod ſufficit.

531. Quintò arguitur: plus dependet materia à forma quàm forma quæcunque à materia; ſed formæ naturales corporeæ viventis v. g. non poſſunt à materia ſeparari, quia eſſent ſpirituales: Ergo nec materia à forma. Reſpondeo omittendo majorem, & negando minorem, quia ſicut Deus poteſt ſeparare materiam à forma, ita formam quamcumque à materia. Ita Scotus ubi ſupra num. 10. & tamen non eſſet forma illa ſpiritualis, quia ſicut quantitas ex eo quod ſeparetur, non efficitur ſpiritualis, ſed ejuſdem naturæ manet, ita illa forma ejuſdem naturæ maneret. Et etiam poteſt negari, quòd forma minus dependeat à materia, quàm materia à forma, etiamſi minus perfecta materia ſit, quàm forma.

532. Sed interrogabis pro complemento quæſtionis, Utrùm Deus in tali caſu, quòd materiam à forma ſeparatam conſervaret, indigeret majori concurſu ad conſervandam illam ſine forma, quàm modò præbet ad conſervandam illam ſimul cum forma? Reſpondeo cum *Scoto in eodem 2. ſub num. 9. §. ſi vero,* quòd in tali caſu idem met concurſus præſtaretur ex parte Dei ad conſervandam materiam, ac modò præſtat, ſed miraculum ſolùm ſtaret in hoc, quòd Deus ſuſpenderet concurſum ad introductionem formæ, ſive non concurreret ad formam introducendam in materia, & in tali ſuſpenſione concurſus, alio quocumque circumſcripto ſalvaretur miraculum permanendi materiam ſine forma, ſicut in ſuſpenſione concurſus ſtetit miraculum de non crematione puerorum in fornace Babylonica exiſtentium, nam ex eo quòd Deus cohibuit concurſum ad concurrendum cum igne, ignis non valuit pueros concremare.

533. Et ſi dicas, quòd plus requiritur ex parte Dei ad miraculum, quàm ad actionem naturalem conſervandi materiam modo naturali ſub forma, requiritur concurſus, qui modo datur: Ergo ad conſervandam illam ſine forma plus requiritur ex parte Dei de concurſu. Reſpondeo negando majorem; ad miraculum non requiritur nec plus, nec minus, quia ſolùm ſalvatur eſſentia actionis miraculoſæ in hoc, quòd fiat extra totam ſphæram, & leges ordinarias à Deo ſancitas; & cùm in tali caſu diſpenſaret Deus leges naturæ, non concurrendo ad introductionem formæ, cùm ex vi legum naturalium teneretur concurrere, in tali ſuſpenſione ſalvaretur eſſentia miraculi.

534. Secundò interrogabis, Ubi eſſet illa materia ſine forma? Dico cum *Scoto num.* 5. quòd ſicut Angelus, qui non eſt quantus, eſt in loco aliquo definitivè, hoc eſt, in loco taliter determinato, quod eſt hîc, & non eſt ibi, non circumſcriptivè ſuppoſito, quod ſit in univerſo; ſi tamen fieret extra univerſum, ubi locus non eſt, non eſſet in

loco definitivè; sic materia si fieret in universo sine forma, esset definitivè alicubi, si autem fieret extra universum, nusquàm esset localiter, vel definitivè, tamen esset natura quædam absoluta.

QUÆSTIO SEXTA,

Et ultima in hac distinctione, utrum materia prima corporum cœlestium, & sublunarium sit ejusdem speciei infimæ?

ARTICULUS PRIMUS,

Ubi aliqua ad quæsiti intelligentiam præmittuntur.

535. PRimò est notandum, quòd hîc non controvertimus de esse specifico completo, quod materia accipit à forma, cum qua quoddam completum compositum constituit, quia evidens est composita constituta ex materia & forma tam sublunaria quàm cœlestia esse quàm plura inter se specificè distincta, sed loquimur, & controvertimus, utrum materia cœlestium corporum separata à cœlestibus formis, & secundùm suam intrinsecam rationem considerata, & similiter materia corporum sublunarium à formis sublunaribus præcisa, attenta sua intrinseca natura, sit ejusdem speciei infimæ, cum illa eadem essentialia prædicata habens, ita ut solùm numero diversificentur inter se.

536. Secundò est notandum, quòd hîc non controvertimus, utrum materia sublunaris, & cœlestis sint ejusdem, vel alterius speciei adæquatè, quia cum ex dictis à nobis num. 335. hujus distinctionis, materia sibi vindicet actum differentialem Metaphysicè incompletum, necesse est dicere, quòd sit species Metaphysica incompleta, ut num. 530. diximus.

537. Tertiò est notandum, quòd hîc non solùm inquirimus de materia sublunarium ignis v. g. & aquæ inter sese comparatis, nec de materia primi cœli facta comparatione cum materia Solis, vel astri; sed tam de istis materiis, quæ in diversis compositis sublunaribus reperiuntur, facta comparatione inter se, quàm de materiis cœlorum inter se comparatis, & de materia sublunari comparata ad materiam corporum cœlestium.

538. Quartò est notandum, quòd difficultas supponit cum communi Theologorum consensu contra antiquos Philosophos, quòd corpus cœleste, quodcumque sit, constat materia, & forma Physica; quod etiam nos hîc supponimus, & omittimus disputandum ad libros de cœlo. Videte *Scotum in 2. dist. 14. q. 1. num. 2. §. respondeo: cœlum est corpus naturale: Ergo constat materia, & forma, quæ sunt cujusvis corporis naturalis principia.* Et lib. de rerum principio q. 8. num. 26. *Si quæstio quærat, an omnia habentia materiam, habeant unigeneam, vel univocè participent materiam? Dico quod sic.* Scotus.

ARTICULUS SECUNDUS,

Ubi materiam primam cœlestem, & sublunarem esse ejusdem speciei infimæ de mente Scoti stabilitur.

539. DIco primam conclusionem: materia prima corporum cœlestium,

ſtium, & ſublunarium eſt ejuſdem infimæ ſpeciei, ita ut ſolùm numero diverſificentur, eodem prorſus modo, ac una materia ſublunaris numero ab alia ſolùm diſtinguitur: *Ita Scotus in 2. diſt. 14. q. 1. ſub num. 2. §. quod ſi dicatur,* ubi ait: *Quod ſi dicatur materiam illam* (videlicet cœleſtem) *non eſſe ejuſdem rationis cum materiis receptivis diverſarum formarum, hoc videtur inconveniens.* Hanc ſententiam ſequuntur omnes Scotiſtæ contra D. Thomam, qui 2. contra gentes cap. 16. & 1. p. ſummæ q. 66. art. 2. ait: materiam cœleſtem, & ſublunarem eſſe ſpecificè diſtinctas; quam ſequuntur Cajetanus ibidem. Suarez tom. 2. Metaph. diſput. 13. ſect. 11. Conimbricenſes 1. de cœlo cap. 3. q. 1. art. 2. & alii.

540. Probatur concluſio ratione deducta ex textu Scoti citato: ſi materia prima cœli eſſet alterius ordinis, & rationis, ac eſt materia prima ſublunaris: Ergo darentur duæ materiæ primæ in univerſo alterius, & alterius rationis: ſed dari duas materias primas alterius & alterius rationis, eſt omninò contra ordinem univerſi: Ergo implicat dari duas materias cœleſtem, & ſublunarem alterius & alterius rationis. Major ex ſe patet, minor probatur: non ſunt in univerſo duo fines primi, nec duo efficientes primi, ex eo quòd ſubverteretur ex tali poſitione univerſi ordo: Ergo nec duæ materiæ primæ.

541. Et quòd non ſint in univerſo duo fines, nec duo agentes primi, probatur ex *Philoſopho*, qui 12. *Metaph. text. & comm.* 52. concludit unitatem univerſi ex unitate finis, ubi ait: *ad unum quidem enim omnia coordinata ſunt*: quia ſi eſſent duo fines primi, ad quos omnia coordinarentur, coordinatio unius eſſet coordinationi alterius contraria, & ſic non unus univerſus, ſed duo eſſent, quod implicat. Si darentur ſimiliter duo efficientes primi, darentur duæ primæ cauſæ, quarum neutra dependeret ab alia, & ita duo Dii, & duo primi independentes: Ergo ſicut implicant duo fines primi, & duo agentes primi, ita implicant duæ materiæ primæ.

542. Secundò probatur: illa, quibus convenit eadem definitio eſſentialis, ſunt eſſentialiter idem; ſed materiæ primæ cœli, & ſublunari convenit eadem definitio materiæ: Ergo eſſentialiter, & ſpecificè ſunt eadem ſpecie materia. Minor probatur: illa, quæ habent eadem eſſentialia conſtitutiva, eadem definitione definiuntur, materia cœleſtis, & ſublunaris habent eadem conſtitutiva eſſentialia: Ergo eadem definitione definiuntur. Probatur minor: hoc quod eſt eſſe primum ſubjectum ſubſtantiale, ex quo omne compoſitum ſubſtantiale fit, eſt definitio materiæ ſublunaris, & hac eadem definitione definitur materia prima cœleſtis: Ergo eadem definitione definiuntur. Quod ſi ita non eſt, ſed alia definitione materia cœleſtis definitur: Ergo non erit materia prima. Patet, quia quod non definitur definitione hominis, non eſt homo: Ergo quod non definitur definitione materiæ primæ, non eſt materia prima.

543. Præterquam quòd ſi materia prima ſublunaris non habet actum, ſive eſſentiam actualem, vel Metaphyſicam diffe-

differentiam, ratione cujus in esse talis constituitur, & distinguitur ab omni alio, quod non est ipsa, ut ipsi Thomistæ ajunt, quomodo potest stare, quòd ipsa secundùm se specificè distinguatur à materia cœlesti secundùm se considerata, quia quod in se non est non distinguitur. Vide inconsequentiam in doctrina Divi Thomæ. See al. Atrobine.

Argumenta contra dicta.

544. PRimò arguitur contra nostram conclusionem à Thomistis, ex authoritate *Philosophi*, qui 8. *Metaph. text.* 2. ait: *in aliquibus cœlis, vel non esse materiam, vel non esse talem, qualis in rebus caducis reperitur.* Et 1. *de generat. cap.* 6. ait: *ea, quæ mutuò agere, & pati non possunt, non habere eandem materiam*; sed corpora inferiora nullam habent actionem in corpus cœleste, neque in illo agunt mutuò: Ergo horum, & illorum materia, & alia & alia est ex mente Philosophi.

545. Ad has, & similes authoritates respondeo primò, quòd Philosophus lapsus est in errorem, affirmans cœlum esse incorruptibile, & ab æterno ex se necessarium, & sic nihil mirum, quòd vel materiam cœlis non concedat, vel si concedit, asserat esse alterius rationis. Secundò dico propter tanti Magistri authoritatem, quòd Philosophus ibi non loquitur de materia cœli secundùm se, sed de illa prout qualitatibus cœlestibus est affecta, vel formis. In quo sensu verum est quod distinguitur à sublunari non ratione sui, sed ratione formæ cœlestis, ex eo quòd talis forma non habet qualitates ad corruptionem disponentes, neque illarum est capax.

546. Secundò arguitur: si cœlum haberet materiam ejusdem rationis cum materia corporum sublunarium, sicut corpus sublunare est corruptibile, ita cœlum corruptibile esset; sed cœlum esse corruptibile est contra communem Philosophorum consensum: Ergo habere materiam ejusdem rationis cum nostra, non est admittendum. Major probatur: ideo corpora sublunaria sunt corruptibilia, quia habent materiam, quæ est corruptionis principium: Ergo si cœlum haberet materiam ejusdem rationis cum nostra, esset etiam corruptibile.

547. Respondeo distinguendo majorem: esset cœlum corruptibile ab intrinseco ratione materiæ, quæ est principium intrinsecum corruptionis, concedo: proximè, nego. Duplex itaque est corruptibilitas, alia remota, alia proxima: corruptibilitas remota est, quæ convenit cuilibet habenti materiam, nam cum materia sit ex se omnium formarum capax, & ad omnes dicat appetitum, sivè inclinationem, potest informari forma, quam non habet, & amittere illam, sub qua est. Corruptibilitas proxima non solùm attenditur penes principium intrinsecum corruptionis, sed petit, ad hoc quod proximè aliquid corruptibile sit, dispositiones accidentales, quæ quidem qualitates ex eo quòd inter sese pugnent, & contrarientur, disponunt subjectum, in quo sunt, ad proximam corruptionem. Prima corruptibilitas scilicet remota, & in actu primo est quæ invenitur in corporibus cœlestibus, ex eo quod materia gaudeant. Secunda verò minimè, quia corpus cœleste non

non habet qualitates contrarias, nec capax earum est, & sic est corruptibile remotè, non verò proximè.

548. Tertiò arguitur: forma cœli est incorruptibilis, ita ut indissolubili nexu uniatur cum materia: Ergo cœlum est incorruptibile. Probo antecedens: illud est incorruptibile, quod non potest corrumpi ab aliquo creato agente; sed nexus quo forma cœli cum materia unitur, non potest corrumpi ab aliquo creato agente: Ergo est incorruptibilis talis nexus: Ergo cœlum incorruptibile est. Probo minorem; quia si esset cœlum corruptibile naturaliter, esset aliquod agens creatum, quod esset corruptivum cœli; sed hoc non datur: Ergo &c. Probo: cuilibet potentiæ passivæ naturali correspondet aliqua activa naturalis: Ergo si materia cœli esset passivè receptiva naturaliter aliarum formarum, & ex hoc capite cœlum esset corruptibile, daretur in natura aliquod agens activum naturale, quod possit illud corrumpere, & actuare illam materiam: Ergo &c.

549. Respondeo negando antecedens in sensu explicato de incorruptibilitate remota, & ad ejus probationem nego majorem; sufficit enim, quòd agens divinum possit corrumpere formam cœli, & aliam formam in materia introducere, ut cœlum corruptibile simpliciter dicatur: & ad ejus probationem similiter nego majorem. Ad confirmationem autem nego majorem: potentiæ enim passivæ naturali non correspondet agens naturale, sed forma naturalis naturaliter perfectiva talis passivæ potentiæ (videte quæ num. 460. diximus de hac potentia) in cæco enim datur potentia passiva naturalis receptiva visus, & tamen non datur agens naturale, quod possit talem formam inducere, & si non datur agens naturale, quod possit introducere aliam formam in materia cœli & illam formam cœlicam expellere, hoc enim non est, quia talis materia non sit susceptiva omnium formarum, sed quia est forma carens contrariis dispositionibus, & earum incapax, & sic nunquam potest actualiter corrumpi, etiamsi in se corruptibilis sit.

550. Quartò arguitur: plus distinguitur corpus cœleste à sublunari, quàm corpus sublunare ab alio corpore sublunari; sed materia corporum sublunarium est ejusdem speciei: Ergo materia corporum cœlestium non ejusdem, sed alterius speciei est. Probo consequentiam: quotiescumque principiata sunt distincta, principia constitutiva eorum distincta sunt; sed materia corporis cœlestis, & sublunaris est principium constitutivum eorum: Ergo si corpus cœleste & sublunare plus quàm specie distinguuntur, materiæ, quæ sunt principium constitutivum eorum, plus quàm specie distinguuntur.

551. Respondeo concedendo majorem & minorem, & negando consequentiam, & ad ejus probationem distinguo majorem: quotiescumque principiata sunt distincta, principia constitutiva formalia sunt distincta, concedo: principia constitutiva materialia, nego. Homo enim, & leo plusquam numero distinguuntur, & homo, & lapis plus quàm specie, & nihilominus materia lapidis, hominis, & leonis, est ejusdem speciei, & ita similiter etiamsi cœlum plus distinguatur ab homine quàm equus, non inde sequitur, quòd materia

cœli

cœli ſit diverſa in ſpecie in homine, & cœlo; nam diſtinctio ſemper ſumitur per formam, non verò per materiam, quæ in omnibus eadem eſt; ſicut diſtinctio hominis ab equo non ſumitur penès animalitatem, quæ quaſi materia in utroque reperitur eadem, ſed penès formas differentiales rationalis, & irrationalis.

552. Quintò arguitur: forma cœli eſt incorruptibilis, & non poteſt deſinere niſi per annihilationem: ergo cœlum eſt incorruptibile. Probatur; quia cujus principia ſunt incorruptibilia, eſt incorruptibile; ſed principia cœli, materia videlicet, & forma ſunt incorruptibilia: Ergo cœlum eſt incorruptibile.

553. Reſpondeo negando antecedens, & ad ejus probationem nego majorem; licèt enim anima rationalis ſit incorruptibilis, & ſimiliter materia prima, nihilominus conſtitutum per ipſam, homo videlicet eſt corruptibilis, ex eo quod poſſit anima à corpore ſeparari, ſive à materia in doctrina Divi Thomæ, & ita licèt demus, quòd forma cœli ſit incorruptibilis, & ſimiliter materia, ex eo quòd materia cœli poſſit à ſua forma ſeparari, non eſt corruptibile. Et dicta pro hac diſtinctione de materia ſufficiant, ut ad alia tranſeamus.

DISTINCTIO TERTIA,

De ſecundo tranſmutationis ſubſtantialis principio, quod eſt privatio.

554. CUM ex à nobis dictis num. 349. privatio ſit tranſmutationis principiũ, licet non compoſiti naturalis, ut patet ibidem num. 198. & privatio prius natura ſit in materia, quàm forma, ut ait Scotus in 3. diſt. 3. num. 15. & ordo naturæ petit, quòd quæ priora ſunt in eſſendo, ſint etiam in cognoſcendi ordine priora, actis jam de materia, reſtat nunc de privatione agere.

QUÆSTIO UNICA;

De eis, quæ ad privationem exſpectant ſecundùm quod ad præſens attinet inſtitutũ, ubi de quidditate, natura, & exiſtentia privationis.

555. PRivatio ſic à *Scoto in* 1. *diſt.* 28. *q.* 2. *§. privatio autem ex Philoſ.* 5. *Metaph. cap.* 22. definitur: *eſt carentia formæ in ſubjecto apto.* Per ly *carentia* convenit cum negatione, & per ly *in ſubjecto apto* diverſificatur ab illa. Ita communiter omnes tam Philoſophi, quàm Theologi.

556. Privationem dari à parte rei communis eſt Philoſophorum conſenſus; & probatur breviter: à parte ante conſiderationem intellectus cæcus eſt privatus viſu: Ergo à parte rei datur privatio viſus in cæco. Item à parte rei datur lucis privatio. Idem dico de materia informata forma ligni, in qua datur privatio formæ ignis, ex eo quod capax ſit talis formæ, & illam non habeat.

557. Privationem autem eſſe diſtinctam à materia, & forma eſt certum, & apud ferè omnes indubitatum, quia licèt *Scotus in* 1. *Phyſic. q.* 19. *num.* 9. videatur dicere, quòd privatio non diſtinguitur à materia, loquitur de privatione radicali, hoc eſt, de radice, ſive fundamento privationis, non verò de ipſa privatione formali; vel ſi loquitur de ea, loquitur ſecundùm mentem Philoſophi, non verò ex proprio cerebro.

558. Dari ergo diſtinctionem realem negativã inter formam, & privationẽ, & inter privationem, & materiam, ſic oſtendo: illa diſtinguuntur realiter, quorum unum poteſt eſſe ſine alio; ſed materia poteſt eſſe ſine privatione, & ſimiliter forma: ergo materia, & forma realiter diſtinguuntur à privatione. Minor patet; quia quando forma eſt in materia,

teria,

teria, tunc non datur privatio illius formæ. Et quòd talis distinctio sit negativa, inde patet, quia alterum extremum, videlicet privatio, quid negativum & non positivum.

559. Privatio igitur in materia, de qua philosophamur ad modum entis, sive formæ positivæ, non quia privatio aliquid positivũ habeat, sed propter imperfectionem nostri intellectus, qui illam non potest percipere, nisi ad modum positivi, ex eo quod tam debilis naturæ sit, quòd non potest movere intellectũ ad sui cognitionem, & inde fit illud axioma commune, privatio cognoscitur per formam, sive ad modum formæ, quia forma est, quæ specificat privationem.

560. Ex quibus sequitur, quòd cum privatio sit carentia formæ in subjecto apto, tot privationes dari necesse est in materia, quot sunt formæ, quarum materia est capax, & illas non habet; & cùm formæ, quæ possunt esse in materia, sint specificè aliquæ, aliæ verò genericè distinctæ; illæ privationes, quæ sunt formarum, quæ specie distinguuntur, sunt specie distinctæ, & privationes formarum genericè distinctæ; & sic formæ solùm numero distinguuntur, etiam privationes earum solùm numero distinguunrur, quia privatio à forma specificatur.

561. Secundum tamen est, quòd privatio est proprietas negativa subjecti, quod denominatur privatum, quæ necessariò sequitur subjectum, tanquàm passio, non quia inseparabilis sit, sed quia implicat, quòd subjectum sit in re, & quòd non habeat formam, cujus capax est, & quòd non habeat privationem illius, quia cùm privatio sit non esse formæ in tali subjecto, ex eo quòd forma non sit, de necessitate est privatio, & sicut forma positiva necessariò supponit subjectum, in quo sit aliqua prioritate saltem naturæ; ita similiter privatio, quæ est forma negativa, necessariò supponit subjectum, quod denominat privatum in aliqua prioritate, antequàm ei insit.

562. Insuper est notandum, quòd ad hoc quòd detur alicujus formæ in aliquo subjecto, necesse est, quòd forma, & subjectum sint realiter distincta; unde inter essentiam, & passiones realiter identificatas nequit inveniri privatio, unde licèt in illo signo, sive instanti, in quo intelligitur homo, non intelligatur ejus passio, videlicet risibilitas, tamen in illo signo non datur in homine privatio risibilitatis, quia risibilitas non est nata inesse formaliter homini pro illo signo, sed in signo naturæ sequenti, & in illo signo privatio inest subjecto, in quo subjectum natum erat habere formam, & illam non habet.

563 Non esse privationem principium corporis naturalis neque in fieri, neque in facto esse, jam manet num. 178. primæ distinctionis probatum; non posse similiter univocè cum aliis principiis convenire etiamsi principium esset, num. 138. probavimus; esse conditionem sine qua potius quàm rigorosè transmutationis principium docuimus num. 188. esse principium transmutationis substantialis lato modo, & extrinsecum patet ex num. 186. & dicta pro hac distinctione de privatione sint satis, ut ad alia majoris notæ transeamus.

DISTINCTIO QUARTA,

De Forma substantiali, quæ est secundùm corporis naturalis principium.

Postquàm de materia, & privatione, nec non de aliis ad eas pectantibus egimus; restat nunc de forma substantiali agere, quæ

quæ est ultimum principium tam generationis substantialis, quàm corporis naturalis principium est, licèt dignitate sit prius, ut jam jam videbimus.

QUÆSTIO PRIMA,

De quidditate, & existentia formæ substantialis.

ANtequàm ad petitum quæstionis respondeamus, varia nomina, quibus à Philosophis solet excellentia Formæ laudari proponam, ut ejus dignitas patefiat.

ARTICULUS PRIMUS,

Ubi aliqua nomina, quibus solet communiter nominari Forma, proponuntur, & ejus existentia demonstratur.

564. Dicitur imprimis Forma, eò quòd formet informitatem materiæ, poliatque ejus ruditatem, sine qua materia rudis, informis, & propè nihil, ut ait Augustinus. Dicitur secundò species, sive decora, eò quod decoram, pulchramque reddit naturam. Dicitur *quod quid erat necesse*, eò quod à forma principalius sumitur quidditas rei. Dicitur actus, quia sicut materia est pura subjectiva potentia, ita forma est purus actus nil includens de potentia, actuans, & determinans potentialitatem materiæ. Dicitur à Platone proles divina, quia ex eo quod actus præ cæteris creaturis suo assimilatur creatóri, dicitur character, quia materiam sigillat, & per illam devenimus in cognitionem materiæ. Dicitur finis, & terminus, quia finis, & scopus est, in quem tendit natura per generationem, licèt non adæquatum, tamen principale.

565. Dari formas substantiales de facto generabiles, & corruptibiles, ita firmum est, ac est dari novas generationes, & corruptiones in universo quotidiè, ita definitum extat in Concilio Lateranensi 3. sub Leone X. sess. 8. ibi definit Concilium, animam rationalem esse formam informantem realiter distinctam à materia. Probatur ergo hac unica ratione: compositum substantiale ligni distinguitur substantialiter, & essentialiter à composito substantiali ignis: Ergo habet aliquod principium intrinsecum substantiale, & essentiale, per quod fiat talis distinctio; sed hoc principium intrinsecum substantiale, & essentiale, per quod substantialiter, & essentialiter distinguitur, non est materia prima, cum in utroque sit ejusdem rationis: Ergo est aliud intrinsecum principium; præter materiam non est aliud, nisi forma substantialis: Ergo datur forma substantialis.

ARTICULUS SECUNDUS,

Quid Forma substantialis sit, & quotuplex demonstratur.

566. FOrma substantialis sic à *Philisopho in 2. Physic. cap. 3. text.* 28. definitur: *forma est ratio ipsius quidquid esse.* Et 5. *Metaph. cap. 2. text. 6. dicitur per quamdam appropriationem, quatenùs forma est principalior pars definitionis, & principalius faciens ad quidditatem Dei.* Scotus ibidem sub num. 7. §. notandum, & in 1. Metaph. cap. 1. sub num. 90. §. notandum.

567. Communiter igitur sic à Philosophis

phis definitur: *est actus simplex substantialis unum per se cum materia constituens.* Quæ definitio licèt possit sustineri, aliam nihilominus nostris principiis conformiorem tradam: *forma est primus actus Physicus substantialis, qui neque ex aliis Physicè compositivè fit, sed omnia Physicè composita ex illo per se fiunt.* Primus dicitur, quia alium non supponit; dicitur *substantialis* ad differentiam formarum accidentalium; dicitur *actus*, quia ejus munus est actuare, & determinare materiam; dicitur *Physicus* ad differentiam Dei, & Angeli, qui licèt actus substantiales dicantur, non tamen sunt actus Physici. Aliæ particulæ ex applicatione eorum, quæ diximus definiendo materiam num. 302. & sequentibus patent.

568. Pro clariori tamen intelligentia formæ, nota quæ num. 293. & 294. secundæ distinctionis de materia diximus, quia omnia vice versa de forma possunt explicari; nam sicut in artificialibus forma v. g. artificialis statuæ est, quæ determinat, exornatque materiam ligni v. g. quæ secundùm se indifferens erat, & constituit cum illâ formaliter statuam; ita proportione servata in naturalibus forma substantialis est, quæ determinat materiam, actuat, atque exornat, constituitque cum illa compositum substantiale: & similiter sicut in naturalibus calor v. g. constituit formaliter subjectum, in quo est calidum, & frigiditas frigidum, ita similiter forma substantialis ignis v. g. constituit ignem, & reddit materiam igneam, & forma aquæ reddit materiam aqueam, & sic de aliis.

569. Forma igitur ut sic, prout abstrahit à substantiali, & accidentali dividitur æquivocè in substantialem, & accidentalem: forma substantialis jam manet explicata: forma accidentalis & actus actuans subjectum, & unum per accidens cum illo constituens, ut frigiditas, calor &c. Forma substantialis etiam æquivocè dividitur in formam inexistentem, & informantem: forma inexistens est substantia completa spiritualis intimè inexistens, sive assistens in alio, ut Deus, qui intimè præsens est ubique ratione suæ immensitatis, & Angelus sive bonus, sive malus, qui inexistens corpori alicui, illud movet, sed non informat, ut aliqui dæmones faciunt permissione divina, aliquod assumentes corpus vel verum, vel phantasticum, & de hoc non est sermo nobis hîc. Forma Physica informans, quæ est, quæ intimè unitur per unionem informationis cum materia, & illam actuat, & constituit compositum, est, quæ hîc definitur, cæteræ verò impropriè formæ appellantur.

570. Forma substantialis informans ulteriùs dividitur univocè in corpoream, & spiritualem: spiritualis est anima rationalis, & nullam aliam cognoscimus. Corporea iterùm subdividitur in corpoream viventem, & non viventem. Vivens est, quæ constituit vivens formaliter, ut quæ reperitur in plantis: non vivens, quæ reperitur in lapide, aqua, terra, igne &c., & in reliquis non viventibus. Forma ulteriùs vivens dividitur in sensibilem, & in insensibilem: sensibilis est, quæ datur in animalibus, quæ verè sensibilia sunt; non sensibilis, in plantis, de quibus Deo dante in libris de anima. Circa formam modo explicato nulla ferè sunt argumenta,

ta, & sic illa omittimus apud authores videnda.

QUÆSTIO SECUNDA,

Utrùm forma Physica substantialis, vel accidentalis educatur de potentia materiæ primæ.

CElebris difficultas, quæ inter omnes solet controverti de forma est, quam proponit titulus indagandam. Pro cujus intelligentia per prius aliqua notare necesse est, quapropter sit

ARTICULUS PRIMUS,

Ubi quid sit eductio declaratur, & aliqua pro intelligentia petiti proponuntur.

571. Eductio alicujus formæ ab aliquo subjecto in communi omnium consensu nihil aliud sonat, quàm dependentiam formæ in fieri, & conservari à tali subjecto. Unde illa forma, quæ à subjecto in fieri, & conservari dependet formalissimè, dicitur educi de potentia talis subjecti; quomodo autem sit intelligenda hæc formæ à subjecto dependentia, vel in quo genere causæ sit, est controversia inter authores Scholasticos.

572. Alii dixerunt, quòd dependentia formæ in fieri à subjecto stat in hoc, quòd ad fieri talis formæ, necessariò supponitur subjectum, in quo fiat, & exemplificant de sigillo, ad hoc ut suam similitudinem exprimat, necessariò supponit ceram, in qua talem similitudinem expressurum est. Ita similiter ad hoc quòd forma producatur, seu fiat, necessariò supponit subjectum, in quo fiat, & sit; & sicut artifex indiget subjecto, in quo navis, vel mensæ formam artificialem introducat; ita naturale agens indiget subjecto, in quo forma producatur, & fiat. Quod confirmant ex *Philosopho*, qui 2. *Metaph. cap. ultimo*, ait: *si domus esset eorum, quæ natura, sic fieret à natura, sicut nunc ab arte. fol.693. Scotus. & in 2. Physic. cap. 22. si natura faceret domum, vel navim, faceret ea, sicut facit ars*: ita tamen ut ex parte subjecti nullus detur Physicus influxus, sive causalitas ad formam quæ in ipso fit, sed tantummodò passiva receptio, ut in cera respectu sigilli, quæ merè passivè se habet, & in ligno respectu formæ navis, vel mensæ.

573. Hanc sententiam patrocinantur Rubius 1. Physic. tract. 4. de forma q. 1. Murcia disput. 6. q. 1. Hurtado disput. 4. sect. 2. qui citant pro se alios, & quod magis, aliqui Scotistæ in suis manuscriptis autumantes esse de mente Scoti. Sed contra illos insurgo: ideo forma dicitur dependere in fieri à subjecto, quia supponit subjectum, in quo fiat absque aliquo influxu se tenente ex parte subjecti; sed anima rationalis supponit necessariò subjectum, in quo fiat, quia si non esset corpus, non produceretur anima: Ergo anima rationalis est educta de potentia subjecti, & non creata, quod est contra fidem: idem dico de gratia, & aliis formis supernaturalibus, quæ in via Scoti non educuntur de potentia subjecti, & tamen necessariò supponunt subjectum, in quo fiant, & sine illo non possunt conservari.

574. Alii alia somniaverunt, ut Anaxagoras, quòd formæ, quæ de novo generantur, non propriè generentur, sed patefiant, cùm

ante

ante generationem in materia latitassent abſconditæ. Alii ut Avicenna,& Plato negarunt omnem concurſum tam ex parte ſubjecti ad formas, quæ de novo producuntur, quàm ex parte agentis naturalis, ſed Deum, vel intelligentiam aliquam producere eas affirmant. Alii virtutem ſeminalem à materia diſtinctam, quæ eſſet formarum effectrix,conceſſerunt,de quo vide Scotum in 2. diſt. 18. q. 1.

575. Ut autem nos veram Scoti noſtri intelligentiam aperiamus, & quid veritati conformius ſit in hac parte tenendum doceamus, eſt primò notandum, quòd eductio formæ de potentia materiæ nihil aliud ſonat, quàm extrahere formam à materia, ſive trahere, & ponere extra materiam, ſicut educere aliquem de domo, vel denarium ex marſupio, ſonat trahere illum extra domum, & extrahere denarium ex marſupio, quod Hiſpanicè dicitur: *Sacar a uno de caſa, o ſacar el dinere de la bolſa.*

576. Secundò eſt notandum, ut exemplo materiali appoſito res clarius evadat, quòd ſicut requiritur, quòd denarius ſit in marſupio, ad hoc ut ex illo extrahi, ſive educi dicatur, ſic requiritur, quòd forma ſit in materia, ad hoc ut forma extra illius potentiam educi dicatur: hoc tamen diſcrimine, quòd denarius actualiter formaliter requiritur, quòd ſit in marſupio, ut extra illud extrahi valeat; forma verò non ſic debet eſſe in materia, ſed virtualiter ſolùm ut in cauſa, nam hoc ſonant illa verba, *eductio formæ de potentia materiæ.*

577. Ex quibus apparet, quòd formam educi de potentia materiæ, nil aliud eſt, quàm facere, ut forma, quæ antea erat in potentia materiæ, tanquàm effectus in virtute ſuæ cauſæ actualiter in materia exiſtat, & producatur ab agente naturali coadjuvato à materia, tanquàm ab alia concauſa; ita ut illa forma, quæ in virtute cauſæ continebatur, & in virtute, ſive potentia materiæ, ab utroque ſimul, materia videlicet, & agenti, tanquàm ab una cauſa integra totali, & adæquata materia, forma extrahatur ab eſſe in virtute cauſæ, & ponatur per veram actionem in eſſe actuali in materia.

578. Ex quibus ſequitur corollarium, quod nec agens naturale eſt cauſa totalis formæ, nec ſimiliter materia, ſed utraque partialis, ita ut nec agens ſine materiæ concurſu valeat attingere formam, nec materia ſine concurſu agentis formam producere valeat; ita ut materia non merè paſſivè ſe habeat in formæ eductione, ſed præbendo concurſum quaſi effectivum ad formam, & ipſam cum agente concauſando.

579. Tertiò eſt maxime notandum, quòd cùm concurſus commenſuretur cum virtute cauſæ, à qua procedit, ille erit perfectior concurſus, ſive influxus, qui à perfectiori virtute, ſive cauſa emanat: unde cùm agens ſit perfectius materia, & materia imperfectiſſimum quid ſit in genere entis, ſive ſubſtantiæ (eſt enim propè nihil, ut ait Auguſtinus) eſt nobis dicendum, quòd quamvis materia, & agens conſtituant unam cauſam adæquatam reſpectu formæ, quæ educitur, ſive producitur, tamen concurſus ſe tenens ex parte agentis nobilior,& perfectior eſt, quàm concurſus ſe tenens ex parte materiæ, tum quia plus cauſat de

de forma, quàm materia; tum quia à perfectiori virtute emanat; & ita licèt forma contineatur in virtute agentis, & materiæ, antequam producatur, plus continetur, & modo perfectiori in agente, quàm in materia, quia virtus hujus minima, & ejus influxus minimus, & illius perfectior.

ARTICULUS SECUNDUS,

Ubi ad quæsitum in quæstione fit satis.

580. DIco primam conclusionem: omnis forma substantialis corporea educitur de potentia materiæ, sive quod idem est, fit dependenter à materia, tanquàm à causa in formam Physicè influente; ita ut materia non merè passivè se habeat ad fieri formæ, sed illi præstet influxum, & efficientiam. Hæc conclusio habetur expressè à *Scoto in 4. dist. 1. q. 1. num. 33. §. ad aliud de annihilare: Dico quòd solius Dei est annihilare &c. sicut quælibet creatura requirit causam concausantem in fieri, scilicet principium potentiale. Et lib. 7. Metaph. q. 12. sub num. 7. §. ad primum argumentum,* apponens discrimen inter generationem, & creationem, ait: *propriè autem potest dici creatio, quòd creatio est sic de nihilo, non ut ex termino, sed ut ex subjecto. Quod nullum subjectum habeat in productione illa aliquam rationem causalitatis, ita quod nullum subjectum concauset causatum cum efficiente, cujus oppositum semper accidit respectu naturæ.*

581. Item *lib. de rerum principio q. 6. art. 1. num. 9. §. tertiò sic arguitur*, assignans rationem, quare agens creatum non possit creare, divinum verò sic, ait: *quæ producuntur de non esse ad esse, quædam solùm sunt in potentia agentis, qualia sunt creata; quædam in potentia agentis, & materiæ, ut generata: quæ autem sunt in potentia materiæ & agentis, non procedunt ab agente, tanquàm à tota causa; omne igitur, quod creatur, procedit a creatore, tanquàm à tota causa.* Idem fere habet Scotus in 2. dist. 18. q. unica.

582. Probatur nostra conclusio: formam educi de potentia materiæ, nil aliud est, quàm formam in fieri, & conservari dependere à materia tanquàm à causa partiali, & materiali, sed omnis forma substantialis corporea dependet in fieri, & conservari à materia tanquàm à causa materiali, & partiali: Ergo omnis forma substantialis corporea educitur de potentia materiæ. Et confirmatur: quia in hoc distinguitur creatio à generatione, quia formæ, quæ creantur, fiunt ex nullo præsupposito subjecto ad fieri illius, quod creatur, concurrente; at verò formæ, quæ generantur, necessariò supponunt subjectum, quod ad fieri formæ Physicè influat, & à quo forma in fieri, & conservari dependeat. Minor probatur: nulla forma substantialis corporea datur, quæ possit nec fieri naturaliter, nec conservari absque subjecto: Ergo omnis forma dependet in fieri, & conservari ab illo tanquàm à causa materiali, quia si talis forma daretur, esset forma completa, & subsistens, & non forma Physica partialis, sive pars compositi, de qua hîc loquimur, & esset agens naturale, quod naturaliter posset ipsam formam secundùm se totam producere.

583. Dico secundam conclusionem: formæ substantiales etiam cœlorum, & elemen-

mentorum fuerunt in mundi constitutione eductæ de potentia materiæ. Pro hac conclusione citatur *Scotus in Theoremate 22. & in 4. dist. 1. q. 1. & in Report. dist. 18. q. 1. sub num. 5. §. igitur. Et in eodem 4. dist. 49. q. 3.* Sed legi, & perlegi textum Scoti, & tale non inveni, vellem certè, cum Scotum adducunt patronum, quòd referrent originaliter verba, citarent §. & numerum, sed fortè illum nunquàm viderunt, qui contra faciunt. Hæc conclusio habetur expresè à *Scoto lib. de rerum principio q. 8. sub num. 27. §. item*, in fine ait: *& hoc sit necesse, ut omnia entia determinata, ut elementa, cæli surgant, & oriantur, ex uno indeterminato* (scilicet materia.) Et num. 28. *item certum est, videtur, quòd Deus in constitutione mundi hunc ordinem servaverit, ut de uno indeterminato, quod est materia immediatè subjecto, omnem multitudinem rerum fecerit, & quòd saltem ordine naturæ procedat de imperfecto ad perfectum.*

584. Probatur conclusio authoritate D. Augustini, qua eam probat Scotus ibidem, qui in principio de mirabilibus Sacræ Scripturæ cap. 1. ait: *Omnipotens Deus ex informi materia, quam ipse prius ex nihilo condidit cunctarum rerum visibilium, & invisibilium, hoc est sensibilium, & insensibilium, intellectivarum, & intellectu carentium species multiformes divisit.* Et lib. 13. confess. cap. 33. *de nihilo non à te, non dè te facta sunt omnia, sed de concreata, id est, simul à te creata materia.* Et paulo infra: *mundi autem speciem* (id est formam) *de informi materia:* Ergo prius Deus creavit ex nihilo materiam, & postea formas omnium de potentia materiæ eduxit, fecit, & formavit.

585. Hæc conclusio est contra D. Thomam, & ejus sequaces. Probatur 1. ratione supra facta num. 583. de formis in communi, quia ibi dicta de qualibet in particulari possunt applicari. Secundò probatur ratione, qua eam probat Scotus loco citato: ex Sacra Scriptura constat, quòd Deus in constitutione mundi procedit de imperfecto ad perfectum, instar artificis, qui paulatim perficit artificiatum: ait enim Scriptura, *quòd terra erat inanis, & vacua:* donec tertio dixit Deus: *germinet terra herbam virentem.* Genes. 1. *quòd tenebræ erant super faciem abyssi,* donec Deus dixit: *fiat lux, & facta est lux, divisitque lucem à tenebris.* Cœlum similiter, quod prima die creavit, quarta exornavit Sole, Luna, & stellis. Aquis similiter, quæ operiebant terram, & permixtæ erant, tertia die imperavit, dicens: *congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt, in locum unum:* Ergo similiter Deus eundem servavit ordinem, prius producendo informem, & imperfectam materiam, & postea illam exornando formis substantialibus cœli, & terræ, quæ in fieri, & conservari ab illa dependent; nam licèt Deus posset per se solùm tales formas creare, & postea in materia eas inducere, nunquam tamen Deus ordinem naturæ subvertit, & cùm tales formæ ex sua natura petant fieri in materia, & ex illa dependenter, tali modo petito ex natura formarum, creditur Deus eas fecisse; nam ut ait Augustinus, *sic Deus res, quas condidit, administrat, ut suos cursus agere sinat.*

586. Et roboratur: ordo naturalis creaturarum perfectissimus est, utpotè inditus à Deo authore naturæ; sed ordo naturæ talis est,

est, ut semper procedat de imperfecto ad perfectum, ut patet in generatione naturali, in qua de semine procedit ad formam sanguinis, de forma sanguinis ad embryonem, de embryone ad corpus organicum, de corpore organico ad animam, & idem dico de artificialibus: Ergo eundem ordinem servavit author naturæ, ut de uno indeterminato, & imperfecto, qualis est materia, omnem multitudinem rerum, & formarum fecerit; nam non est credibile, quòd author naturæ in prima naturæ formatione, ipsam violentaret naturam non se illius legibus accommodando.

587. Dico tertiam conclusionem: omnes formæ accidentales naturales (& loquor de forma naturali prout à forma artificiali distinguitur, non prout à neutra, vel violenta secernitur) educuntur de potentia subjecti, in quo subjectantur: & dico notanter de subjecto, in quo subjectantur, nec controvertamus modò, an in materia immediatè, vel in composito substantiali subjectentur? Probatur: quia omnes tales formæ in fieri, & conservari dependent à subjecto: Ergo de ejus potentia educuntur. Quòd dependeant in conservari, inde patet, quòd naturaliter nequit stare accidens sine subjecto; quòd dependeant etiam in fieri, probo, quia si posset agens naturale efficere accidens independenter à subjecto, posset sine illo conservare, quia illa actio, quæ se sola est sufficiens dare esse, sufficiens est conservare tale esse se sola: Ergo &c.

588. Dico quartam conclusionem: forma artificialis quomodocumque fiat, vel per compositionem partium, ut domus, vel navis; vel per substractionem partium, ut illa, quæ sculpuntur, ut imago stylo ferreo sculpta in ære, sive metallo, vel per transpositionem materiæ, ut quando cera mutatur de una figura in aliam, cùm forma impropriè sit, etiam impropriè dicitur à potentia subjecti, quod artificiatum denominatur, educi: patet, quia talis forma artificialis fit dependenter à subjecto, in quo fit: Ergo &c.

Argumenta contra dicta ponuntur, & solvuntur.

589. PRimò arguitur contra nostram primam conclusionem: illud, quod magis perfectum est, nequit dependere in fieri ab illo, quod minoris perfectionis est; sed forma quæcumque substantialis magis perfecta, quàm materia est: Ergo nulla forma substantialis potest dependere in fieri à materia: Ergo neque educi à materia. Major probatur: nam ideo ait Scotus, quòd accidens nequit producere substantiam, quia accidens imperfectius est substantia: Ergo &c.

590. Respondeo distinguendo majorem: illud, quod magis perfectum est, nequit dependere ab illo, quod majoris perfectionis est, tanquam à causa totali, & adæquata, concedo: tanquàm à causa partiali inadæquata, nego: quia ad hoc quòd aliquæ causæ partialiter possint causare aliquem effectum, non est necesse, quòd quælibet causa partialis sit æqualis perfectionis cum effectu, sed solùm, quòd omnes causæ concurrentes ad fieri illius effectus sint æqualis perfectionis collectivè, ac est effectus, & cum materia simul cum agente naturali efficiant unam causam totalem respectu formæ,

sufficiens

ſufficiens eſt, quòd forma, quæ educitur de potentia materiæ, ſit æqualis perfectionis, ac ſunt cauſæ dantes eſſe.

591. Secundò arguitur: ad hoc ut aliqua forma educatur de potentia materiæ, neceſſe eſt, quòd contineatur virtualiter ſaltem & partialiter in materia; ſed datur aliqua forma ſubſtantialis, quæ nec partialiter virtualiter poſſit contineri in materia: Ergo datur aliqua forma ſubſtantialis, quæ non poteſt educi de potentia materiæ. Major ex dictis num. 570. & 571. hujus patet, minor probatur: forma ſubſtantialis viventis ſenſitiva, quæ reperitur in equo v.g. non poteſt contineri in materia, quia omne, quod vivens eſt, perfectius quid ſimpliciter eſt quocumque non vivente: unde Auguſtinus 7. de trinitate: *jure viventia non viventibus anteponimus.* Et Eccleſiaſtes Proverb. 19. *melior eſt canis vivus leone mortuo*: Ergo forma viventis in materia, quæ vivens non eſt, contineri non valet nec partialiter: tum quia non vivens nequit influere vitam in alio, quia cum non habeat vitam, nequit illam alteri dare: tum quia ideo dicimus tanquàm de fide, quòd anima rationalis non educitur de potentia materiæ, quia anima rationalis ſpiritualis eſt, & materia corporea: Ergo ſicut corpus, eò quòd inferioris ordinis nequit habere influxum in ſpiritum, ita materia, eò quòd non vivens, & inferioris ordinis, ac eſt forma viventis, nequit in illam nec partialiter influere.

592. Reſpondeo primò concedendo majorem, & negando minorem, & ad ejus probationem concedo antecedens, videlicet quòd forma viventis ſimpliciter perfectior ſit, quàm materia, & nego conſequentiam, videlicet, quòd nec partialiter poſſit contineri in materia ſaltem quoad eſſe ſubſtantiale corporeum, quamvis non quoad eſſe viventis. Pro cujus intelligentia nota, quòd forma viventis dupliciter poteſt conſiderari, & prout forma ſubſtantialis corporea eſt, & ex hoc capite poteſt fieri dependenter à materia ob rationes ſupra factas: & prout viventis forma eſt, & ex hoc capite repugnat in materia contineri, cùm vita in non vivente contineri non valeat; & ſufficit, quòd contineatur quoad eſſe corporeum ſubſtantiale, licèt non quoad eſſe viventis, ut ex illa quoad illud partialiter de materiæ potentia educatur: quod patet de intellectione, quæ ſecundùm quod vitalis producitur ab intellectu, & non ſecundùm quod repræſentativum, & ſecundùm eſſe repræſentativum producitur ab objecto, & non ſecundùm eſſe vitale; & in viſione beatifica, quæ ſecundùm quod vitalis eſt, procedit ab intellectu, & ſecundùm quod ſupernaturalis eſt, producitur à lumine gloriæ, ita ſimiliter in noſtro caſu; ratio vero quare anima rationalis non poteſt dependere à materia in fieri, eſt, quia omnis actio, quæ procedit à virtute corporea, neceſſariò corporea eſt, & corpus non poteſt agere in ſpiritum, & cum anima rationalis ſpiritus ſit, nequit produci neque ab agente corporeo, neque à materia, non verò quia majoris, vel minoris perfectionis ſit.

593. Secundò reſpondeo, quòd continentia formæ in materia eſt imperfectiſſima, ſicut & entitas materiæ imperfectiſſima

est, quæ non attenditur nisi penès hoc, quòd forma, quæ in virtute materiæ continetur, petat fieri dependenter à materia, cùm extra illam nec fieri, nec conservari valeat, & sic non requiritur quòd perfectè contineatur in materia, sed imperfectè, & hoc secundo modo bene potest forma viventis imperfectè in materia contineri. Ad illud, quòd non vivens nequit alteri vitam dare, verum est de causa efficienti, in qua requiritur, quòd effectus perfectè contineatur, & quòd effectus non excedat virtutem causæ; non verò de causa materiali, qualis est materia; cùm hæc ex natura sua petat esse inferioris ordinis, & perfectionis, ac est forma, quæ de ejus potentia educitur. Ad confirmationem de anima rationali jam est responsum.

594. Sed contra dicès: forma viventis sensibilis non solùm exsuperat virtutem materiæ, sed etiam agentis creati: Ergo ab agente creato nequit talis forma educi de potentia materiæ. Antecedens probatur: quia agens vivens, videlicet sensibile, equus v. g. non agit nisi medio semine, ita ut generante jam mortuo ex semine in matrice fit animalis generatio; sed semen imperfectius est illo, quod generatur ex ipso, cùm semen non sit vivens, & equus v. g. qui generatur vivens sit, & aliàs semen in generationis instanti jam corruptum sit: Ergo ab agente creato nequit talis forma viventis educi de potentia materiæ: Ergo nec datur in materia potentia passiva naturalis ad talem formam, quia omnipotentiæ passivæ naturali correspondet alia naturalis activa; sed non datur potentia activa creata, quæ possit illam formam educere: Ergo nec potentia passiva naturalis, à qua possit educi.

595. Respondeo concedendo totum argumentum usque ad ultimum antecedens de potentia passiva naturali, & activa, quia quamvis demus, quòd omnipotentiæ passivæ naturali debet correspondere potentia naturalis activa, nego tamen, quòd talis naturalis activa debeat esse creata, sed sufficit, quòd sit increata, & divina, media qua Deus ut author naturæ facit, quod natura non valet, supplendo vicem illius, itaque in omni generatione viventium Deus est, qui formas viventes de potentia materiæ educit, cum agens creatum, quod medio semine operatur, non valet ipsas producere, & sic semper recurrendum est ad Deum: *Ita Scotus in 4. dist. 43. q. 2. num. 21. & in 2. dist. 18. q. unica. num. 5. & 6.* quia ex hoc argumento non sequitur, quòd forma viventis non educatur de potentia materiæ, sed quòd non educatur ab agente creato, quod verum est.

596. Tertiò arguitur contra secundam nostram conclusionem, in qua asserimus formas cœlorum, & elementorum eductas fuisse de potentia materiæ, & non creatas à Deo in mundi constitutione: cœlum, & terram esse creata, est veritas de fide: Ergo eorum formas non esse creatas, sed eductas de potentia materiæ est contra fidem. Probatur antecedens ex sacra pagina Genes. 1. ubi ait Spiritus Sanctus: *in principio creavit Deus cœlum, & terram*: Ergo oppositum hujus asserere hæreticum est & contra fidem.

597. Respondeo, quòd verbum illud *creavit* non sumitur ibi in rigoroso sensu, sed

idem

idem est, ac si diceret, in principio fecit Deus cœlum, & terram; & quòd in hoc sensu sit intelligendum, & non de rigorosa creatione, patet ex symbolo fidei, ubi dicimus, *credo in unum Deum factorem cœli, & terræ*: ubi Deum factorem nominamus, & non creatorem, quia verbum *creavit* multoties in sacra pagina sumitur non rigorosè, sed pro rei productione, & sic jam uno, jam altero utitur Scriptura verbo, ut patet in ipso 2. Genes. num. 4. ubi ait: *istæ sunt generationes cœli, & terræ*: ubi productionem cœli, & terræ generationes vocat, & non creationes; & prosequitur, *quando creatæ sunt in die, quo fecit Deus cœlum, & terram.* Et 1. Genes. num. 27. ait Scriptura: *& creavit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam, ad imaginem Dei creavit illum.* Cùm de fide sit certum, quòd non fuit hominis productio creatio, quia non hominem ex nihilo fecit, sed de limo terræ: ait enim Scriptura Genes. 2. *formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, &c.*

598. Quartò arguitur contra conclusionem: illæ formæ propriè educuntur de potentia materiæ, quarum privationes tempore præcedunt in materia; sed privatio formæ cœli, & terræ non præcedit tempore in materia in mundi constitutione: Ergo formæ cœli, & terræ non fuerunt eductæ de potentia materiæ. Probatur antecedens: illa forma educitur de materia, quæ antea non erat in materia: Ergo illa forma educitur, cujus privatio præfuit in materia aliquo tempore. Et confirmatur, quia ad hoc quod materia influat in formam, necesse est, quòd materia sit prior forma: Ergo in illo priori materia erat sub privatione pro aliquo tempore.

599. Respondeo negando majorem: sufficit enim, quòd pro aliquo signo naturæ intelligatur materia sine forma, ut in secundo signo naturæ possit educi forma de materia: prioritas enim materiæ ad formam non est major, quàm prioritas causæ ad effectum: sed causæ ad effectum prioritas solùm petit esse naturæ, & non temporis: Ergo &c. Ut patet de Sole, à quo lux procedit; in eodem enim temporis instanti, in quo est Sol, etiam est lux, etiamsi aliqua prioritate natura Sol prior luce sit. Idem dico de materia, quæ prior natura est sine forma, & in secundo signo naturæ est sub forma, ita tamen, ut in eodem temporis instanti materia sit, & cum forma sit, & in illo instanti, in quo materia nata est esse sub forma, si non ponatur sub forma, ponitur sub privatione formæ; & cum materia cœli, quæ in primo signo creata est, in secundo fuit informata, non præfuit privatio, quia in primo signo, in quo materia erat, neque erat sub forma, neque sub privatione formæ, quia sicut forma supponit in aliquo priori materiam, ita privatio in aliquo priori supponit materiam, in qua sit, & hoc maximè nota.

600. Quintò arguitur contra tertiam nostram conclusionem, in qua asserimus formas omnes accidentales naturales prout ab artificialibus distinctæ, & à supernaturalibus educi de potentia subjecti: datur aliqua forma accidentalis naturalis, hoc est, non supernaturalis, nec artificia-

lis, quæ non educatur de potentia subjecti; immò quòd sibi repugnet eductio: Ergo non omnis forma accidentalis naturalis educitur de potentia subjecti. Probo antecedens: calor v. g. qui producitur in aqua, & omnis forma, quæ est subjecto violenta, implicat, quòd educatur de potentia aquæ: Ergo &c. Probo antecedens: aqua nec formaliter, nec virtualiter est calida, sed frigida ex natura sua: Ergo nequit continere in sua virtute calorem, quia calor, & frigiditas sunt contraria, & nullum continet in virtute sua, quod est destructivum suæ virtutis, sed calor est aquæ destructivum, & violentum: Ergo nequit in aqua contineri, neque ab illa educi.

601. Fateor vim, & difficultatem hujus argumenti, quòd ferè consultò omnes omittunt, quia non audent responsum illi adhibere. Respondeo igitur negando primum antecedens, & similiter consequentiam, & ad ejus probationem similiter nego antecedens, & nego similiter, quòd aqua virtualiter saltem non sit calida virtualiter potentialiter remotè, quia etiamsi aqua sit virtualiter frigida, potest nihilominùs esse virtualiter calida, quia frigiditas, & calor virtualis non apponuntur, sicut non opponuntur rationale, & irrationale in omnipotentia divina, in qua virtualiter continentur, & sunt idem non solùm realiter, sed formaliter inter se, & cum omnipotentia divina, quia effectus virtualiter in causa non est aliud, quàm ipsa virtus absoluta causæ, & similiter spirituale, & corporale. Idem dico de calore, & frigiditate contentis in aqua, quæ non sunt aliud, quàm virtus, & substantia aquæ valens esse causa caloris, & frigiditatis; hoc tamen discrimine, quòd est causa adæquata non solùm passiva, sed activa frigiditatis, & sic magis continetur frigiditas in aqua, quàm calor; & causa inadæquata, & materialis solùm respectu caloris, quatenùs potest materialiter concurrere cum agente naturali, igne videlicet, ad producendum in se calorem, qui quidem calor, postquam productus est, jam apponitur aquæ, & est illi violentus. Ex quibus apparet, quòd ad hoc ut aliqua forma educatur de potentia subjecti, non est necesse, quòd subjectum sit in potentia naturali receptiva respectu formæ, quæ educitur, ut malè asserunt Scotistæ aliqui, sed solùm requiritur, quòd talis forma fiat dependenter à subjecto, vel sit violenta, vel naturalis, vel neutra respectu subjecti.

602. Sextò arguitur: gratia, fides, charitas, & spes sunt accidentia, quæ in fieri, & conservari dependent ab anima, & nihilominùs non educuntur de potentia animæ, sed creantur, ut ait Scotus in 4. dist. 1. q. 1. & in 3. dist. 27. q. unica, & est receptum in omni Schola Scotica: Ergo plus requiritur ad eductionem formarum accidentalium, quàm fieri, & conservari dependenter à subjecto. Probo antecedens: illa forma fit dependenter à subjecto, sine quo non valet fieri, nisi adhibeatur major concursus ex parte producentis; sed gratia, fides &c., non valent fieri à Deo extra animam, nisi adhibeatur major concursus ex parte Dei, quàm modo exhibetur: Ergo fiunt dependenter à subjecto. Major probatur: major virtus requiritur ad fieri, & conservari accidens extra sub-

ſubjectum, à quo eſſentialiter omne accidens dependet, quàm ad fieri, & conſervari in ſubjecto; patet, quia hoc ab agente naturali poteſt fieri, & modo naturali; illud non niſi ab agente divino ſupplente vicem ſubjecti, ut patet in accidentibus euchariſticis, quod eſſe ſine ſubjecto omnes prædicant miraculum: Ergo &c.

603. Hujus etiam argumenti vim effugientes terga vertunt Scotiſtæ, & illud ſilentio commendant. Reſpondeo igitur negando majorem, videlicet quòd talia accidentia ſupernaturalia nec in fieri, nec in conſervari Phyſicè dependent à ſubjecto, ſed à ſolo Deo, à quo creantur; & ad ejus probationem concedo majorem, & nego minorem, & ad ejus probationem diſtinguo majorem: major virtus requiritur ad conſervandum accidens naturale, quod in fieri, & conſervari dependet à ſubjecto extra ſubjectum, quàm fieri, & conſervari in ſubjecto, concedo; ut patet in euchariſticis accidentibus: ad fieri, & conſervari accidentia ſupernaturalia, quæ à ſubjecto nullum participant influxum, ſed à ſolo Deo producuntur, & conſervantur, nego. Ita quòd ſi Deus crearet gratiam extra animam, ſive ſubjectum, & ibi illam conſervaret, non indigeret majori concurſu, quàm modò exhibet creando illam, & conſervando in anima, quia anima merè paſſivè ſe habet, & non coadjuvat ad Phyſicam gratiæ productionem, ſed ſolùm ſtaret miraculum in tali caſu in hoc, quod cùm Deus ſtatuiſſet gratiam nunquàm niſi in anima creare, & conſervare, diſpenſaret in tali decreto, & lege, conſervando, & creando gratiam extra animam; ſicut ſi Deus crearet animam rationalem, & illam non infunderet in corpus, non adhiberet majorem concurſum, quàm modò præbet, quando illam creat in corpore, ſed ſolùm ſtaret miraculum in diſpenſatione legis de non creanda anima extra corpus, cujus eſt actus. Idem dicito ad argumentum. Et dicta ſint ſatis, qui plus deſideraverit, authores conſulat. Argumenta, quæ contra quartam concluſionem poſſunt efformari, nullius ſunt roboris, & ſic illa omittimus.

QUÆSTIO TERTIA,

Utrum per divinam potentiam abſolutam poſſint plures formæ ſubſtantiales completæ, & non ſubordinatæ eandem numero informare materiam, vel una forma plures numero materias diſtinctas, & idem dico de formis accidentalibus?

ARTICULUS PRIMUS,

Ubi aliqua ad intelligentiam quæſiti neceſſaria præmittuntur.

604. Primò eſt notandum, quod quæſtio non procedit naturaliter, hoc eſt, non quærit, utrum naturaliter ſit poſſibile plures formas ſubſtantiales non ſubordinatas eſſe in materia ſimul? quia cum ſufficienter ſit materia unica forma informata, & determinata, naturaliter nequit plures habere, & cùm alias ſæpiſſimè forma diſtincta diſtinctas, & fortè oppoſitas diſpoſitiones petat, ac petit alia, inde fit, quòd hoc naturaliter non poſſit evenire. Nec ſimiliter quærit de formis ſubſtantialibus partialibus, & in ordine ad aliud ordinatis, quia evidens eſt, quòd caput v. g. habet

habet formam distinctam partialem, ac habet manus, & manus ac oculus, & oculus ac auditus, cum quælibet dictarum distinctum munus, & operationem sortiatur: nec de illis, quæ subordinantur per modum actus, & potentiæ, quia certum est in nostra schola, quòd forma corporeitatis est in homine subordinata ad formam rationalem, & tanquàm animæ susceptivum.

605. Secundò est notandum, quòd quæstio procedit de formis substantialibus completis, hoc est de illis formis, quarum quælibet nata est completè constituere simul cum materia compositum completum, ut forma lapidis, ligni, ignis, & aquæ, utrum possit Deus eandem numero materiam infomare simul forma ignis, & aquæ, vel ligni, & ignis, vel duplicem simul formam ignis ponere in materia, vel duplicem animam rationalem, vel animam irrationalem, & animam equi, vel leonis.

ARTICULUS SECUNDUS,

Ubi ad quæsitum per conclusiones fit satis.

606. DIco primam conclusionem: materiam primam eandem de potentia absoluta simul informari forma ignis, & aquæ v. g. vel quibuscumque aliis formis substantialibus, quæ immediatè in materia subjectantur, vel sint formæ ejusdem, vel alterius rationis, etiamsi formæ completæ sint, nullam dicit implicationem. Hæc conclusio est contra D. Thomam part. 1. q. 76. art. 3. & 4. & opusculo 33. & quodlib. 1. art. 6. ejus sequaces, nec non & contra Fuentes 1. Physic. q. 4. diffic. 3. art. 1. num. 33. & contra alios modernos Scotistas in suis manuscriptis.

607. Hæc conclusio expressè habetur à *Scoto in 3. dist. 8. q. 1. §. hic dicitur. V. respondeo num. 7.* ubi ait: *respondeo, quòd cum in subjecto sint plures potentiæ ad plures formas ejusdem speciei, si non inducatur aliquis actus, continens omnes actus, qui possunt illi perfectibili inesse, non terminatur tota potentia ipsius susceptivi, & ideo non est contradictio, quòd aliqua alia forma similis insit.* Et in fine *§. quia subjectum habens potentialitatem ad plures formas est illimitatum ad illas.* Et licèt Scotus in prædictis verbis loquatur, ut patet in textu, de formis accidentalibus ejusdem rationis, tamen ratio, sive fundamentum, quod assumit Scotus ibi ad probandum de istis formis, de omnibus concludit, nam ipse Scotus §. sequenti, sive versiculo num. 8. ait: *hæc ratio dicta procedit de pluribus absolutis in eodem perfectibili.*

608. Probatur conclusio ratione deducta ex verbis Scoti: quotiescumque aliquod subjectum habet potentiam, sive capacitatem ad plures formas, non satiatur, nec terminatur subjectum per unicam formam totaliter extensivè, nisi talis forma sit ita perfecta, quòd omnes alias contineat; sed in materia prima datur capacitas ad omnes formas, immò tot potentiæ, sive appetitus, quot sunt formæ in materia receptibiles, ut num. 249. diximus: Ergo non satiatur materia totaliter extensivè, nec ejus capacitas terminatur per aliquam creatam formam: Ergo est in potentia, & ad recipiendas alias: Ergo potest Deus illas in materia ponere absque ulla implicatione.

609. Et confirmatur: ex parte materiæ datur capacitas ad omnes formas, quia cum capacitas receptivarum formarum sit idem quod

quod materia, ut patet ex num. 505. per unam formam non aufertur à materia capacitas ad recipiendas alias: Ergo ex parte materiæ nulla datur implicatio, neque ex parte formæ, quia substantiæ nihil est contrarium, & nulla substantia est alteri incomposibilis, nisi ratione formarum accidentalium; neque ex parte Dei, in quo datur virtus infinita: Ergo ex nullo capite repugnat, neque ex parte formarum, neque materiæ, neque Dei. Nec valet dicere, quòd quando materia est sub una forma nequit aliam habere, neque est in potentia ad illam: quare contra insurgo: materia, quæ est sub forma ligni v. g. capax est recipiendi formam ignis &c. secundùm se: Ergo etiam prout informata forma ligni. Probo: quia capacitas est intrinseca, & essentialis materiæ: Ergo semper quod est materia, est capacitas: Ergo etiam sub forma ligni est capax formæ ignis: Ergo potest à Deo introduci in tali materia.

610. Et roboratur: per hoc quòd locus habeat aliquod locatum vas v. g. per hoc, quòd sit aqua plenum, non amittit capacitatem recipiendi aliam aquam, vel colorem ejusdem quantitatis, & potest à Deo introduci in vas per suspensionem expulsionis unius corporis ab alio, sive per penetrationem: Ergo similiter Deus potest conservare unam formam in materia, & introducere aliam, sine eo quòd expellantur, quia expulsio unius formæ per aliam est effectus quasi secundarius formæ; sed effectus secundarius potest substrahi à Deo: Ergo potest Deus utramque formam conservare in eadem materia, sine eo quòd una expellat aliam.

611. Dico secundam conclusionem: illæ formæ, quæ petunt ex parte subjecti dispositionem organicam, ut sunt anima rationalis, & sensitiva bruti (utrum autem etiam anima vegetativa plantæ sub dubio relinquo:) licèt possit Deus introducere duas animas ejusdem rationis in subjecto capaci, in corpore v. g. humano duas animas rationales, & in equino duas equinas, & sic de aliis, ut planè rationes supra factæ; non tamen potest Deus introducere in hominis corpore v. g. animam rationalem, & equinam, vel è contra in organico equino animam rationalem, vel animam equinam in corpore organico leonis, vel è contra, & sic de aliis. Probatur: illæ formæ, quæ essentialiter petunt organa specificè distincta, sive corpus organicum distinctum, non possunt in eodem organico introduci; sed hujusmodi sunt anima rationalis, & bruti, vel anima equi, & leonis: Ergo non possunt introduci in eodem organico subjecto. Probo majorem: subjectum talium formarum immediatum non est materia prima, sed corpus organicum: Ergo ubi datur distinctum corpus organicum, non possunt formæ introduci, quæ essentialiter distinctam organizationem petunt.

612. Et confirmatur: distinctum essentialiter susceptivum distinctum susceptum expostulat essentialiter, & distinctum perfectibile distinctum perfectivum essentiale; sed corpus organicum, humanum v. g. distinctum essentialiter est ab organico equi: Ergo distinctam formam essentialiter petit unum, ac petit aliud: Ergo formæ, quæ sunt essentialiter perfectivæ hujus, & illius, non possunt introduci in uno. Et roboratur:

tur: in ſubjecto, quod non eſt capax animæ rationalis non poteſt introduci ipſa anima, quia ſequeretur, quòd non eſſet capax, ut ſupponitur, & quòd eſſet ſiquidem: Ergo in tali ſubjecto non poteſt alia anima introduci, ac petit ipſum ſubjectum. Et urgeo rationem: eadem impoſſibilitas datur ad hoc, quòd anima rationalis introducatur in materia nuda, ex eo quòd anima non eſt actus materiæ, ſed corporis, ac datur in hoc, quòd anima rationalis introducatur in organico equi, vel è contra, cujus corporis anima non eſt actus; ſed primum non admittitur à *Scoto*, ut videre eſt *in 4. diſt. 11. q. 3. num. 39. §. contrarium verò. v. contra tertium additum*, quia ut ait Scotus ibidem; *ſi anima poneretur in materia nuda, tale compoſitum non videretur eſſe homo, cùm non haberet illud, quod eſt de eſſentia hominis* (videlicet corpus organicum) *nec etiam non homo, quia haberet illud, quod formaliter homo eſt homo*, videlicet animam.

613. Dico tertiam concluſionem: unicam formam duas, vel plures informare materias, ut anima rationalis duo corpora, vel una forma ignis duas quaſcumque materias non dicit implicationem. Probo hanc concluſionem ex priori: ideo dicimus unam materiam unica forma informatam poſſe aliam recipere, & alia informari, quia habet potentiam ad hanc, & ad illam formam; ſed forma etiam habet potentiam, virtutem informandi hanc, & illam materiam: Ergo ſicut una materia poteſt duplici informari forma, ita una forma poteſt duplicem materiam informare. Probo minorem: omne perfectivum unius rationis reſpicit omne perfectibile ejuſdem rationis, ut anima rationalis v. g. non petit niſi unum corpus organicum humanum, cæterum non hoc determinatè, & non illud, ut corpus organicum humanum non petit niſi unam animam rationalem, cæterùm non hanc determinatè, & non illam, ita ut ſi in corpore Petri v. g. introduceretur anima Pauli, ita quietum, & perfectum eſſet illud corpus, & illa anima, ita naturaliter perficeret illud corpus, ac perficit corpus Pauli: Ergo habet virtutem informandi hoc, & illud: Ergo poteſt fieri à Deo, quia omne illud eſt omnipotentiæ divinæ concedendum, quod manifeſtam non dicit contradictionem: Ergo &c.

614. Dico quartam concluſionem: duas formas accidentales alterius rationis in eodem ſubjecto de facto evenit, ut ſapor, dulcedo, & calor, quæ ſunt qualitates, quas quotidie in eodem experimur, frigiditas, & calor, ſiccitas, & humiditas in homine, ſive in corpore mixto. Dico autem duas formas accidentales ejuſdem rationis, ut duas quantitates numero diſtinctas, duos calores, & duas frigiditates etiam de potentia abſoluta in eodem ſuſceptivo eſſe non implicare arbitramur: Et probatur: ſuſceptivum eſt capax hujus, & illius: Ergo hac, & illa qualitate, ſive forma accidentali poteſt informari; & omnes rationes ſupra factæ pro prima concluſione pro iſta quarta faciunt.

Argumenta contra dicta.

615. PRimò arguitur contra primam noſtram concluſionem, & eſt argumentum, quod etiam militat contra tertiam mutatis mutandis: poſſe ſimul pluribus formis

nis informari materiam arguit virtutem infinitam in materia, sicut posse simul plures informare materias arguit infinitatẽ in forma; sed infinitas repugnat cuilibet creaturæ: Ergo repugnat eandem materiam pluribus informari formis. Probo majorem: quia si posset duas formas recipere: Ergo infinitas: Ergo arguitur virtutem infinitam. Probo consequentiam: posse recipere istam formam dicit virtutem, & perfectionem in materia: Ergo posse recipere aliam, dicit aliam virtutem, vel majorem: Ergo posse recipere infinitas arguit infinitatem: Ergo &c.

616. Respondeo negando majorem, & ad ejus probationem concedo, quid potest recipere infinitas non categorematicè, sed syncategorematicè, hoc est, non tot, quin plures, & nego quòd ex hoc sequatur virtus infinita; & ad ejus probationem concedo antecedens, videlicet quòd posse recipere formam dicat aliam virtutem à priori distinctam; quia cùm materia per suam essentiam sit capax recipiendi omnes formas, & materia sit una capacitas ad omnes, non est in una, ita ut eadem capacitas indistincta, quæ datur ad recipiendam hanc formam A. v. g. est ipsamet quidditas, quæ datur ad recipiendam formam B. & si dicit aliquam infinitatem, vel multiplicitatem, non est infinitas, vel multiplicitas intrinseca materiæ recipientis, quia hæc una indistincta, & immultiplicata est, sed infinitatẽ extrinsecam formarum, quatenùs ad omnes se potest extendere, ut patet exemplo, amphora v. g. est capax recipiendi aquam in tanta quantitate, & dicitur capax recipiendi hanc aquam, & illam, & illam, & sic in infinitum infinitate se tenente ex parte aquarum, non verò se tenente ex parte capacitatis amphoræ, quasi ejus capacitas esset infinita, cùm sit limitata, ut supponitur, & si dicitur infinita capacitas amphoræ, est denominatio extrinseca, & terminativè, non verè formaliter, & in se.

617. Secundò arguitur: data hypothesi, quòd materia haberet plures formas, vel constitueret unum compositum cum illis, vel plura? Neque unum, neque aliud potest dici: Ergo neque quòd materia possit recipere plures formas. Quòd essent composita plura, probo: quia ubi dantur duæ formæ, datur duplex compositum: Ergo si haberet plures formas, essent plura composita. Probo antecedens, quia destructa una forma adhuc manet compositum ex alia forma, & materia manentibus: Ergo illa forma destructa non constituebat illud compositum, quod manet, sed aliud, quia si illud, quod manet, constitueret: Ergo destructa forma constituente destrui compositum constitutum necesse foret: Ergo si manet compositum, signum est, quòd non illud, sed aliud compositum constituebat: Ergo essent plura composita: sed hoc etiam est falsum, quia ex una materia non potest duplex fieri compositum, quia non minus est pars essentialis compositi materia, quàm forma. Et roboratur: implicat, quòd una forma duplex constituat compositum: Ergo implicat, quòd una materia duplex valeat constituere compositum. Patet consequentia; quia in utroque par est ratio.

618. Respondeo, quòd in tali casu daretur duplex compositum formale non adæquatum, sed partiale propter multiplicem formam, quæ est pars compositi, & unum materiale propter unitatem materiæ; non

quia tale compositum esse alterius, vel ad constituendum ipsum ordinaretur, sed quia aliqua pars sui, materia videlicet ad constituendum etiam aliud compositum transiret, & ad pluralitatem compositorum requiritur pluralitas principiorum, & sic diceretur duplex compositum ex duplici coalescens forma, & unum secundùm quid ratione materiæ, quæ est pars minus principalis. Ad confirmationem de forma dico, quòd in casu, quo una forma duplicem informaret materiam, daretur unum compositum formale, & duplex materiale propter dualitatem materiæ.

619. Tertiò arguitur à *Scoto in 3. dist. 1. q. 1. & 2.* una natura non potest terminari, nec de potentia absoluta duplici subsistentia: Ergo neque una materia potest duplici forma informari. Probatur consequentia; ideo ait Scotus, quòd una natura non potest duplici subsistentia terminari, quia nullum dependens potest dependere à duplici termino adæquato suæ dependentiæ in eodem genere: Ergo materia in genere informationis non potest dependere à termino adæquato suæ dependentiæ, scilicet à duplici forma informari.

620. Respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam, & ad ejus probationem concedo antecedens, & nego consequentiam; & ratio disparitatis stat in hoc, quòd subsistentia est ultimus terminus naturæ, & implicat, quòd natura sit in ultimo termino, & habeat alium terminum ulteriorem, quia jam primus non esset ultimus, ut supponitur. Similiter subsistentia est terminus adæquatus extensivè, & intensivè naturæ, ita ut natura terminata subsistentia non appetit aliam subsistentiam, nec ab illa compleri, cum in ultimo termino sui complementi sit. At verò forma respectu materiæ non est ultimus terminus satians appetitum materiæ, immò illam relinquit desiderantem alias formas, quia ut ait *Scotus in 1. dist. 1. q. 1. num. 6. nulla forma satiat appetitum materiæ totaliter extensivè, sed tot sunt appetitus in materia, quot sunt formæ in ipsa receptibiles:* & sic nulla forma est ultimus terminus, nec adæquatus materiæ, sicut subsistentia respectu naturæ, & ita natura terminata unica subsistentia non potest aliam habere, bene tamen materia unica forma informata alteram habere.

621. Quartò arguitur contra secundam nostram conclusionem, in eo quod asserit, quòd duæ animæ rationales possunt informare idem corpus; nam argumenta, quæ contra aliam partem conclusionis, videlicet, quòd anima rationalis non potest informare corpus equi, neque è contra facillimè solventur, stando in hoc quòd illud corpus susceptivum non est capax informationis alterius animæ, & forma non potest dare effectum formalem nisi subjecto capaci. Ponamus casum, quem admittit conclusio de duabus animabus in eodem corpore existentibus, in tali casu una anima posset mereri, est evidens, quia gauderet sua libertate, & posset præcepta servare, & alia demereri, & esse digna pœna æterna, in tali casu una præmium assequeretur, & altera supplicio & pœna æterna damnaretur; illud corpus in resurrectione generali cum qua anima uniretur? Non cum illa, quæ meruit beatitudine perfrui, quia corpus per sen-

ſenſualitatem, & alia peccata Deo diſplicuit, nec cum anima damnata, quia per virtutes Deo complacuit, & non poſſet ſimul eſſe in cœlo perfruendo viſione, & in inferno cruciando tormentis: quid Ergo fieret in tali caſu?

622. Reſpondeo ſalvo meliori judicio, quòd ſi virtus unius animæ magis propenſaret, quàm vitia alterius, tunc corpus eſſet in cœlo, & non in inferno, & ſi contra eveniret, eſſet in inferno, & non in cœlo; & ſi eſſent æqualia vitia unius, ac virtutes alterius, Deus, qui primum pro ſuo libito fecit, etiam pro libito in ſecundo diſponeret. Præterquam quod argumentum potius arguit impoſſibilitatem moralem, quàm Phyſicam: caſus nunquam eveniet, quod nos ventilamus, eſt, utrum poſſit evenire? Et videmus non implicare poſſe divino, cui omnia poſſibilia ſunt; & ſic in tali caſu, ſicut in primo pro ſuo libito faceret, quod vellet. Vide *Scotum in* 4. *diſt*. 6. *q*. 2. *num*. 7. *§*. *breviter*.

623. Quintò arguitur contra noſtram quartam concluſionem, in qua aſſerimus duo accidentia ejuſdem rationis, ut duæ quantitates, duo calores &c. poſſe in eodem ſuſceptivo ineſſe ſimul: unum numero accidens non poteſt nec de potentia abſoluta eſſe in duobus ſubjectis adæquatis, puta in Petro, Paulo: Ergo neque duo accidentia numero diverſa, & ejuſdem rationis poſſunt eſſe in eodem ſubjecto. Probo conſequentiam; quia ex dictis ſicut una numero materia poteſt duplici forma informari ejuſdem rationis, ita una forma numero valet duplicem informare materiam. Antecedens probatur ex *Scoto in* 3. *diſt*. 1. *q*. 2. *num*. 2. *§*. *præterea*, ait contra ſe arguendo: *idem accidens poteſt eſſe in duobus ſubjectis: Ergo eadem natura in duobus ſuppoſitis*. Et ſub num. 7. v. adæquatum, ait; *nego aſſumptum de accidenti, & ſubjectis*: Ergo ſicut implicat in ſententia Scoti, idem accidens eſſe in duobus ſubjectis, ita implicat idem ſubjectum habere duo accidentia ejuſdem rationis.

624. Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam; & ratio eſt conſpicua, quia bene poteſt unum independens terminare dependentiam plurium dependentium, ut una cauſa terminare dependentiam plurium effectuum, & unum punctum terminare plures lineas: cæterùm duo independentes non poſſunt terminare dependentiam unius, ſicut duæ cauſæ totales eundem producere effectum, nec duo puncta æquè primò lineam terminare, & cùm accidens ſit à ſubſtantia dependens eſſentialiter, non poteſt eſſe accidens in duobus ſubjectis, quin haberet terminum duplicem adæquatum ſuæ dependentiæ, quod implicat, ut infra ſuo loco patebit: cæterùm ſubſtantia, quæ eſt independens, bene poteſt terminare dependentiam plurium accidentium ab ipſa dependentium, ut patet in corpore humano, in quo calor, frigiditas, & quantitas, & alia plura accidentia inveniuntur, & ſic poteſt habere plura alterius, & alterius rationis, quare non poterit plura accidentia ejuſdem rationis habere, maximè cum ad omnia habet capacitatem ejuſdem rationis. Ad confirmationē ex dictis concedo, quòd eadem forma ſubſtantialis poteſt duplicem informare materiam, & nego id poſſe formã accidentalem; & ratio diſparitatis ſtat in hoc, quòd forma ſubſtantialis non dependet eſſen-

essentialiter à materia, sicut accidens à subjecto, nam dependentia formæ substantialis non dependet essentialiter à materia, sicut accidens à subjecto, nam dependentia formæ substantialis à materia est secundùm quid respectu hujus. Et hæc pro hac distinctione sufficiant.

DISTINCTIO QUINTA,

De unione materiæ, & formæ substantialis.

Postquàm de principiis in communi, & in particulari corporis substantialis naturalis egimus, de materia videlicet, & forma, quæ sunt principia intrinseca compositi; restat nunc de unione, media qua materia & forma uniuntur ad constituendum compositum, agere, quapropter sit

QUÆSTIO UNICA,

Quid sit unio, & an materia, & forma unione à se distincta uniantur?

Uniri materiam, & formam inter se ad causandum compositum, omnium Philosophorum Schola supponit; utrum autem per seipsas uniantur immediatè, vel per aliquid ab ipsis distinctum? est controversia; nec non & quid sit illud, per quod uniuntur? Pro cujus intelligentia per prius aliquas unionis acceptiones proponam, & postea sententias oppositas referam, & refellam, & postea denique ad quæsitum faciam satis, quapropter sit

ARTICULUS PRIMUS,

Ubi aliquæ acceptiones unionis præmittuntur, & circa ejus naturam variæ opiniones referuntur.

625. Unio prima sui acceptione sumitur pro conjunctione aliquorum cujuscumq; generis sint; quo pacto homo dicitur unitus Deo per charitatem, ex eo quod conjungitur ipsi per amorem; beatus similiter dicitur Deo unitus per visionem sive fruitionem, & quælibet potentia dicitur unita suo objecto per actum, similiter illa, quæ aliqua ratione communi conveniunt, dicuntur unita per talem rationem, ut Petrus v. g. dicitur Paulo unitus per speciem, quia eisdem prædicatis specificis gaudent, sed istæ acceptiones sunt nimis latæ.

626. Secundò sumitur unio à nominis etymologia per formam unius, quia unire nihil sonat, quàm in unum ire; quo pacto illa, quæ sunt idem realiter, unire dicuntur, quia faciunt unum reale, sive idem, in quo sensu Scotus in 2. dist. 12. q. 2. dixit, quòd passio, & subjectum faciunt magis unum, quàm forma, & materia unitate identitatis, non unitate unionis.

627. Tertiò, & propriissimè sumitur unio pro nexu, sive vinculo, quo aliqua, quæ sunt realiter distincta, connectuntur, & copulantur, & tale vinculum, nexus, sive unio est duplex, aliud indivisibile, ut punctum, quo partes quantitatis in continuo copulantur; de quo Deo dante in quinto, hujus erit sermo, & aliud pro medio, quo partes, quæ se habent per modum actus, & potentiæ, ut materia, & forma, accidens, & subjectum uniuntur, & copulantur ad constituendum tertium, compositum videlicet, & hoc vinculum, quo tales vinculantur partes unio Physica communiter appellatur, eo quòd ad constituendum totum Physicum ordinatur, & de unione in hac ultima acceptione quærit quæstio præsens, an sit, & quid sit?

628. Dari igitur unionem inter materiam,

riam, & formam prærequisitam ad informationem formæ, receptionem materiæ, & causationem compositi, sic probo, etiamsi sit omnium Philosophorum consensu firmatum: forma separata à materia, sive non unita materiæ nequit illam informare actualiter, nec materia separata à forma potest illam actualiter recipere, & ab illa informari: ergo necessariò prærequiritur quòd forma sit materiæ unita, ad hoc ut illi tribuat suum effectũ formalem. Probo antecedens: quia sicut approximatio agentis ad passum prærequiritur, ad hoc ut agens agat in tali passo v. g. ad hoc ut ignis cremet lignũ, sive illud calefaciat, necessariò requiritur, quòd per prius ignis sit ligno approximatus, ita ad hoc quod forma informet materiam, necessariò nequiritur, quòd forma sit approximata, sive unita per modum actus materiæ: Ergo si de facto datur forma informans materiam, de facto etiam datur unio uniens ipsam cum materia.

629. Prima igitur sententia affirmat, quòd unio inter materiam, & formam requisita ad hoc quòd forma informet materiam, nil aliud est, quàm quædam intima approximatio localis inter materiam, & formam, ut approximatio agentis ad passũ, nihil aliud est, quàm conjunctio localis inter agens, & passum. Sed contra hunc modum dicendi sic insurgo: Deus est intimè præsens omnibus rebus creatis, & tamen non est illis Physicè unitus, & Christus Dominus est intimè præsens localiter speciebus sacramentalibus, & tamen non est unitus Physicè illis, & Angelus, qui movet cœlum, est illi intimè præsens localiter, & tamen non est Angelus unitus Physicè cœlo: ergo conjunctio localis intima aliquorum non est unio Physica eorum. Antecedens est de fide certum, & consequentia legitima: Ergo &c.

630. Secunda sententia affirmat quòd materia, & forma seipsis uniuntur, nulla superaddita unione ab ipsis distincta; quæ sententia defensatur ab aliquibus Scotistis, hoc solùm fundamento nixi, quòd forma ex se est unibilis materiæ, & materia formæ, majoremq; proportionem habent inter sese ad hoc quòd uniantur, quàm quodcumq; aliud ab eis distinctum, quod habeat rationem unionis. Sed hæc sententia sic impugnatur: forma separata à materia etiam est materiæ unibilis, & nihilominùs non est formaliter unita: Ergo plus requiritur ad hoc quod uniantur, quàm esse unibiles inter se. Et confirmatur, quia per hoc quòd intelligatur ignis potens cremare, nisi applicetur ad combustibile, sive uniatur, non cremat actualiter: ergo per hoc quod intelligatur forma unibilis materiæ, non intelligitur formaliter unita.

631. Deinde est expressa sententia *Scoti in 4. dist. 43. q. 1. n. 13. §. de secundo. v. ad ultimum: sed quia est simpliciter necessariò requisita ad entitatem totalem &c. ideo verius videtur, quòd unio redibit eadem, & hoc si accipiatur pro illa relatione partium unitarum ad invicem; & cum arguitur, quòd illa unio fuit interrupta, dico quod interruptum potest redire idem numero, non tantùm absolutum, sed respectu, si extrema ejus redeant eadem numero.* Et dist. 10. q. 4. *sub num. 14. §. existentia, v. probo etiam: nam conjunctio animæ ad corpus requiritur ad existentiam substantiæ compositi.* Et in 3. dist. 2. q. 2. num. 11. & ideo illud commenti: *ad esse quidem totius necessariò præexigitur unio partium:* Et exemplificat de approximatione agentis ad passum.

632. Præterea unio est conditio, quæ requiritur ad hoc ut materia, & forma causent; sicut approximatio agentis ad passum est conditio ad agendum: Ergo est aliud à forma, & materia prout unibiles. Patet consequentia; quia anima rationalis quando separatur à corpore, manet unibilis cum ipso, & non manet unio: Ergo unio aliud est ab extremis unibilibus.

633. Insuper impugnatur: nullum subjectum potest habere denominationem novam intrinsecam, nisi quia habet formam novam intrinsecè, quam antea non habebat; sed forma, anima v. g. quando est in corpore, habet denominationem novam unitæ ad corpus, & corpus de novo denominatur animæ unitum intrinsecè, quod antea non habebat: Ergo habet aliquam formam, à qua denominatur formaliter intrinsecè tale, quam antea non habebat; sed forma denominans formaliter unitum est unio: Ergo habet unionem, quam non habeat. Major patet; quia ad hoc quod lignum v. g. denominetur intrinsecè calidum de novo, necesse est, quòd habeat intrinsecè de novo calorem, nam omnis denominatio provenit à forma. Probatur insuper: quia non potest fieri transitus de contradictorio in contradictorium sine aliqua mutatione intrinseca; sed corpus transit de non esse unitum animæ ad esse animæ unitum, quæ sunt contradictoria: Ergo per aliquam mutationem intrinsecam; sed non esse unitum dicit privationem formæ unionis: Ergo esse unitum dicit formaliter unionem. Major est certa, minor etiam; nam corpus, quod non erat unitum animæ, fit deinde unitum; unire autem, & non uniri sunt contradictoria: consequentia sequitur: Ergo &c. Satis impugnata manet hæc sententia tum authoritate, tum ratione, quare ut ad illa transeamus, sit

634. Tertia sententia, quæ est D. Thomæ 1. part. q. 76. art. 1. & aliorum ipsum sequentium, affirmat unionem formæ, & materiæ esse quemdam modum substantialem absolutum superadditum materiæ, & formæ, quo formaliter denominantur unitæ, cujus fundamentum pro argumento proponam, referam, & refellam. Sed hæc sententia sic impugnatur à Scoto 3. dist. 1. q. 1. omne absolutum essentialiter est ad se, & non ad aliud; sed nihil dicitur unitum ad se, sed ad aliud: Ergo nihil alteri unitur per aliquod absolutum: Ergo unio non est modus substantialis absolutus. Major est certa, minor probatur: hoc quod est esse essentialiter unum alteri unitum dicit formaliter unum ordinari ad aliud: Ergo esse unum alteri formaliter unitum non est ad se, sed ad aliud.

635. Nec valet dicere, quod talis modus substantialis dicit relationem transcendentalem, etiamsi in se quid absolutum sit, quod sic ostendo: relatio transcendentalis est ratio referendi præcisè illud, cum quo identificatur realiter, & non aliud: Ergo talis transcendentalis relatio fundata, & identificata cum modo illo absoluto, solùm est ratio, referendi illum modum, & denominandi ipsum unitum, & non aliud: Ergo potius talis transcendentalis relatio erit ratio uniendi ipsum modum absolutum substantialem, quàm uniendi materiam, & formam, cum quibus non identificatur, neque in illis fundatur.

636. Et impugnatur: relatio transcendenta-

dentalis, ut talis est, non petit terminum necessariò actualiter existentem; sed unio inter materiam, & formam petit actualem existentiam materiæ, & formæ: Ergo non est relatio transcendentalis. Major patet; nam in hoc distinguitur relatio prædicamentalis à transcendentali, quia prima petit terminum actualiter existentem, secunda verò non. Minor per se est nota, quia materia non potest uniri formæ, quæ non est, nec è contra: Ergo necessariò petit terminum existentem: præterquam quòd ille modus in quo subjectatur? Non in materia separata, neque in anima, sine forma: Ergo in utraque unita: Ergo jam supponit talis modus materiam, & formam unitam, tanquàm fundamentum, in quo subjectatur.

ARTICULUS SECUNDUS,

Quid sit unio de mente Scoti demonstratur.

637. DICO unicam conclusionem: unio, quæ prærequiritur ad hoc quod materia, & forma causent compositum, & nexus, quo formaliter connectuntur, & uniuntur, est formaliter relatio extrinsecùs adveniens. Hæc conclusio expressè à Scoto in 4. dist. 12. q. 1. num. 20. & 25. §. ad quartum, cujus hæc sunt verba: *Dico, quòd ista inhærentia* (loquitur de unione actuali accidentis absoluti) *non est per se passio albedinis, sed est accidens per accidens; est enim respectus quidam extrinsecùs adveniens, & hoc ad minus cuicumque accidenti absoluto, quia dicit actualem unionem illius absoluti ad aliud absolutum, omnis autem unio absoluti ad absolutum est respectus extrinsecùs adveniens.* Idem habet in 3. dist. 1. q. 1. in fine respondendo ad tertium argumentum, & dist. 7. q. 1. sub num. 6. & 7. & in 4. cit. & quodlibet. 10. & alibi; Scotum sequuntur omnes veri Scotistæ, ut Liquetus, Tartaretus, & Antonius Hicues, ejus fidelissimus commentator.

638. Probatur: unio materiæ ad formam, & formæ ad materiam est formaliter relatio: quod sic probo: unio materiæ ad formam est formaliter ad aliud: Ergo est formalissimè relatio. Probo antecedens: unio materiæ ad formam non potest intelligi, nec percipi ab intellectu, quin intelligatur forma, ad quam unitur, & nec è contra: Ergo est ad aliud. Probo consequentiam: quia ideo Pater dicitur ad aliud formalissimè, quia Pater prout talis non potest intelligi, sine eo quod intelligatur filius; sed materia non potest intelligi unita formæ, quin intelligatur forma, & forma non potest intelligi unita materiæ, quin intelligatur materia: Ergo est formalissimè ad aliud: Ergo est ad aliud.

639. Et quòd talis relatio non sit intrinsecùs, sed extrinsecùs adveniens, probo: relatio intrinsecùs adveniens in hoc distinguitur à relatione extrinsecùs adveniente, quia relatio intrinsecùs adveniens necessariò consurgit posito fundamento, & termino; secunda vero, scilicet extrinsecùs adveniens, minimè, sed exspectat aliquam actionem, per quam producatur; sed posita v. g. materia, sive corpore organico, & posita anima in rerum natura separata non habent unionem, quæ est relatio: Ergo unio non est relatio intrinsecùs, sed extrinsecùs adveniens. Major patet, quia positis duobus

duobus parietibus albis in rerum natura statim dicuntur similes, & habent similitudinis relationem, quantumcumque extrema sint distantia: Ergo si unio animæ ad corpus esset relatio intrinsecùs adveniens, quantumcumque esset corpus, & anima distantia, dicerentur unita; sed quando separantur, non uniuntur: Ergo illa unio est relatio non intrinsecùs, sed extrinsecùs adveniens.

Argumenta contra dicta.

640. PRimò arguitur: unio inter materiam, & formam est relatio extrinsecùs adveniens: Ergo est accidens: Ergo medio accidente materia & forma uniuntur: sed accidens indiget uniri substantiæ, ad hoc quod tribuat illi suum effectum formalem: Ergo unio indigebit alia unione; tunc sic; illa alia unio etiam est accidens: Ergo indiget ad se uniri alia unione, & sic in infinitum: Ergo ne hoc dicatur, necesse est fateri materiam, & formam per se immediatè uniri, & non media unione de genere accidentis. Et roboratur: quod indiget unione ad esse unitum, non est formaliter ratio uniendi; sed unio, eò quòd accidens indiget unione ad esse unitum substantiæ: Ergo accidens non est unio. Major probatur: quod indiget albedine ad esse album non est formaliter albedo, & quod indiget calore ad esse calidum non est formaliter calidum: Ergo quod indiget unione ad esse unitum, non est formaliter unio: Ergo unio materiæ ad formam non est relatio, sive non est accidens.

641. Respondeo concedendo antecedens & similiter consequentiam, quòd relatio est accidens, & similiter aliam consequentiam, quòd medio accidente materia, & forma denominantur unitæ; concedo etiam, quòd accidens indiget uniri subjecto ad hoc, quòd illi tribuat suum effectum formalem; & distinguo consequens: Ergo unio indiget alia unione distincta à se realiter, nego consequentiam: alia unione indistincta à se realiter, & formaliter solùm distincta, concedo. Unde nego dari processus in infinitum; & ratio est, quia nulla ratio formalis indiget alia ratione formali ad hoc quòd sit tale, & sic cùm unio sit ratio formalis uniendi alia, materiam videlicet cum forma, etiam est ratio formalis uniendi se. Et si aliqua distinctio datur inter hoc uniri se, & alia unire, solùm est distinctio formalis: non verò distinctio realis, cùm eademmet unio, quæ est ratio formalis uniendi materiam cum forma, sit etiam ratio formalis uniendi se cum materia, vel forma. Ad confirmationem respondeo concedendo majorem in sensu explicato, & negando minorem, quia unio non indiget unione ad se uniri, sed se ipsam unit, cùm sit ratio formalis uniendi, nam sicut albedo non indiget albedine ad esse album, nec calor calore indiget ad esse calidum, ita unio non indiget unione ad esse unitam, unio est ratio formalis uniendi se, & uniendi alia, sicut albedo est ratio formalis albandi alia, & etiam est ratio formalis albandi se, hoc est, essendi albam.

642. Secundò arguitur fundamento Thomistico: unio essentialiter est ejusdem ordinis, & naturæ, ac sunt extrema, quæ uniuntur; sed extrema, materia videlicet, & for-

& forma sunt substantia: Ergo unio substantia debet esse, & non accidens. Probò majorem: unio essentialiter pertinet ad compositum ex partibus unitis constitutum: Ergo essentialiter petit esse ejusdem ordinis, & naturæ, ac sunt extrema, quæ uniuntur. Et confirmatur: ideo unio naturæ humanæ ad verbum divinum est substantialis ex D. Damasceno lib. 3. cap. 3. & ex Patrum consensu: etiam *Scoti*, qui *in 3. dist. 7. q. 1. sub num. 7. §. respondeo*, ait: *unde ista unio extremorum non conceditur esse essentialis, nec accidentalis, sed substantialis*: quia extrema unita humana natura, videlicet, & verbum divinum sunt substantiæ; sed etiam materia, & forma sunt substantiæ: Ergo unio inter ipsas non accidens erit, sed substantia.

643. Respondeo negando majorem, ad ejus probationem nego majorem: unio enim non est quid essentiale, nec substantiale compositi, cùm non sit pars essentialis, sed conditio sine qua non potest dari compositum. Ad confirmationem respondeo, quòd unio inter verbum divinum, & naturam humanam dicitur substantialis, non quia in se substantia sit, sed quia unit substantias; & idem dico de unione inter materiam & formam, quæ dicitur substantialis non entitativè, cum substantia non sit, sed denominativè, quia extrema, quæ unit, sunt substantiæ; sicut actio, media qua producitur substantia, generatio v.g. dicitur substantialis, quia substantia generata est substantialis, cùm in se accidens sit pertinens ad genus, & prædicamentum actionis.

644. Sed contra dices: Ergo nullum erit discrimen inter unionem naturæ humanæ ad verbum, & inter unionem materiæ, & formæ? Respondeo concedendo consequentiam quoad esse intrinsecum unionis, & essentiale, nam sicut una est accidens, ita & alia, & idem dico de unione albedinis ad subjectum, quod etiam accidens est ejusdem rationis cum unione materiæ ad formam; diversitas solùm stat penès extrema, quæ uniuntur, quia unum accidens, & aliud substantia in unione albedinis ad subjectum, in unione materiæ ad formam utrumq; extremum est substantia finita; in unione verò naturæ ad Verbum, natura est substantia finita, & Verbum substantia infinita; & ita ista dicitur perfectissima unionum, non in se quoad essentialia, sed quia perfectissimum est extremum, quod unit, Verbum videlicet.

645. Quartò arguitur: agens dat esse immediatè effectui, sine eo quod mediet aliqua actio inter causam, & effectum: Ergo forma seipsa perficit, & informat materiam, sine eo quod mediet aliqua unio. Antecedens est certum in via Scoti, consequentia probatur: quia sicut actio non est, qua agens agit, ita unio non est, qua forma informat, nec qua materia recipit: Ergo non est necessaria unio ad hoc, quòd forma informet, neque materia recipiat. Antecedens est Scoti 5. Metaph. q. 9. §. relatio sub num. 12. *relatio non est, qua agens agit, nec qua habens potentiam est potens, nec qua receptivum recipit*: Ergo &c.

646. Respondeo omittendo antecedens, & negando consequentiam, & ad ejus probationē concedo antecedens, videlicet quòd sicut actio non est, qua agens agit, ita unio non est, qua forma informat, hoc est, quod neq; actio est ratio formalis agendi in agente, nec unio est ratio formalis informandi materiā,

 neque

neque recipiendi; nego tamen, quòd unio non sit necessaria ad hoc quòd forma informet materiam, & materia recipiat formam, non sicut ratio formalis informandi, sive recipiendi, sed tanquam conditio sine qua prævia; non enim valet, approximatio non est ratio formalis agendi in agente: Ergo non est necessaria: non valet, quia multa sunt requisita, quæ non sunt rationes formales. Idem dico de unione, unio non est ratio formalis informandi, & tamen est necessariò prævia ad hoc quod forma informet, & materia recipiat. Alia argumenta minoris momenti omitto apud authores videnda.

ARTICULUS TERTIUS,

Utrum in composito substantiali dentur duæ uniones, una ex parte materiæ, altera ex parte formæ, vel una solùm uniens, & denominans utramque, materiam videlicet & formam?

647. AB hac difficultate facillimo negocio me expediam hac unica conclusione: tot sunt uniones in composito, quot sunt partes intrinsecæ, quæ uniuntur; unde quia in composito datur materia prima & forma, totidem uniones reperiuntur. Hæc conclusio est communis inter Scotistas; & sic à quodam Scotista moderno probatur: distinctæ denominationes essentiales non possunt ab eadem forma provenire; sed informatio formæ, & receptio materiæ sunt denominationes, & effectus formales essentialiter diversæ: Ergo non possunt provenire ab eadem unione, & consequenter necessaria est duplex unio, à qua proveniant tales denominationes diversæ.

648. Sed liceat mihi aliquantulum ridere, non enim possum abstineri à risu, videns confundere rationes formales informandi, & uniendi, informatio enim effectus formalis est formæ, non unionis, quia unio supponitur tanquam conditio ad informationem, & receptio effectus est formalis materiæ, quia neque unio materiæ recipit neque formæ informat. Unde ergo probat, quòd informatio sit denominatio ab unione proveniens, & similiter receptio; quod neque probabit, nec somniabit probare. Destruit igitur iste Scotista omnem veritatem, & falsum imponit Scoto, dicens esse de ejus mente, quapropter in hac parte anathematizanda ejus verba, & à doctrina Scoti releganda.

649. Probo ergo conclusionem ratione formalissima Scoti; esse formam unitam materiæ formaliter distincta denominatio est, ac esse materiam formaliter unitam formæ: Ergo necessariò est ponenda in forma aliqua ratio formalis à qua habeat talem denominationem, & in materia similiter est ponenda distincta ratio formalis, à qua habeat denominationem unitæ ad formam. Probo antecedens: esse formam unitam materiæ formalissimè est formam referri ad materiam referentia tali; sed formam referri ad materiam non est formalissimè materiam referri ad formam: Ergo formam esse unitam materiæ distincta denominatio est, ac esse materiam unitam formæ. Major ex dictis constat, minor probatur: esse unum relativum ad aliud v. g. Patrem ad filium, non est formaliter filium referri ad Patrem: Ergo sicut in filio ponenda est alia relatio filiationis videlicet, quæ sit ratio formalis refe-

referendi filium ad Patrem, ita in materia ad hoc ut referatur ad formam, & illi dicatur unita, necesse est ponere relationem unionis distinctam ab illa, media qua forma refertur ad materiam, & dicitur materiæ unita: Ergo duplex unio debet poni in composito, alia, qua forma dicatur materiæ unita, & alia, qua materia dicatur unita formæ.

650. Et confirmatur: unio ut dictis constat est accidens relativum: Ergo nequit æquè primum denominare duplex adæquatum subjectum, materiam videlicet, & formam. Probo consequentiam: nullum accidens potest habere duplex adæquatum subjectum: Ergo nullum accidens potest denominare duplex æquè primò subjectum adæquatum. Patet consequentia; quia accidens non denominat primò, & per se, nisi subjectum, in quo est; sed non potest habere duo subjecta: Ergo neque illa denominare.

651. Quòd si dicas, ut Thomistæ ajunt, quòd non sunt materia, & forma duo subjecta, adæquata respectu unionis, sed unum adæquatum, & totale, quod ex materia, & forma consurgit, contra, & pono exemplum in homine, & infero hanc illationem: Ergo anima, & corpus efficiunt unum subjectum adæquatum unionis, media qua uniuntur, concedent consequentiam; tunc ultra: unio non potest esse corporea, quia nihil corporeum subjectatur in subjecto spirituali, quale est anima, neque potest esse spiritualis, quia accidens spirituale non potest recipi in subjecto corporeo: Ergo non erit illa unio spiritualis, neque corporea; sed inter corpus, & spiritum non datur medium, quid ergo erit illa unio? Ergo ut has angustias evadant, necesse est ponere unionem spiritualem subjectatam in anima, media qua anima uniatur corpori, & aliam unionem ex parte corporis, media qua corpus uniatur animæ.

652. Ex his sequitur, quòd in homine, sicut in quolibet alio vivente sensibili dantur non solùm duæ, immò quatuor uniones; una media qua materia unitur formæ corporeitatis, quæ in doctrina Scoti ponitur in omni vivente, saltem sensibili distincta à forma viventis, alia media qua forma corporeitatis unitur materiæ primæ; tertia media qua corpus organicum unitur animæ; quarta media qua anima unitur corpori organico, quæ uniones rationibus supra factis possunt probari.

653. Ex quo apparet, quòd falsum ait ille supra citatus Scotista, aliique, qui eandem sequuntur doctrinam, dum ait, in omni composito substantiali dari duplicem unionem præcisè, quod sic evidenter ostendo: mortuo homine destruitur unio animæ ad corpus, & corpus ad animam, & tamen manet materia prima unita formæ corporeitatis, & forma corporeitatis unita materiæ primæ: Ergo in homine non duæ uniones dantur, sed plures, siquidem destructæ unæ, aliæ perseverant.

Argumenta contra dicta.

PRimò arguitur: partes continui unico termino communi copulantur, & uniuntur: Ergo materia, & forma aliqua unione communi copulantur. Antecedens patet ex Philosopho capite de quantitate, qui ait: *continuum est, cujus partes aliquo termino*

mino copulantur: Ergo ſicut ſufficit unus terminus communis, ſeu indiviſibile continuativum, ad hoc quòd duæ partes continui continuentur, & copulentur, ita ſufficit unica unio ad hoc quòd materia, & forma uniantur: Ergo duplex unio non eſt ponenda.

655. Reſpondeo diſtinguendo antecedens: partes continui copulantur, & uniuntur aliquo termino communi, qui ſit ratio formalis uniendi ipſas, nego: copulantur aliquo, id eſt alicui termino communi, quod eſt indiviſibile, media duplici unione relativa, una ſe tenente ex una parte continui, & altera ex alia, concedo. Unde nego conſequentiam. Ad authoritatem Philoſophi reſpondeo, quòd ly *termino communi* non debet conſtrui in ablativo, ſed in dativo, ita ut ſit ſenſus, partes continui termino alicui communi uniuntur mediis unionibus, ſed non quod uniuntur medio ipſo termino, quia terminus ratio eſt terminandi partem, non verò ipſam uniendi: unde nego ſuppoſitum conſequentis, quòd partes continui non uniantur duplici unione illi termino.

656. Secundò arguitur: unio eſt nexus, & vinculum duorum: Ergo ſicut ſufficit unus nexus, & vinculum ad vinculandum duo, ità ſufficit una unio. Reſpondeo diſtinguendo antecedens: eſt nexus, & vinculum duorum, utramque afficiens intrinſecè, nego: eſt nexus afficiens unum, in quo eſt, videlicet intrinſecè, & connotans aliud extrinſecè, concedo. Itaque unio materiæ afficit intrinſecè materiam, & illam ordinat ad formam, & unio formæ afficit intrinſecè formam, & illam ordinat ad materiam, & ſic neceſſe ſunt duæ uniones.

657. Tertiò arguitur: ex parte naturæ aſſumptæ à Verbo datur unica unio, & ex parte Verbi nulla unio datur: Ergo ſufficit una unio ad hoc quòd duo extrema dicantur formaliter unita. Reſpondeo concedendo antecedens, & diſtinguendo conſequens: ſufficit una unio, qua denominat unum extremum, in quo eſt videlicet formaliter unitum, & aliud terminativè realiter, & non formaliter, concedo: ut utrumque extremum formaliter unitum dicatur, nego. Ratio enim quare non datur unio ex parte Verbi ad naturam eſt, quia Verbum eſt incapax formarum accidentalium, & cùm materia, & forma ſint capaces, in utraque datur unio.

658. Sed pro complemento hujus diſtinctionis nota, quod licèt ponamus duas uniones, unam ex parte materiæ, & alteram ex parte formæ, non eſt quia utraque ſit ſimpliciter neceſſaria, quòd ſi una auferretur, & maneret alia per impoſſibile, non maneret compoſitum; quia ſicut in natura humana datur unio ſolùm ex parte naturæ, & non ex parte Verbi, & nihilominùs Verbum valet terminare naturam humanam in ratione ſubſiſtendi; ita ſi non daretur inter materiam, & formam niſi unica unio, materia reciperet, & forma informaret, ſed ratio eſt, quia cùm ſint relativa mutua, neceſſe eſt, quòd ponatur unio ex parte materiæ, ut formaliter denominetur formæ unita, & alia unio ex parte formæ, ut forma dicatur formaliter unita màteriæ, cùm utraque ſit capax unionis, & non ſit major ratio, quare una ponatur, quàm alia.

DISTIN-

DISTINCTIO SEXTA,

Et ultima de composito ſubſtantiali.

EGimus in præcedentibus de principiis tam in communi, quàm in particulari corporis, ſive compoſiti ſubſtantialis, nec non & de unione partium ipſum componentium; reſtat de ipſo compoſito agere, quapropter ſit

QUÆSTIO PRIMA,

Quid ſit corpus naturale ſubſtantiale, & an generationis ſubſtantialis ſit terminus?

ARTICULUS PRIMUS,

Ubi aliqua præmittuntur ad intelligentiam quæſiti.

659. PRimò eſt notandum, quòd corpus in ſua communiſſima ratione prout diſtinguitur à ſpiritu, & ſub ſe comprehendit corpus Phyſicum, & Mathematicum completum, & incompletum, & quid æquivocum ad ſua quaſi inferiora, quia linea v. g. & pars ſubſtantiæ, quarum quælibet eſt corpus, & idem dico de puncto, ſive indiviſibili quantitatis, ſolùm conveniunt in quadam analogia, & proportione æquivoca, cum nullus objectivus conceptus in quid de illis prædicabilis includatur eſſentialiter in illis per aliquas differentias eſſentiales.

660. Secundò nota, quòd tale corpus licèt non quidditativè, poteſt ſaltèm quoad quid nominis, vel ſecundùm quid rei definiri, ſecundùm quod à ſpiritu diſtinguitur, quæ talis eſt corporis definitio: corpus ut ſic prout diſtinguitur à ſpiritu *eſt ens habens extenſionem partium in ordine ad ſe, vel ab ente talem extenſionem habente eſſentialiter dependens.* Et dico *vel à tali ente eſſentialiter dependens*, ut in tali definitione includatur punctum, ſive indiviſibile quantitatis, quod licèt ex eo quòd indiviſibile careat latitudine partium, dependet tamen à quantitate tales partes habente eſſentialiter, ita ut ab illa non valeat ſeparari, niſi dependentia abſoluta. Ens eſt ratio generica, qua convenit cum ſpiritu, & reliquæ particulæ ſunt differentiales, per quas à ſpiritu diſtinguuntur. Ita communiter omnes tam Scotiſtæ, quàm Thomiſtæ ex modernis, nam antiqui non attigerunt aliquid de hoc puncto.

ARTICULUS SECUNDUS,

Ubi ad quæſitum per tres concluſiones reſpondetur.

661. DIco primam concluſionem: corpus naturale ſubſtantiale eſt *quoddam ens per ſe ſubſtantiale Phyſicum completum habens extenſionem partium per ſe per modum actus, & potentiæ.* Prima particula ſcilicet *ens per ſe ſubſtantiale* eſt ratio quaſi generica, per quam convenit cum Deo, qui ens per ſe ſubſtantiale eſt, & cum Angelis, materia, & forma. Secunda *Phyſice completum* ponitur ad differentiam formæ, & materiæ, quæ licèt entia per ſe ſint, non tamen Phyſicè completa, ſed incompleta. Et per tertiam particulam ſcilicet *habens extenſionem &c.*, differt corpus naturale à Deo, & ab Angelis; etiam per particulam primam, & per ultimam differt compoſitum, ſive corpus ſubſtantiale à toto accidentali,

sive per accidens, quod constat ex rebus ad diversa prædicamenta spectantibus; sed hæc definitio non est Metaphysica rigorosa, sed secundum quid, & sic dicitur Physica definitio, quia per partes Physicas componentes datur. Circa hoc nulla ferè est controversia.

662. Dico secundam conclusionem terminus *qui, quod, vel ad quem* generationis substantialis est corpus naturale completum, quod in prima conclusione definitum manet. Probatur: ille est terminus qui, quod, vel ad quem alicujus actionis, qui primò, & per se intenditur à tali actione, etiamsi in executione posterior sit; sed quod primò, & per se intenditur à generante est compositum substantiale &c: Ergo corpus naturale substantiale completum &c. Major est per se nota, minor probatur: quia quod primò, & per se intenditur ab homine in generatione est alium hominem generare, quod si primò, quod consequitur non est homo, sed aliqua forma, vel aliquæ dispositiones præviæ, hoc est per accidens ad suum intentum. Et confirmatur: quia quod est prius in intentione, est posterius in executione; sed compositum est posterius in executione: Ergo prius est in intentione. Et roboratur: omne agens naturale intendit generare sibi simile; sed quod sibi simile est, est compositum: Ergo compositum est terminus, finis, & scopus per se intentus à generante. Deinde: illud est terminus ad *quem* in quo invenitur terminus à *quo*; sed in composito invenitur terminus à *quo*: Ergo &c.

663. Dico tertiam conclusionem: terminus quo generationis substantialis est forma substantialis. Probatur: ille est terminus qui, vel ad quem; sed forma substantialis est, qua compositum, quod est terminus ad quem generationis, constituitur: Ergo forma substantialis est terminus quo generationis substantialis. Et confirmatur: terminus *quo* est forma, quæ invenitur in termino *qui*; vel ad quem; sed forma, quæ invenitur in composito, est forma substantialis; Ergo &c. Et roboratur; quia terminus quo est quo generans assimilatur genito, sed forma est, qua generans assimilatur genito: Ergo &c.

QUÆSTIO SECUNDA,

Utrùm corpus naturale, sive compositum substantiale distinguatur realiter à suis partibus simul samptis, & unitis?

664. NAtura, & quidditate compositi, sive corporis naturalis explicata, restat nunc ventilare, utrum tale compositum sit quid à suis partibus componentibus simul sumptis, & unitis distinctum? Vel potius partes unitæ sint idem, quod compositum? celeberrima quidem est præsens difficultas, & inter Scotistas, & Thomistas plurimum controversa, quam majori claritate possibili, etiamsi ipsa res in se penè imperceptibilis sit, explicabo pro meis viribus favente numine excelso.

ARTICULUS PRIMUS,

Ubi status controversiæ ad aperitur, & aliqua notabilia pro majori intelligentia quæsiti præmittuntur.

665. PRimò est notandum, quòd licèt quæstio, ut ex titulo patet, non proce-

procedat de toto Metaphysico respectu partium Metaphysicarum, de homine v. g. an ab animali, & rationali, quæ sunt partes Metaphysicæ hominis, distinguatur, nihilominus, ut nil intactum remaneat, de illo agemus ad majorem intelligentiam dictorum; & etiam de toto per accidens an à suis distinguatur partibus?

666. Secundò est notandum, quòd cum partes totius Physici aliæ sint essentiales, illæ videlicet, quarum una sublata destruitur quidditativus conceptus compositi, quales sunt materia, & forma Physica (vide quæ num. 139. primæ distinctionis diximus) aliæ integrales, quæ ad integritatem compositi deserviunt, ut manus v. g. in homine, pes &c. Quæstio de primis partibus, essentialibus videlicet, procedit, licèt etiam de partibus integralibus ventilabitur.

667. Tertiò est notandum, quòd quæstio non procedit de partibus divisivè sumptis, quia evidens est, quòd compositum præter materiam includit formam, quæ realiter à materia distincta est, ratione cujus à materia realiter compositum distinguitur, & aliàs videamus, quòd materia per multum tempus præfuit ante compositum, quod denovo generatur; & similiter cum compositum claudat materiam, certum est, quod per illam realiter distinguitur à forma, nec de partibus simul sumptis, non unitis, quia videmus, quòd mortuo homine manet corpus, & manet anima separata, & non manet homo: Ergo ab eis realiter distinguitur homo, & sic circa hoc nullus est controvertendi locus.

668. Quartò est notandum, quòd titulus petit, an unita materia v. g. corpori organico, taliter efficiant, & constituant hominem, quòd homo non sit aliud, quàm corpus unitum animæ, & anima unita corpori? Et idem dico de aliis compositis substantialibus, an ignis v. g. nihil aliud sit, quàm forma ignis materiæ unita, & materia unita formæ ignis, an potius sit aliquid realiter distinctum ab istis partibus collectivè sumptis, & unitis.

669. Circa hanc difficultatem duplex versatur opposita sententia: prima est Divi Thomæ prima secundæ q. 13. art. 1. & 4. contra gentes cap. 81. quem sequuntur ferè omnes Thomistæ, qui affirmant totum nullatenùs à suis partibus simul sumptis, & unitis distingui, & si aliqua distinctio datur, est distinctio rationis ratiocinantis, nullo fundamento se tenente ex parte rei, & oppositum addunt Thomistæ esse chymericum, & absq; ullo fundamento. Secunda sententia est Doctoris nostri subtilis, ut jam videbimus, quapropter sit

ARTICULUS SECUNDUS,

Ubi totum Physicum à suis partibus Physicis simul sumptis, & unitis realiter distingui de mente Scoti, & Philosophi probatur.

670. DICO primam conclusionem: totum Physicum, sive compositum substantiale ex materia, & forma realiter rei à re distinctione includentis ab incluso distinguitur à suis partibus simul sumptis, & unitis. Hæc conclusio expresè habetur à Scoto in 3. dist. 2. q. 2. §. quantum ad primum num. 7. & 8. Metaph. q. 4. per totam, & licèt oppositum videatur dicere

in:

in 1. Physic. q. 9. & pro hac parte videatur Pitigianus in suis commentariis ibidem, nihilominus pro parte affirmativa nostræ conclusionis, utpotè magis de ejus mente est standum, quia in 1. Physic. vel non procedit fundando suam sententiam, sed materiam præbendo argumentandi, vel si loquatur ex propria mente, ut Augustinus alius retractavit sententiam in 3. cit. Scotum sequuntur omnes veri Scotistæ uno, vel altero dempto.

671. Probatur authoritate ipsius Scoti ex 3. cit. ubi ait: *ostendo, quòd totum sit ens aliud ab omnibus partibus conjunctim, & divisim* (probo ait Scotus) *quia alias non esset differentia totius, quod est per se unum ad totum, quod est unum aggregatione, ut cumulus, vel acervus*: & prosequitur Scotus probando conclusionem per sex media. Primum declaro sic: in hoc distinguitur cumulus lapidum, & acervus tritici à toto Physico substantiali, quia primum totum, cumulus videlicet, vel acervus ex 8. Metaph. Philosophi est suæ partes aggregatæ, & unum de per accidens, & secundum quid, & totum Physicum est unum per se substantiale: Ergo hoc non est suæ partes Physicæ, sed aliud à suis partibus. Patet consequentia; quia si esset suæ partes, non distingueretur ab illo. Nec valet dicere, quòd totum Physicum, ideo dicitur totum per se substantiale, quia ejus partes sunt substantiales, quia etiam partes, quibus acervus tritici, vel cumulus lapidum componitur, substantiæ sunt, & non dicitur totum Physicum substantiale, sed totum per accidens.

672. Secundò probatur ex Scoto: terminus ad quem generationis substantialis est aliquid habens entitatem propriam per se, quæ de novo generatur; sed compositum substantiale est primus terminus ad quem generationis substantialis, & non suæ partes: Ergo compositum aliud realiter est à suis partibus. Major est per se nota, minor probatur: quod de novo generatur, non sunt partes, quia si corpus v. g. & anima essent separata, posset de illis generari homo, & tamen de novo non producerentur nec anima, nec corpus, quia jam supponitur producta esse: Ergo illud, quod de novo generatur, non est anima, nec corpus, sed homo: Ergo homo aliud est à corpore, & anima. Et roboratur contra Thomistas, qui asserunt animam informare immediatè materiam primam: in generatione hominis non generatur materia, quia hæc supponitur per creationem producta, neque anima, quia hæc etiam creatur, & non generatur, & tamen verè, & realiter generatur homo: Ergo homo aliud est à corpore, si à materia prima, & anima simul sumptis, & unitis.

673. Nec valet dicere, quòd verum est, quòd supponitur materia creata, & anima, & tamen ex illis dicitur generari homo, quia generatio producit unionem animæ ad corpus, sive materiam. Quod sic ostendo: hæc unio est relatio, & quid accidentale, ut supra probatum manet: Ergo si quod de novo producitur est unio, quod de novo producitur est accidens; sed generatio est actio substantialis: Ergo ejus terminus productus nequit esse accidens, sed substantia, & non materia, neque forma: Ergo compositum. Probatur consequentia; quia in hoc distinguitur generatio substantialis ab accidentali

gene-

generatione, quia hæc accidentis est productiva, illa verò substantiæ: Ergo &c.

674. Neque etiam valet, quod talis unio sit modus substantialis, & ideo generatio dicitur substantialis; quia hoc admisso sic insurgo contra: Ergo terminus, qui generatur, est modus, & non homo: Ergo quod corrumpitur est etiam talis modus, & non homo: tunc sic; ille est terminus ad quem generationis, qui est terminus à quo corruptionis; sed qui corrumpitur, est verè, & actualiter homo, sive substantia completa, & non modalis: Ergo quod generatur est vera substantia per se completa, & non substantia modalis, sed vera substantia entis per se existentis, & subsistentis, hominis videlicet: Ergo hæc substantia, quæ generatur, & corrumpitur, alia est realiter à suis partibus simul sumptis, & unitis.

675. Tertiò probatur: omnis causa Physica, & realis, vel partialis, vel adæquata realiter distinguitur à suo effectu; sed materia, & forma prout unitæ sunt causæ compositi partiales, & ex utraque efficitur una totalis: Ergo materia, & forma unitæ realiter distinguuntur à composito: Ergo compositum, quod est effectus, realiter distinguitur à materia, & forma unitis, quæ sunt ejus causæ Physicæ, & reales. Et roboratur: omnis effectus Physicus realis realiter dependet à sua causa realiter, & Physicè in ipsum influente; sed idem à seipso nequit realiter Physicè dependere: Ergo necessariò effectus realis realiter distinguitur à sua causa.

676. Nec valet dicere, ut aliqui Thomistæ asserunt, quòd materia, & forma prout separatæ sunt causæ compositi, & prout unitæ sunt effectus, & compositum. Quod sic ostendo: materia, & forma prout separatæ non causant compositum actualiter: Ergo ad hoc quod actualiter causent, aliquid aliud requiritur; sed hoc aliud, quod requiritur, non est nisi unio, & approximatio in agente: Ergo unio est conditio prævia ad hoc quod materia, & forma causent: Ergo etiam materiæ, & formæ prout unitæ sunt causæ compositi, & non compositum: Ergo realiter distinguuntur à composito.

677. Quartò probatur: passio compositi, & ejus operatio non convenit materiæ, neque formæ, neque unioni, neque divisivè, neque collectivè: Ergo necesse est concedere aliud ab istis, quod sit passionis principium, & propriæ operationis. Probo: risibilitas v. g. non verificatur de materia, neque de anima, neque de unione, & idem dico de sensatione, quia anima neque ridet, neque sentit, neque materia, neque unio: Ergo necesse est, quòd detur aliquid aliud videlicet compositum humanum, cui primò, & per se possint hæc omnia adaptari. Confirmatur autem esse prædictam sententiam de mente *Philosophi*, nam *7. Metaph. cap. 14. text. 19.* ait: *bis tria non sunt sex, sex enim semel sunt sex.* Et 7. Metaph. text. 17. ait: *syllaba Ba non est B, & A.* Quæ verba sunt exemplificativa ad denotandum, quòd compositum ex materia, & forma non est suæ partes, sed aliud tertium ab eis resultans, & ab illis causatum.

678. Dico secundam conclusionem: totum Metaphysicum homo v. g. non distinguitur realiter, nec formaliter à suis Metaphysicis partibus constitutivis, ab animali videlicet, & irrationali; & idem dico de aliis Metaphysicis compositis. Probatur: essentia

adæquata rei non distinguitur nec formaliter ab ipsa re; hujus modi sunt partes Metaphysicæ constitutivæ hominis v. g. Ergo non distinguuntur ab ipso homine, quamvis homo formaliter distinguatur à qualibet parte divisim per inclusionem alterius.

679. Dico tertiam conclusionem: partes Physicæ, quæ non se habent per modum actus, & potentiæ, sed sunt partes integrales, ut pars manus in homine, pars capitis, & pedis &c., non distinguuntur collectivè, & conjunctim à toto integrali, sed totum integrale idem est ac suæ partes integrales collectivè sumptæ, quamvis à qualibet parte seorsim realiter distinguantur per alias partes. Probatur, quia tales partes non sunt causæ causantes per verum, & Physicum influxum compositum integrale, sed per unionem: Ergo &c. Idem dicito de toto per aggregationem, quod non est nisi omnes partes simul sumptæ, & aggregatæ.

680. Dico quartam conclusionem: totum per accidens ex subjecto, & forma accidentali consurgens realiter distinguitur à suis partibus simul sumptis & unitis. Est sententia expressa Scoti in 3. ubi supra, qui ait: *Vnum per accidens est magis, quàm unum aggregatione, & minus unum, quàm totum unum per se, & tamen unum per accidens non est suæ partis:* illa, quæ se habent per modum actus, & potentiæ ad causandum aliud realiter distinguuntur ab illo alio, quod causant; sed subjectum, & forma accidentalis se habent per modum actus, & potentiæ ad causandum totum per accidens, album v. g. Ergo realiter distinguuntur à toto per accidens. Potestque probari ferè omnibus rationibus, quibus nostram primam conclusionem probavimus. Qui plura de hac distinctione desideraverit, authores consulat.

Argumenta contradicta.

681. Primò arguitur à Thomistis ex Philosopho 2. de anima cap. 1. & 5. Metaph. text. 31. & 4. Physic. text. 37. Vbi ait, totum nil aliud esse præter partes unitas. Et ex Augustino 7. de Trinitate cap. 4. Vbi: *homo non est corpus solùm, sed anima, & corpus.* Et ex symbolo fidei Athanasii dicentis: sicut anima rationalis, & caro unus est homo: ita Deus, & homo unus est Christus; sed Christus nihil aliud est, quàm humanitas unita verbo divino: Ergo compositum non est aliud præter formam unitam materiæ: Ergo non distinguitur realiter compositum à suis partibus &c.

682. Ad has, & similes authoritates respondeo, quòd nec Philosophus, nec Augustinus, neque symbolum affirmant esse totum suas partes identicè, sed quod partes sunt causa adæquata totius, & in hoc sensu sunt intelligendi, & non in alio. Ad rationem deductam ex authoritate Athanasii respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam, quia particula illa *sicut* non est assimilativa, sed exemplificativa, & est idem, ac dicere, sicut causæ constituentes ut ita dicamus, Christum sunt Deus, & homo, sive humanitas, ita causæ intrinsecæ constituentes hominem sunt anima, & corpus; hoc tamen discrimine, quòd corpus, & anima sunt causæ Physicè causantes, & sic realiter distinguuntur à toto, quod est carum

rum effectus; sed Deus, & humanitas non sunt causæ Physicè causantes Christum, sed unitivè se accomodantes ad constituendum Christum. Quomodo sit autem hoc ultimum intelligendum prolixam petit difficultatem ad materiam de incarnatione expectantem.

683. Secundò arguitur: illud, quod est de essentia alicujus rei non distinguitur realiter ab ipsa re; sed materia, & forma sunt partes essentiales compositi, & de ejus essentia: Ergo non distinguuntur à composito. Respondeo distinguendo majorem: quod est de essentia Metaphysica rei, non distinguitur, concedo: quod est de essentia Physica, nego: quia si argumentum aliquid probaret, probaret etiam contra Thomistas asserentes quòd compositum realiter distinguitur à qualibet parte seorsim, non autem ab omnibus partibus collectivè: & ratio est clara, quia partes Metaphysicæ, animal v, g. & rationale inter sese non distinguuntur realiter; at verò partes Physicæ realiter distinguuntur inter sese, & sic à toto realiter distingui petunt, quia quæcumque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, & sic si essent materia, & forma realiter eadem tertio, nempè composito, essent idem inter se; sed hoc non est ita: Ergo neque composito idem, sunt realiter. Præterquamquod quomodo potest fieri, quòd forma realiter distinguatur à composito, & similiter materia pro eodem instanti realiter distinguatur, & quòd materia, & forma non distinguantur simul à composito.

684. Tertiò arguitur: totum realiter distinguitur à partibus: Ergo per aliquid, quod sit in toto, & non sit in partibus. Patet consequentia; quia nihil distinguitur ab aliquo nisi per aliquid, quod est in uno, & non in alio: tunc sic; sed nihil est in toto præter materiam, & formam: Ergo non distinguitur totum à materia, & forma unitis. Probo antecedens: nihil est in toto nisi partes componentes ipsum essentialiter; sed partes ipsum essentialiter componentes sunt materia, & forma: Ergo nihil est in toto præter materiam, & formam: quia si esset aliquid in toto præter partes, inquiram, quid sit illud aliud? Non pars, quia nulla alia pars est in composito præter materiam, & formam, neque totum præcisis, & circumscriptis materia, & forma neque est, neque intelligi potest: Ergo nihil: Ergo non distinguitur totum à suis partibus.

684. Respondeo concludendo antecedens, & negando consequentiam; ad probationem respondeo distinguendo antecedens: nihil est in toto per modum partis præter materiam, & formam, concedo: quia compositum non habet alias partes præter materiam, & formam: per modum tertiæ entitatis ab illis causatæ, nego. Ad confirmationem dico, quod illud, quod est in toto præter materiam, & formam, est ipsum totum, sive tertia entitas à materia, & forma causata, quæ non potest intelligi, neque esse sine materia, & forma, quia sunt ejus partes essentiales, & tamen aliquid aliud realiter est à materia, & forma, cum sit earum effectus Physicus, & realis; nam hoc versatur discrimen inter effectum causæ efficientis, & formalis, & materialis, quòd effectus causæ efficientis potest intelligi, & esse sine sua causa efficienti, cum hæc non maneat intra effectum ipsum intrinsecè con-

constituens, & sic causa extrinseca vocatur; at verò effectus causæ formalis, & materialis non potest intelligi, neque esse sine sua causa formali, & materiali talem effectum intrinsecè constituente, & ideo causæ intrinsecæ vocantur.

686. Quartò arguitur: effectus, totum, sive tertia entitas à partibus unitis causata, vel est tota essentia, & quidditas totius compositi; vel pars essentiæ? Si tota essentia: Ergo materia, & forma, quæ ab hac tertia entitate realiter distinguuntur, non sunt de essentia compositi: si pars essentiæ: Ergo hæc tertia entitas simul cum materia, & forma constituent compositum, & erit duplex Physica compositio, una ex materia, & forma; & alia ex materia, & forma, & hac tertia entitate; quod est impossibile. Patet, quia hæc tertia entitas forma totius vocatur: Ergo erit forma informans totum: Ergo alia forma totius erit concedenda præter primam, & ad illam alia, & sic in infinitum: Ergo ne hoc dicatur, dicendum erit, quòd totum realiter non distinguitur à suis partibus.

687. Respondeo, quòd illa tertia entitas est tota essentia totius compositi, & non pars essentiæ; & cùm dicis: ergo materia, & forma non erunt de essentia compositi, nego, quia materia, & forma includuntur essentialiter in illa tertia entitate, tanquàm partes ejus. Ad confirmationem respondeo, quòd illa tertia entitas vocatur à Scoto forma totius, non quia sit forma informans compositum, in composito enim præter formam partis, quæ est actus materiæ, nulla alia forma informans datur, sed quia quidditas, & essentia rei dicitur ejus forma non informans, sed forma essentialis, hoc est, quidditas essentialis rei, & in hoc sensu compositum vocatur à Scoto formalitas, hoc est, quidditas tota ejus.

688. Quintò arguitur: quotiescumque aliqua ita ab intrinseco connectuntur, ut unum non possit dari sine alio, non distinguuntur realiter unum ab alio; sed ita connectuntur ab intrinseco partes unitæ cum toto, ut totum non possit dari sine partibus unitis, neq; partes unitæ sine toto: ergo non distinguuntur realiter. Major probatur: ideo Scotus ait, quòd relatio creaturæ ad creatorem est transcendentalis, & realiter idem cum creatura in 2. dist. 1. q. 5. & 4. §. ad quæstionem num. 21. & in 2. dist. 2. q. 2. in fine, quia nec relatio potest dari sine creatura, nec creatura sine tali relatione: Ergo &c. Et confirmatur, quia ubi non datur signum distinctionis realis, non datur distinctio; sed separabilitas est signum distinctionis realis: Ergo ubi non datur separabilitas, non datur distinctio; sed partes unitæ non possunt à toto separari, neque è contra: Ergo non distinguuntur realiter.

689. Respondeo primò concedendo majorem, & negando minorem, quia licèt verum sit, quòd partes unitæ non possint esse sine toto, hoc non competit partibus ab intrinseco ipsarum, sed ab unione, quæ est quid extrinsecum illis, quia unita forma materiæ non potest non dare illi suum effectum formalem, cùm materia sit capax recipiendi illum, neque Deus potest illum effectum formalem impedire, sicut potest impedire effectum causæ efficientis; & ratio est, quia Deus non concurrit cum forma ad informationem, influendo in ipsam informationem,

tionem, sed conservando entitatem formæ informationis, at verò ad causæ efficientis effectum concurrit influendo in ipsum effectum, & sic potest substrahere concursum ad effectum, & conservare causam, sine eo quod causet, non vero formam unitam materiæ, quia tribuit suum effectum formalem. Ad confirmationem autem respondeo, quòd creatura ab intrinseco petit illam relationem creaturæ ad creatorem; quod non evenit in nostro casu, cùm partes possint esse sine toto, quod si quando sunt unitæ non possunt sine toto esse, hoc eis ab extrinseco ratione unionis competit. Ad illud de signo distinctionis dico, quòd signa distinctionis realis sunt plura, & dato quòd signum separationis non inveniatur, invenitur tamen signum causationis realis, quod est sufficiens, quia materia, & forma unitæ sunt causæ compositi, ut patet in divinis, ubi Pater non potest sine filio ab intrinseco, neque filius sine Patre, & tamen distinguuntur realiter per hoc, quod filius sit productus à Patre.

690. Secundò respondeo, quòd vera est major, falsa autem minor: quod bene potest Deus conservare materiam, & formam unitam, sine eò quod forma informet materiam, neque illi tribuat suum effectum formalem, quia cùm informatio sit effectus realis distinctus ab unione, & forma, potest Deus conservare formam unitam materiæ, & impedire effectum formalem formæ per substractionem concursus, & sic non resultare compositum. Videte, quæ num. 432. & 419. distinctionis secundæ diximus.

691. Sextò arguitur: totum realiter distinguitur à suis partibus: Ergo potest intelligi sine partibus. Respondeo negando consequentiam, antecedente concesso; quia relatio distinguitur à suo termino, & fundamento, & nihilominus non potest intelligi sine fundamento, & termino, & ita licèt totum distinguatur à suis partibus, non potest intelligi sine illis, quo sunt causæ intrinsecæ ipsum constituentes.

692. Septimò arguitur: totum realiter distinguitur à suis partibus: Ergo distinctione numerica, specifica, vel generica; sed non prima, quia illa, quæ solum numero distinguuntur, habent eadem essentialia prædicata; neque secunda, quia una species non ordinatur ad constituendam aliam; neque tertia, quia ejusdem generis substantiæ sunt: Ergo nulla. Consequentia patet; quia à parte rei non datur nisi unitas numerica, specifica, vel generica: Ergo distinctio, nisi numerica, specifica, vel generica; quia unitas, & distinctio sunt passiones entis, & quot modis dicitur unum, dicitur ab aliis distinctum.

693. Respondeo concedendò antecedens, negando consequentiam: nam sicut natura humana Petri, & Pauli præcisis singularitatibus realiter distinguuntur, & non distinctione aliqua ex illis, sed à seipsis, & Pater, & filius in divinis à seipsis distinguuntur, quæ est alia distinctio ab enumeratis in argumento; ita totum distinguitur à suis partibus distinctione includentis ab incluso, quæ non est neque numerica, neque specifica, neque generica, sed alia ab illis. Ad confirmatio-

nem respondeo negando antecedens, quia à parte rei datur unitas formalis naturæ communis, quæ neque est unitas numeralis, neque specifica, & ita datur unitas includentis, quæ distincta est ab entitate inclusi, quæ neque est numerica, neque specifica, neque generica.

694. Argumenta, quæ contra alias nostras conclusiones possunt efformari, minoris ponderis sunt, & sic illa omittimus apud authores videnda. Quæstio autem illa celeberrima, an accidentia in materia prima, vel in toto Physico subjectantur? ad libra de generatione spectat, quamvis à nonnullis hic exagitetur; sed duplici ratione à nobis omittitur; tum, quia de illa non potest haberi conceptus completus hic, & quidditativus, donec ad modum, quo generatio fiat, accedamus; tum, quia non hujus, sed illius est loci. Et dicta pro hoc primo libro sufficiant, & sint in laudem, gloriam, & honorem illius, qui in Trinitate perfecta unus est Deus, & Beatissimæ Genitricis ejusdem, absque labe originalis culpæ conceptæ.

LIBER SECUNDUS PHYSICORUM.

ILLE magnus Philosophorum Parens, Aristoteles scilicet, his verbis incipit hunc secundum Physicorum librum: *eorum, quæ sunt, alia quidem sunt natura, alia vero propter alias causas*, quibus proponit, de quibus agendum est in hoc secundo; postquam ergo in primo egimus, tam de principiis ut sic corporis naturalis, quàm de illis in particulari, nec non de unione, & composito, restat nunc agere primò quid sit natura, ut clarius quid sit corpus naturale appareat, & postea de causis extrinsecis ejusdem corporis naturalis; quapropter doctrinam Philosophi, & Doctoris nostri subtilis insequentes istum librum in octo dividam distinctiones, in quarum prima de natura, arte, & violento agemus; in secunda de causis in universali, & in communi, in tertia de causa materiali, & formali, in quarta de causa efficiente, nec non, & de dependentia causæ secundæ à prima; in quinta de causa finali; in sexta de causa exemplari; in septima de causis in communi facta comparatione inter se, & cum suis effectibus; denique in octava de causis per accidens, scilicet de casu, & fortuna, quapropter sit

DISTINCTIO PRIMA,

De natura, violento, & arte.

695. CUM teste Philosopho, rectum sit judex sui, & obliqui, prius exami-

examinare decrevi quid natura sit, ut postea, quæ de violento, quod est contra naturam, & arte dixerimus, clariùs percipiantur, quapropter non ignoramus, quòd Philosophus 6. Ethic. ait: omne obscurum, quod inusitatum, & fortè aliquibus obscurum, hoc de violento, & arte videbitur, cum hic de illo agere sit propter usum communem; sed nos qui Scotum habemus Magistrum, non dubitamus, ut ipse fecit, hic de illis tractare.

QUÆSTIO PRIMA,

Quid sit natura & an à Philosopho rectè definiatur.

696. QUamvis non ignoramus, quòd Philosophus 5. Jopic. cap. 3. ait; scilicet, *quòd multipliciter dicitur obscurum facit quid dictum est.* Nihilominus, quia ab ipso *Philosopho 5. Metaph. cap. 4. tex. 11. commento 5.* natura multipliciter dicitur, quare de variis ejus acceptationibus agemus, ut clarius, quid sit natura, de qua est sermo intelligatur quapropter sit.

ARTICULUS PRIMUS,

Variæ acceptationes naturæ præmittuntur.

697. NAtura multipliciter sumitur, primo pro mente divina, quatenùs rerum omnium est artifex, vocaturque natura creatrix, & est idem, ac Deus, teste Augustino 15. de Trinitate cap. 7. & cap. 1. Secundo sumitur natura pro ratione communi, quatenùs à suis individuis præscindit; quo pacto dicimus naturam cummunem hominis, leonis, & equi dari à parte rei. Tertiò pro toto universo, & sic dicitur communiter: nil vacuum, aut otiosum in natura, quatenùs in ordine ad operationes consideratur ut radix, & principium. Quartò pro ordine rerum naturalium, sive causarum, quatenùs talis est in causis naturalibus ordo, ut omnia, quæ faciunt, ad finem ordinentur determinatum, quo pacto intelligitur illud commune axioma: *Deus, & natura nihil frustrà operantur.* Quintò pro ipsa ordinatione causarum cum effectibus, quatenùs causis applicatis, & passo benè rectè disposito sequi effectum necesse est: quo pacto ea, quæ extra istum ordinem, & connexionem fiunt, miracula appellantur. Sextò pro generatione viventium, unde Philosophus 5. Metaph. cap. 4. text & comm. 5. ait: *natura verò dicitur uno quidem modo nascentium generatio*: eò quod natura à nascendo trahit originem. Septimò sumitur natura pro materia prima quatenùs est primum substantialis generationis subjectum. Unde Philosophus ubi supra: *uno verò* ex quo generantur primo, quod nascitur in existente. Quod explicat Scotus ibidem: *uno verò, id est, alio modo dicitur natura, ex quo ut in existente generatur primum, quod generatur.*

698. Octavò sumitur natura pro principio intrinseco, à quo omnis motus dicitur, & denominatur naturalis, & in hoc sensu Philosophus ubi supra ait: *amplius unde motus primus in quolibet natura entium in ipso, in quantum ipsum existit*: quam explicat Scotus ibidem his verbis: *amplius* supple *dicitur natura illud, unde est primus motus in quolibet, & existit in ipso, in quantum ipsum est: dicit autem in ipso in quantum ipsum est,* quia

quia natura, quæ est principium motus, & quietis, inexistit mobili per se, & non secundùm accidens: Et in hac ultima acceptatione, quatenus natura principium dicitur motus, & mutationis naturalis, hic agitur de natura.

ARTICULUS SECUNDUS,

Quid sit natura explicatur, & rectè à Philosopho definitam esse ostenditur.

699. Aristoteles in 2. text. 3. sic definit naturam: *tamquam natura prima sit principium aliquod, & causa movendi.* Et 3. Metaph. text. & comm. 5. cap. 4. num. 28. sic illam definit: *natura dicitur unde motus primus in quolibet natura entium in ipso, in quantum ipsum existit*: sed hæc definitio, ut ait Scotus ibidem cum prima coincidit. Primam definitionem explicat Scotus in 2. q. 2. n. 13. ex expositione textus Philosophi his verbis: *prima conclusio est ista, natura est principium movendi, & quiescendi ejus in quo est per se primo, ut non secundùm accidens.* Et in 5. citato num. 29. §. sed advertendum in fine aliis verbis ait, Philosophum in 2. definivisse naturam, quæ talia sunt: *natura est principium motus, & quietis ejus, in quo est primò & per se, & non secundùm accidens.* Sed hæc definitio non descriminatur à prima, & sic quælibet potest naturæ adhiberi.

770. Et cum Scotus neq; in una, neq; in altera definitione naturæ meminerit de *causa*, cùm ex ejus verbis originaliter relatis patet; postea q. 3. hujus hoc titulo superscribit quæstionem: *utrùm definitio naturæ in textu sit bona? videlicet natura est principium, & causa movendi, & quiescendi ejus, in quo est per se primò, & non secundum accidens*: quam definitionem ibidem approbat, explicat, & declarat: quapropter hanc definitionem vobis sequendam propono utpote magis communem, & ferè ab omnibus acceptam, cujus bonitas ex ejus explicatione patebit.

701. Pro cujus intelligentia nota Scoto ex q. 3. ex. 2. citato. n. 3. quòd hoc nomen natura (verba sunt Scoti) *est nomen relativum, & significat substantiam in relatione* (hoc est in comparatione, & ordine) *ad motum, & operationes naturales, & ista non est prædicatio quidditativa, substantia est natura, plusquàm ista, substantia est pater.* Ex quibus apparet, quòd sicut pater pro materiali dicit substantiam, quæ denominatur formaliter pater à relatione paternitatis, ita natura dicit pro materiali substantiam quæ denominatur natura, & pro formali relationem, sive ordinem ad motum, sive operationes substantiales ipsius. Ex quibus sequitur, quòd materia, & forma v. g. esse, & denominari naturas, non est de quidditate, & intrinseca ratione earum, nisi dicamus, quòd sunt naturæ radicaliter, non verò formaliter.

702. Prima particula prædictæ definitionis est *principium*, & ponitur loco generis, quia ut ait Scotus ibidem, *principium est terminus communior, quia dicitur tam de principio intrinseco, quàm de extrinseco; sed natura dicitur de principio intrinseco tantum*; & est idem, ac dicere: principium est per quod convenit natura cum aliis principiis intrinsecis, & extrinsecis positivis, & privativis, scilicet cum privatione, causa finali, & effi-

& efficiente, quæ naturæ non sunt, & per reliquas particulas differt.

703. Secunda particula est, *& causa*, quæ quidem particula & non est copulativa, ita ut sensus sit, natura est principium, quod etiam est causa, sed sumitur expositivè, quasi ly *causa* sit expositiva illius *principium*. Sic Scotus ibidem, cujus hæc sunt verba: *Secundò notandum, quòd isti termini principium, & causa convertuntur*: & ideo ponuntur ambo in definitione naturæ, ut unum exponat reliquum, & tunc ista copula *&* capitur expositivè, ita ut sit sensus, natura est principium, id est causa, quia unus illorum terminorum potest esse magis notus uni, & alius magis notus alteri. Ex quibus apparet quàm falsò, & inconsequenter aliqui Scotistæ asserunt principium sumi pro principio passivo in definitione naturæ, & causa pro principio activo, cùm postea asserant definitionem naturæ non competere activo, sed passivo principio.

704. Tertia particula est *motus*, quæ non intelligitur de motu locali præcisè, sed de omni motu, sive transmutatione tam substantiali, quàm accidentali, ita ut sensus sit, quod omnis motus naturalis, qui competit mobili illi, convenit per principium intrinsecum naturæ. Quarta particula est *& quietis*, quæ accipitur in dicta definitione non copulativè, ita ut sensus sit, quòd mobile simul quiescat, & moveatur, cùm motus, & quies sibi invicem contrarientur, sed distinctivè, & tunc est sensus, verba sunt Scoti num. 4. natura est principium, vel causa movendi, sive quiescendi; ut quandocumque conveniat mobili motus, vel quies naturalis, convenit illi per suam naturam, quatenùs ex se est potens ad utrumque, non simul, sed pro diversis temporibus, & in uno naturaliter movetur, & in alio naturaliter quiescit, quia verba in definitione non dicunt actum, sed aptitudinem.

705. Quinta particula est *primò, quæ debet referri* (ut ait Scotus ibidem) *ad hanc dictionem principium, ita ut sensus sit, quòd* natura est principium primum, & causa movendi; & accipitur primum, id est principale ad differentiam accidentium, & dispositionum accidentalium: quia licèt gravitas v. g. in lapide, & levitas in igne sint principia, quibus lapis naturaliter movetur deorsùm, & ignis seorsùm, sed secundum, quia ipsa natura lapidis est primum principium talis motus, & ipsa natura ignis sui motus est principium.

706. Sexta particula *ejus in quo est primò, & per se, & non secundùm accidens*, est declaratoria præcedentis particulæ, per quam denotatur, quòd natura est primò, & per se in illo, quod movetur, & quiescit, tanquam ejus motus, vel quietis per se principium, à quo dicitur motus talis vel quies naturalis mobilis per quam excluditur forma accidentalis, quæ est mobilis solùm dispositio, ad hoc ut moveatur actualiter, vel quiescat.

707. His præjactis dico unicam conclusionem: natura, quæ num. 700. manet definita, optimè à Philosopho in prædicta definitione definitur: ita *Scotus* locis supra citatis: *& in* 2. *dist.* 2. *q.* 10. *& dist.* 18. *q. unica, & in* 4. *dist.* 43. *q.* 4. & probatur: illa est bona definitio, quæ competit omni contento sub definito, & aliis ab ipso non; definitio tradita à Philosopho pro natura ita se habet: Ergo est bona, & optima definitio.

nitio. Ita *Scotus* probat hanc conclusionem *in 2. citato sub num. 6. §. nunc sit.*

Argumenta contra dicta.

708. PRimò arguitur: cœlum semper movetur, & nunquam quiescit, & tamen est natura: Ergo ad salvandam quidditatem naturæ non est necesse, quòd sit motus, & quietis principium. Et confirmatur: quia terra ab opposito semper quiescit, & nunquam movetur: Ergo sufficit vel quies, vel motus ad salvandam naturam.

709. Respondeo, quòd cœlum non est natura respectu motus cœlestis, quia talis cœlestis motus est illi non naturalis, sed neuter, ut *Scotus ait in 4. dist. 48. q. 2. §. ad quæstionem, & in hoc 2. q. 2.* & dato quòd talis motus sit natura, non requiritur, quòd semper moveatur, vel quiescat, sed sufficit, quòd possit utrumque, & sat est cœlum posse quiescere, licèt nunquam quiescat, ut quies illi à natura convenire dicatur. Idem dico de terra, quæ licèt non moveatur, sufficit, quòd possit naturaliter moveri, ut faceret, si à suo centro extraheretur: præterquam quod sufficit quòd moveatur secundùm partes, ut docet hic Scotus.

710. Secundò arguitur: grave movetur deorsùm naturaliter à sua gravitate, & leve movetur sursùm à sua levitate: Ergo hoc, quod est esse principium motus, non solùm competit substantiæ, sed etiam accidenti. Patet consequentia; quia gravitas in lapide, & levitas in igne v. g. non est substantia, sed accidens: Ergo &c. Antecedens probatur: quia si à lapide sursùm existenti auferatur gravitas, lapis in tali casu sursùm maneret, & deorsùm nullatenus moveretur; & idem vice versa dico de levi, à quo levitate seclusa seorsùm non moveretur: signum ergo, quòd principium motus in gravi est sua gravitas, & in levi sua levitas. Et roboratur: quia si gravitas lapidis v. g. separata à lapidis substantia seorsùm poneretur, ipsa gravitas peteret centrum, & ad ipsum naturaliter moveretur deorsùm; sed in tali casu non esset substantia, à qua tanquàm à principio talis motus procederet: Ergo gravitas, quæ est accidens circumscripta à substantia, se sola esset principium motus: Ergo esset natura: Ergo.

711. Respondeo negando antecedens: grave enim non à gravitate principaliter movetur deorsùm, nec leve à sua levitate seorsùm, sed dispositivè à gravitate, & principialiter à substantia gravi, ut dixi num. 705. de mente Scoti, & similiter nego consequentiam: & ad probationem antecedentis respondeo negando antecedens: si à lapide enim seorsùm existenti gravitas separaretur, utiquè lapis moveretur naturaliter deorsùm ad centrum, quod petit non ratione gravitatis, sed ratione suæ naturæ substantialis, licèt in tali eventu fortiter citius moveretur, & minus velociter, quàm cum sua gravitate moveretur; idem dico de levi. Ad confirmationem de gravitate separata à substantia, dico, quòd casus naturaliter est impossibilis, etsi ponatur præternaturaliter quòd gravitas conservetur extra substantiam gravem, dico, quòd moveretur gravitas deorsùm de per accidens non ratione sui, sed quatenus affectio substantiæ, quæ gravis est, & sic gravitas tenderet ad centrum ad quærendam substantiam, quæ in

centro

centro est, cùm ex se sine substantia non possit conservari. Idem dico de levi, sed talis motus esset præternaturalis, & sic extra Physicum institutum est, quia nos hîc solùm agimus de motu naturali.

712. Tertiò arguitur: ars saltandi est principium motus illius, in quo est, & ars horologaria est principium motus horologii: Ergo definitio naturæ etiam convenit arti: Respondeo distinguendo antecedens: ars saltandi est principium motus quoad esse artificiale motus, concedo, quoad esse motus, nego: ex quo nihil contra nos. Alia omittimus argumenta apud authores videnda.

ARTICULUS TERTIUS,

Utrum definitio naturæ conveniat principio activo, an passivo?

713. CUM ex à nobis dictis num. 699. natura sit principium motus, & quietis, & principium sit in duplici differentia, aliud activum, passivum aliud; meritò inquirimus modò an illa particula *principium* in definitione naturæ apposita sit intelligenda de principio activo motus, & quietis, an de principio passivo? Quod sic exemplo explico: quærit titulus an ignis v. g. dicatur natura, quatenùs producit ignem, sive calorem in alio, vel quatenùs ignis ipse est principium passivum caloris recepti in se? & an aqua dicatur principium naturale frigiditatis, quatenùs aqua activè producit frigiditatem in alio, vel in se? vel quatenùs recipit passivè ipsam frigiditatem?

714. Circa quam difficultatem prima sententia est Patris Vasquez prima secundæ disp. 25. cap. 3. qui sequitur Vallem, quos & alii sequuntur, qui affirmat ly *principium* positum in definitione naturæ intelligi de principio activo, & nullatenùs de principio passivo; ita ut sit sensus, natura est principium activum, sive productivum motus: cujus fundamentum est, quòd natura sumitur hîc prout violento opponitur; sed violentum est contra principium activum tantùm: Ergo natura, quæ est ejus oppositum intelligi debet activum, & non passivum principium.

715. Secunda sententia affirmat, quòd ly *principium* positum in definitione naturæ supponit, & sub se comprehendit omne principium tam activum, quàm passivum, cujus fundamentum infra in argumentorum solutione diluemus. Hanc sequitur sententiam ferè omnis Thomistica Schola, & præcipuè Joannes à Sancto Thoma 2. Physic. cap. 9. art. 2. nec non & Patres Conimbricenses 2. Physic. cap. 1. q. 3. art. 2. & alii.

716. Tertia tamen sententia, & nostra firmiter defensanda conclusio affirmat, quòd ly *principium* positum in definitione naturæ debeat intelligi de principio passivo, & nullatenùs de activo, neque de utroque conjunctim. Ita expressè *Scotus in 2. dist. 18. q. unica. num. 5. & 6. & in 4. dist. 43. q. 4. §. intelligendum est &c. & 5. Metaph. Philosophi cap. 4. num. 28. & 29.* cujus hæc sunt verba: *sed advertendum, quòd hoc principium motus, quod dicitur natura, à quo dicitur motus naturalis distinctus contra violentum accipitur non pro principio activo, sed pro principio passivo*: quod latè ibidem probat

bat Scotus, quem sequitur noster Franciscus Pitigianus in suis annotationibus ad textum Scoti super 2. Physic. q. 4. & omnes veri Scotistæ, & Tartaretus, Leuquetus, & alii.

717. Pro cujus intelligentia notate illa verba Scoti: *hoc principium motus, quod dicitur natura, à quo dicitur motus naturalis distinctus contra violentum*; & est idem ac dicere, quòd motus dicitur naturalis, & non violentus, quia subjectatur in principio passivo naturali, & non in violento: reducite in memoriam illud, quod de potentia passiva naturali materiæ primæ diximus dist. 2. q. 3. art. 1. num. 458. & infra, ubi latè ostensum manet, quomodo forma dicatur naturalis facta comparatione ad subjectum, sive principium passivum, in quo subjectatur, & nulla comparatione facta ad principium activum, à quo procedit: unde quia calor v. g. qui producitur ab igne, in aqua dicitur absolutè violentus, penès hoc præcisè quòd est contra inclinationem passi, aquæ videlicet in qua recipitur, etiamsi naturaliter ab igne tanquàm à naturali agente producatur: idem dicito de motu, ne idem bis repetamus.

718. Probatur conclusio ratione fundamentali Scoti: natura est principium illud, à quo habet motus, quòd sit naturalis distinctus contra violentum; sed esse motum naturalem, & non violentum attenditur penes principium passivum, & non penes activum: Ergo naturæ solùm principio passivo, & non activo est adaptanda. Major ex se patet, minor probatur: ideo motus, sive alia quæcumque forma dicitur naturalis, quia recipitur in principio passivo habente inclinationem, & propensionem ad ipsam formam, & ideo violenta dicitur, quia recipitur in subjecto renitente ipsam formam, nulla facta comparatione ad agens, à quo introducitur talis forma: Ergo quòd motus sit naturalis, vel non naturalis attenditur penes principium passivum, sed natura est principium à quo ejus motus dicitur naturalis: Ergo est principium passivum, & non activum.

719. Secundò probatur: nulla est causa formalis, & præcisa essendi motum naturalem, qua posita, & quolibet alio circunscripto ponitur motum esse naturalem, & ipsa ablata, & quolibet alio posito non ponitur esse motum naturalem; sed posito principio passivo habente inclinationem ad motum, & quoliber principio activo circunscripto, per possibile, vel impossibile ponitur motum subjectatum in ipso principio pasivo esse naturalem, & circunscripto principio passivo naturali, etiamsi quodcumque activum principium motus ponatur, motus non est naturalis: Ergo motum esse naturalem præcisè, & formalissimè attenditur penes principium pasivum: Ergo esse naturam principium motus, & quietis naturalis est esse principium illius pasivum, & non activum.

720. Tertiò probatur ratione Scoti loco in Metaphysica citato, num. 29. fol. 161. illa dicitur naturalis mutatio, secundùm quam passum mutatur, sicut aptum natum est mutari à quocumque agente; sed nunquàm passum est natum aptum mutari propter principium activum inexistens sibi, sed propter principium pasivum, quo sic naturaliter inclinatur: Ergo ista

natu-

naturalitas est ex parte principii passivi naturaliter inclinati ad talem mutationem. Major patet ex Philosopho, qui 8. Physicorum assignans causam, quare elementa naturaliter moveantur ad sua loca, puta levia, quare moveantur sursùm, & gravia deorsùm, dicit, quòd hujus causa est, quia sic apta nata sunt moveri deorsùm penes principium passivum inclinatum ad ubi deorsùm, & levia similiter seorsùm, & non penès activum: Ergo motus dicitur naturalis, quatenùs est juxta inclinationem passivi principii, quod est natura.

721. Quartò probatur ex eodem Scoto ibidem in fine §. ex definitione naturæ; *quia natura est principium motus, & quietis, ejus in quo est primò, & per se*: ex 2. Physicorum textu, & comm. 3. sed impossibile est, quòd principium activum motus sit in moto primo, & per se, quia quòd movens, & motum concurrant in eodem accidit, quod patet, quia possunt separari: Ergo natura sic accepta non dicitur de principio activo: Ergo de passivo. Probatur minor: quia natura est principium motus, & quietis ejus, in quo est; sed natura respectu principii passivi est principium intrinsecum, & non ratione principii activi: Ergo natura de principio passivo dicitur, & non de activo. Et confirmatur, quia accidit infirmo, qui sanatur, quòd sit medicus; & si habet motum naturalem ad sanitatem, habet illum, in quantum infirmus; quia in quantum infirmus sanatur, & si habet principium sanitatis activum in se, videlicet artem medicandi, hoc ei accidit, & non quatenùs naturaliter mutatur. Vide Scotum ibidem, ubi latè probat hoc ipsum.

722. Quintò probatur ex eodem *Philosopho in hoc 2. text. 71.* ubi assignans discrimen inter moventia naturalia, & non naturalia ait: moventia mota sunt Physicæ considerationis, & vocat moventia mota, quæ juxta inclinationem naturalem passi moventur, non tamen moventia non mota: Ergo solùm penes principium passivum dicitur, quòd movetur natura, & motus dicitur naturalis. Et confirmatur ex eodem Philosopho, qui 3. Physic. ait: *motus est actus entis in potentia, prout in potentia*; sed ly potentia prout in potentia dicit principium passivum, quod est natura: Ergo motus est actus principii passivi naturæ, & natura est potentia passiva illius actus, qui est motus.

723. Ex quibus apparet, quòd licèt aqua v. g. producat in seipsa frigiditatem, & ignis in se producat calorem, & substantia quælibet corporea producat in se quantitatem suæ naturæ proportionatam, quòd neque aqua, neq; ignis, neq; substantia, idem dico de aliis de gravi respectu ubi deorsùm, & levi respectu seorsùm, non dicitur natura, quatenùs habet virtutem activam producendi, sed quatenus habet potentiam passivam naturalem inclinatam ad ipsam formã, quam recipit. Unde etiamsi aqua non posset producere in se frigiditatem, sed ab alio agente produceretur ejus frigiditas, nihilominus aqua diceretur natura, per hoc præcisè quòd reciperet naturaliter frigiditatem. Et idẽ dico de igne respectu caloris, & de substantia respectu quantitatis, & de gravi, & levi

levi respectu seorsùm, & deorsùm, & sic de aliis.

Argumenta contra dicta.

724. PRimò arguitur contra nostram conclusionem à contrariis ex sententia *Philosophi*, qui *in hoc* 2. *Physic. text.* 3. ait, quòd artefacta non habent in se principium factionis, bene tamen naturalia; sed principium factionis est activum: Ergo natura ex sua intrinseca ratione dicit principium activum motus. Et confirmatur: calefactio v. g. quæ effectivè procedit ab igne est actio, sive motus, & non violentus, nec supernaturalis, nec artificalis, nec liber: Ergo est motus naturalis: Ergo provenit ab igne effectivè, prout ignis est natura: Ergo natura dicitur de principio activo.

725. Ad hanc, & similes Philosophi authoritates respondeo, quòd Philosophus loquitur ibi de principio naturali, prout opponitur libero, & in hoc sensu verum est, quòd ignis naturaliter producit calorem, hoc est non liberè, nec supernaturaliter, sed non naturaliter prout opponitur violento, quia violentum non competit principio activo, sed passivo, & similiter naturalitas, quia opposita circa idem versantur. Per quod patet ad confirmationem à ratione ex argumento.

726. Secundò arguitur ex eodem *Philosopho* 2. *Physic. text. & comm.* 12. ubi ait: *forma est magis natura.* Et 5. Metaph. cap. 5. sub num. 33. *omnis omnino substantia natura dicitur præter hanc.* Et sub num. 34. *& ex dictis igitur primò natura, & propriè dicta est substantia, quæ est principium motus habentium in se, in quantum ipsa; materia autem, quia hujus est susceptiva esse dicitur natura*: Ergo forma, quæ est principium omnis operationis, & actionis propriissimè dicitur natura, & materia minus propriè quatenùs susceptiva est formæ, & in potentia passiva ad illam: Ergo maximè dicitur natura esse principium activum, quàm passivum.

727. Respondeo ad argumentum ex Scoto ibidem, quòd cùm forma dicitur principium motus, vel potest referri ad principium activum, vel ad principium passivum, à quo motus sortitur naturalitatem; si refertur ad principium passivum, quatenùs forma est radix passionis, vel operationis ut forma lapidis principium descensus &c., dicitur natura, & magis propriè, quàm materia, non quia influit activè in motum, sed quia in genere entis perfectior est forma, quàm materia, vel quia aliquarum mutationum principium est forma, quæ tales mutationes petit, quas non petit materia secundùm se; si vero referatur ad principium activum forma dicitur natura prout opponitur violento, ut dictum est, & sic distinguo antecedens: forma dicitur propriissimè natura, quatenùs principium passivum est motus, concedo; quatenus principium activum, nego.

728. Tertiò arguitur à Conimbricensibus: natura ut natura, ut ex ejus definitione constat essentialiter est principium, & causa motus: Ergo essentialiter dicit esse principium passivum, simul & activum. Antecedens est certum, consequentia probatur quoad secundàm partem videlicet, quòd sit etiam essentialiter principium activum: causa ex sua ratione formali est principium

pium influens esse in aliud, ut infra distinctione sequenti patebit; sed principium influens esse in aliud non est passivũ, sed activum, influxus enim non dicit receptionem, sed activam productionem: Ergo si natura ex sua ratione formali est causa motus, ex sua ratione formali est principium influens esse activè in motum: Ergo &c.

729. Respondeo ad argumentum, quod validissimum fateor, & nullibi illud neque audivi, neque legi; quòd ly *causa* positum in definitione naturæ, non ponitur ut distincta particula à ly *principium*, etiam in eadem definitione positum, ut optimè notavit *Scotus in hoc 2. q. 3. sub num. 3. §. secundò notandum*, cujus hæc sunt verba: *isti termini principium, & causa convertuntur; & ideo ponuntur ambo in definitione naturæ, ut unum exponat reliquum*: Et sic non sumitur ly *causa* rigorosè, sed lato modo prout idem sonat, quod principium, & cùm principium ex se non dicat esse activum, inde fit quòd ly *causa* positum in definitione naturæ non dicat esse naturam principium activum, sed passivum.

730. Secundò respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam, & ad ejus probationem concedo, sive omitto majorem, & nego minorem: nam non omnis influxus est activus, cùm materia in sententia probabili influat in compositum non activè se habendo, sed passivè se ad receptionem formæ præbendo: unde nego consequentiam. Utraque solutio potest sustineri, sed prima verior mihi videtur, & conformior menti Scoti.

731. Ex quibus sequitur corollarium pro majori intelligentia totius quæstionis, quod licèt bene valeat: est natura: Ergo est principium passivum motus, non tamen valet è contra: est principium passivum motus: Ergo natura: non valet, quia aqua est principium passivum caloris, & tamen non est natura respectu caloris, sed quid violentum, cùm sub calore violenta sit aqua: idem dico in aliis exemplis quandocumque passivum dicit renitentiam ad formam, quam recipit; quia ad hoc, quòd sit natura, requiritur, quòd subjectum sit, & quòd sit in potentia naturali respectu formæ, sive motus recepti in ipso. Nec valet etiam: est subjectum passivum, & non dicit renitentiam ad formam: Ergo est natura, non valet, quia potest esse in potentia neutra, & sic non erit natura; unde superficies respectu caloris, nec lignum respectu artificialis formæ, nec cœlum respectu sui motus, neque Angelus respectu sui ubi est natura, quia non dicit inclinationem nullum eorum ad formas prædictas; & ratio est conspicua ex definitione naturæ, in qua petitur quid sit principium motus, & quietis, hoc est, quòd ad formam naturaliter inclinetur, & sub forma conquiescat, & suo modo congaudeat, quod non habet subjectum neutrum, nec violentum.

732. Ex quo sequitur etiam, quòd Deus non potest dici natura, cùm non sit in potentia passiva ad aliquam perfectionem, etiam infinitam, quia potentia passiva ex sua natura dicit imperfectionem potentialitatis, & determinabilitatis, quæ Deo repugnant, & si aliquando Deus dicitur natura perfectissima, & natura movens, hoc est, causans naturas creaturarum, non verò natura mota, quæ

est

est Physica natura, nisi lato modo, & impropriè.

ARTICULUS QUARTUS,

Ubi divisio naturæ statuitur in sua membra.

733. PRimò est notandum ex *Philosopho 2. Physic. text. 7. & 10. & 5. Metaph. cap. 5. text. 5.* quòd ex entibus Physicis secundùm quod ad Physicam considerationem expectant, alia sunt naturæ, alia naturalia, & alia circa naturam; natura jam ex superioribus manet dictum quid sit. Ens naturale est, quod ex naturis consurgit, & constituitur, ut compositum v. g. quod ex materia, & forma coalescit, quæ sunt naturæ. Circa naturam verò dicuntur illa entia, quæ licèt in se naturæ non sint, cùm non habeant principium motus, & quietis, neque sint entia naturalia propriè, quia non sunt Physicè composita ex naturis, tamen sunt affectiones, vel naturæ, vel entis naturalis; hoc est sunt accidentia, quædam connaturalia, & conservativa compositi substantialis, quod est quid naturale, vel materiæ, & formæ, quæ sunt naturæ.

734. His præjactis, dico primam conclusionem: natura formalissimè, & rigorosè dividitur in materiam, & formam adæquatè, ita ut in rigore non sit aliqua natura, quæ non sit vel materia, vel forma. Quod materia formalissimè sit natura, licèt sit contra Vasquez, & alios, expressè habetur à *Philosopho 5. Metaph.* cap. 5. text. 5. num. 31. cujus hæc sunt verba: *ampliùs natura dicitur, ex quo primò, aut est, aut fit aliquid entium natura.* Et sub num. 32. *natura autem materia prima.* Ubi Scotus latè probat materiam esse naturam: probatur ratione: materia est pars constitutiva compositi naturalis: Ergo est natura. Patet; quia ens naturale non nisi ex naturis coalescit, & constituitur. Secundò: quia formalissimè competit materiæ primæ esse principium passivum motus, & quietis, cùm ad omnes naturaliter inclinetur, & sub omnibus quiescat: Ergo est natura.

735. Quòd forma etiam sit natura rigorosè, patet ex Philosopho ibidem, & probatur, forma v. g. lapidis formalissimè appetit centrum, & in illo conquiescit, & forma levis esse sursùm, & in illo congaudet: Ergo est natura. Patet consequentia; quia natura est principium motus; sed forma substantialis est principium in lapide petendi ubi deorsùm, & in levi sursùm: Ergo est natura respectu illarum mutationum, & formarum, ad quas inclinatur, & in illa recipiuntur.

736. Dico secundam conclusionem: compositum non est formalissimè natura: patet ex *Philosopho in hoc 2. text.* 11. ubi postquam dixit materiam esse naturas, ait: *quod autem ex his natura non est.* Quod ut explicat Doctor subtilis in hoc 2. q. 19. num. 3. & 5. Metaph. cap. 5. sub num. 32. §. concludit, vult dicere Philosophus, quòd compositum formalissimè non est natura, sed ens naturale; & ratio est, quia natura est, quæ ex se, & per se ordinatur ad constituendum ens naturale, compositum videlicet; sed compositum ex se, & per se non ordinatur ad constituendum aliud

aliud compositum, cum unum adæquatum, & completum ad aliud constituendum ordinari sit contra rationem suam formalem: Ergo compositum non est natura.

737. Dico tertiam conclusionem: compositum substantiale, quatenùs est in potentia passiva ad aliquas formas accidentales, ad quas inclinatur, & quas ad sui conservationem petit, potest dici natura, licèt magis propriè dicatur ens naturale, quàm natura: patet ex Philosopho loco citato in Metaphysica, ubi ait: *natura quidem igitur, quod ex his utrisque est, ut animalia.* Ubi Scotus: *nam si natura dicitur de materia, & forma, sequitur quòd illud, quod est ex his utrisque, est quidem natura, id est ens naturale, & habens naturam.*

738. Ex quibus habetur, quòd natura propriè solùm dicitur de materia, & forma; natura, non de materia, & forma, sed de composito ex materia, & forma consurgente; circa naturam verò dicitur accidentia connaturalia composito, vel formæ substantiali, & materiæ. Qui plura de natura desideraverit, authores consulat.

QUÆSTIO SECUNDA,

De violento, & arte.

ARTICULUS PRIMUS,

Quid sit violentum?

739. Violentum ait Philosophus 3. ethicorum cap. 1. *est cujus principium est extra, non conferente viam passo.* Quod ut explicat *Scotus in 4. dist. 43. q. 4. §. respondeo. & 5. Metaph. Aristotelis cap. 5. num. 37.* & aliis in locis: illud absolutè dicitur violentum, & violenter fieri, quod fit contra inclinationem passi, sive susceptivi, ut aquam calefieri v. g. & grave tendere seorsùm, eò præcisè dicitur violentum, quod quia contra inclinationem aquæ, & lapidis, & sic de aliis.

740. Pro cujus definitionis intelligentia nota, quòd prima particula, videlicet, *cujus principium est extra*, denotat, quòd principium activum, sive agens, à quo introducitur forma violenta in passo, est extra ipsum passum non solùm localiter, sed etiam contrariè, quia agens tale, & passum contrariantur, ut ignis v. g. à quo introducitur calor in aqua est extra ipsam aquam localiter, & contrariè, quia ignis aquæ contrariatur; quod si aliquando contingat esse simul localiter ignis, & aqua, hoc est accidentaliter, & non petitum ad naturam violenti.

741. Secunda particula, videlicet *non conferente vim passo*, non sonat præcisè, ut aliqui malè intellexerunt, non conferre inclinationem, nam vis quædam inclinatio est; ita ut illa dicatur violentia solùm penes inclinationem privativè; quia in superficie non datur inclinatio ad colorem, & nihilominus superficies non est violenta sub colore; neque in cœlo datur inclinatio ad motum, & nihilominus violenter est cœlum sub motu, sed ultra negationem inclinationis in passo requiritur positiva renitentia, sive resistentia ex parte passi ad formas, ad hoc ut dicatur violentum passum sub tali forma, ut in lapide v. g. in quo non solùm non datur inclinatio ad esse seorsùm, immò datur positiva renitentia ad seor-

seorsùm elevari, cum appetitu positivo ad esse seorsùm.

742. Pro complemento autem hujus quæsiti, nota, quòd sicut diximus dist. 2. primi libri num. 458. & infra inclusivè, ad hoc quòd aliquid violentum, sive aliqua forma violenta sit alicui subjecto, non est pensanda forma respectu agentis, à quo introducitur, sed præcisè consideranda est in ordine ad subjectum, in quo introducitur, unde etiamsi calor naturaliter, & juxta suam naturam producatur ab igne in aqua, nihilominus dicitur calor violentus aquæ, & sic de aliis, quia violentia præcisè attenditur penès resistentiam, sive renitentiam passi, & non penès agens, à quo introducitur talis forma in tali passo. Alia, quæ de violento solent inquiri, utrùm videlicet Deus possit violentiam inferre voluntati, non imprimendo ipsi voluntati aliquam formam, qua violentetur? Et alia quàm pulchra quæsita ad Theologiam spectant, & sic illuc disputanda omittimus.

ARTICULUS SECUNDUS,

Quid sit ars, & quomodo artificialia à naturalibus distinguantur?

743. ARS sic à Philosopho 8. Ethic. cap. 2. definitur: *est habitus recta ratione factivus*: quod sic alii explicant: *est facultas intellectualis cum vera ratione factiva*: ut v. g. ars pictoris, quæ docet modum, & præbet methodum, qua debet imago depingi, & delineari; ars domus factiva, quæ tradit regulas, & docet modum, quo domus est construenda. Ex quibus apparet, quòd ars est habitus tradens regulas, & præcepta, quibus artificiale quid est construendum.

744. Quo supposito, sive ars accipiatur pro habitu tales regulas, & præcepta præbente, sive pro ipso actu, quo executioni mandatur tale opus artificiale, simpliciter quid imperfectius est natura, & ab illa realiter, & specificè distincta. Probatur quoad utramque partem: ars essentialiter eò quòd habitus, scilicet est quidditas, & accidens, & natura est substantia, ut patet ex supra dictis: Ergo quid imperfectius ars natura, & ab illa essentialiter distincta.

745. Ad secundam partem quæsiti respondendo dico, quod ut ex *Philosopho patet in hoc 2. text. 26. & 1. Ethic. cap. 1. &* 2. de cœlo cap. 5. *ars imitatur naturam*: & sic naturalia, & artificialia multipliciter conveniunt, & multipliciter differunt: primò conveniunt in hoc, quòd sicut natura facit de possibilibus, quod optimum est, sive quod melius est, & hoc semper facere intendit; ita & ars semper intendit quod optimum est in illa linea artis, & semper facit, quantum est ex se, quod perfectum est. Secundò conveniunt in hoc, quòd sicut agens naturale tendit in finem per media proportionata, & semper procedit de imperfecto ad perfectum; ita ars semper eligit media proportionata ad sui finis consequutionem, & semper procedit de imperfecto ad perfectum.

746. Tertiò conveniunt in hoc quòd sicut agens naturale intendit primò, & per se assimilare sibi passum, ut ignis alium ignem producere intendit, homo alium hominem &c.; ita agens artificiale intendit assimilare effectum artificialem exemplari suo,

suo in mente existenti; nam qui vult domum ædificare, priùs facit quoddam idolum, & simulacrum domus, & postea per artem intendit efficere domum extra, juxta suum exemplare, quod habet in mente, & sic de aliis. Quartò conveniunt in hoc, quod sicut in naturalibus contingunt quandoque monstra generari, vel propter defectum virtutis agentis, vel materiæ, vel propter indispositionem materiæ, vel propter aliquam aliam causam impedientem; ita in artificialibus quandoque monstra artificialia efficiuntur, vel propter defectum virtutis habitus artificialis, vel propter indispositionem materiæ, vel propter aliquam impedientem causam. Alias plures convenientias omitto apud authores videndas.

747. Differunt similiter multipliciter, ut videre est in nostro Aretino super 2. Physic. num. 4. imprimis quòd natura non solùm facit rem, sed illi communicat virtutem ad operationem rei, ut quando natura facit hominem, tribuit illi virtutem ad alium hominem generandum, & ad exercendas operationes humanas: at verò ars facit rem mortuam absque virtute operandi, vel aliquid Physicè producendi. Secundò differunt, quòd naturalia habent formam à natura per medias qualitates activas, & passivas; nam forma ignis v. g. introducitur in ligno per caliditatem, & siccitatem, expellendo humiditatem; forma verò artificialis non introducitur per qualitates activas, sed solùm per artem.

748. Tertiò differunt, quòd forma naturalis immediatè introducitur in materia prima, cum qua facit unum ens substantiale completum per se; forma verò artificialis non in materia prima, sed in composito substantiali jam completo introducitur & est illi quid accidentale, & superadditum. Quartò differunt in hoc, quòd forma substantialis residet in toto composito substantiali, & in qualibet parte; forma vero artificialis solùm in partibus superficialibus compositi residet. Alias plures disconvenientias omitto apud authores videndas.

749. Ex his sequitur, quòd illud tritum axioma: *ars perficit naturam*: debet intelligi de perfectione accidentali, & secundùm quid, non verò de perfectione substantiali, quia etiamsi ars perficiat modum saltandi in arte saltatrice sive depingendi in arte pictoria, tamen utriusque motus, sive operatio quoad esse Physicum provenit à natura, quæ est, quæ Physicè influit in talem operationem, sive motum, & ars solùm deservit ad hoc quod sit motus regulatus regulis artis, ut sit artificiosus, non verò ut sit, quia sine arte potest idem numero motus effici, licèt in tali casu non esset talis motus artificiosus, quàm esset motus.

ARTICULUS TERTIUS,

Et ultimus in hac distinctione, utrùm ars possit producere opera naturæ?

750. DIco unicam conclusionem respondendo quæsito: ars non potest efficere formam illam substantialem, neque aliquam accidentalem conservativam, & consequutam ad esse substantiæ, neque aliquam operationem per virtutem intrinsecam & existentem in artificiatis: ita *Scotus expressè in hoc* 2. q. 1. & est ferè communis sententia. Probatur: ars, ut patet ex

ex dictis, est accidens: Ergo nequit producere formam substantialem. Patet; quia quod est inferioris ordinis non valet producere illud, quod altioris ordinis, & perfectionis est. Quoad secundam partem probatur: de formis conservativis, & consequutis ad substantiam, quia forma artificialis est extrinseca, & existens in partibus superficialibus compositi: Ergo nequit esse conservativa substantiæ. Probatur: qui dat primum esse substantiæ, tribuit illi quidquid requiritur ad sui conservationem, ut ait Scotus num. 6. ubi supra. Quoad tertiam partem probatur: quia natura est principium intrinsecum motus: Ergo quod non est natura, nequit esse principium alicujus motus intrinsecum; sed ars non est natura: Ergo &c.

Argumenta contra dicta.

751. PRimò arguitur: domus v. g. fit ab arte domificandi; sed domus est substantia: Ergo substantia, sive forma substantialis potest fieri ab arte. Major probatur: domus fit, & non à natura: Ergo ab arte. Minor probatur: cujus partes sunt substantiales est substantia, sed partes, quibus construitur domus, ligna videlicet, lateres, lapides, terra, & aqua sunt substantiæ: Ergo domus quid substantiale est, & tamen fit ab arte: Ergo aliquid substantiale potest fieri ab arte.

752. Respondeo ad argumentum distinguendo majorem: domus fit ab arte quoad esse artificiatum domus, videlicet, quòd lateres sint in hac parte æquales, & in hac inæquales quoad figuram, sive dispositionem localem, quam servant inter sese, omitto: quoad esse substantiale materiale, nego. Et eadem distinctione ad minorem respondeo, & ad ejus probationem distinguo majorem: cujus partes essentiales sunt substantiales, est substantia, concedo: cujus partes integrales aggregatæ, sive per aggregationem, nego. Nam partes cumuli lapidum sunt substantiæ, & nihilominus ipse cumulus non substantia, sed totum accidentale vocatur, ex eo quòd conjunctio localis ipsarum partium sit lapidibus ipsis accidentalis. Idem dico de domo, cujus partes sunt substantiæ, & tamen conjunctio ipsarum in tali figura, vel dispositione est accidens illis extrinsecum, & ab arte, saltem quoad esse artificiale illarum.

753. Secundò arguitur: butyrum est quid substantiale completum à lacte, ex quo fit, realiter substantialiter distinctum, & tamen butyrum fit ab arte, ut experientia patet: Ergo aliquid substantiale potest fieri ab arte. Item vitrum ut ex se constat alia substantia est à materia, ex qua efficitur: idem dico de metallis, de quibus per artem chimicam fit aurum, vel argentum, ut tenet Albertus Magnus lib. 3. de mineralibus cap. 1. Henricus quodlib. 5. q. 3. Antonius Miranda. Canus lib. 9. de evasione singularis certaminis sect. 7. Zimarra in tract. de differentiis naturæ, & artis, & alium possem afferre domesticum, & peritum testem, tenentque gravissimi alii Doctores: Ergo &c.

754. Respondeo cum *Scoto in hoc 2. q. 1. sub num. 5. §. respondetur: quòd applicatio*

catio aliquorum, quæ faciunt ad formam substantialem, bene est ab arte; sed introductio formæ substantialis sequens illam applicationem est à natura: unde ille motus localis qui est in factione butyri, bene est ab arte; cæterum ipsa forma substantialis butyri est à natura; & idem dico ad 2. & 3. Unde in forma respondeo ad argumentum concedendo majorem, & distinguendo minorem: butyrum fit ab arte, quoad applicationem eorum, quæ requiruntur ad fieri butyri, concedo: quoad ipsam formam substantialem butyri, nego: & idem dico de vitro videlicèt, & metallis.

755. Vel aliter respondeo de metallis, artem chimicam quoad effectum faciendi verum aurum, & argentum, vanam, & dilusoriam esse, neque unquàm verum efficere, sed solùm apparens argentum, quod tenent gravissimi authores, ut Ægidius quodlib. 3. q. 8. pro quo etiam refert Avicennam, Conciliator differentia 209. Cardanus lib. 1. de subtilitate, Pererius lib. 5. de causis cap. 19. Divus Thomas in 2. dist. 7. q. 3. art. 1. Rubius 2. Physic. cap. 1. q. 4. num. 41. & probatur: illud dicitur simpliciter impossibile, quod nunquam potest, vel valuit reduci ad actum; sed effici verum argentum, vel aurum ex metallis nunquam potuit reduci ad actum: Ergo est impossibile. Major ex se patet; minor experimento constat, quòd si ita non est, dicant illi, qui in hac pessima operatione tot labores, vigilias, & sumptus consumpserunt, & si aliquando aliquod aurum apparens efficitur per talem artem in metallis, habet plurimos defectus; primum, quòd vim ignis sustinere non valet, sed ab eo consumitur. Secundum, quòd facilè amittit colorem. Tertium, quòd non est ductibile in tenuissimas laminas, quas proprietates verum aurum habere nullus ignorat. Addo insuper, quòd usus talis artis damnatus est ab Ecclesia in extravaganti *spondent*, in qua etiam venditio talis auri damnatur, & declaratur teneri illud vendentes ad integram restitutionem.

756. Tertiò arguitur: ex sacra scriptura constat Exodi 7. Num. 11. quod Magi Pharaonis per incantationes, & artes magicas fecerunt serpentes non solùm apparentes, sed veras, Physicas, & reales: Ergo per artem potest fieri substantia. Respondeo cum Scoto ubi supra, quòd Magi Pharaonis per adjuvamen dæmonum illas fecerunt, non Physicè influendo in serpentes, sed applicando activa passivis, ex quorum consortio materia disponebatur ad receptionem formæ serpentis, & à natura introducebatur talis forma substantialis.

757. Sed inquires, à quo agente introducta fuit talis forma serpentis? Respondeo, quòd à Deo authore naturæ, & pacto, quod Deus cum natura inivit, quòd quandocumque materia esset disposita, si non sit agens creatum, quod valeat formam introducere, Deus ut author naturæ supplet defectum agentis, & illam formam producit: de quo infra in proprio loco. Qui plura hic desideraverit, authores consulat, & dicta pro hac prima distinctione sint satis.

DISTINCTIO SECUNDA,

De causis in communi, & universali.

POstquàm de natura, arte, & violento egimus, restat nunc Philosophum, & Doctorem subtilem insequentes agere de causis in universali, juxta id, quod in hujus libri secundi procemio promisimus, quapropter sit

QUÆSTIO PRIMA,

Ubi definitio causæ ut sic traditur.

ARTICULUS PRIMUS,

Quid sit causa ut sic? ostenditur.

758. A*Ristoteles lib. de bona fortuna teste Scoto in hoc 2. q. 7. sub num. 2. §. secundò notandum*, sic causam definit: *causa est ad cujus esse sequitur aliud*: quam definitionem etiam affert *Scotus lib. 4. Metaph. Aristotelis cap. 2. summa 2. text. & comm. 3. sub num. 9. §. notandum, quia causa est ad cujus esse sequitur aliud.* Sed *Scotus* tamen aliam affert definitionem in 2. Physic. citato his verbis: *secundò notandum*, quòd causa est propter quod alterum est, scilicet secundum esse, vel secundum fieri, aut conservari, aut secundum aliquam aliam dispositionem.

759. Sed tamen, tam Philosophus, quàm Scotus latissimè assumunt definiendam causam, sic ex doctrina eorum, & ex communi consensu causam definiemus: *causa est principium per se influens esse in aliud.* Prima particula videlicet *principium*, ponitur loco generis, quia licèt omnis causa sit principium, non tamen omne principium est causa, ut optimè notavit *Scotus 5. Metaph. Aristotelis cap. 1. textu, & comm. 5. omnes enim causæ principia sunt*, ait Philosophus ibidem, ubi Scotus, *licèt non eodem modo, nam in plus se habet principium, quàm causa, nam terminus à quo in motu potest esse principium unde motus, non tamen causa.* Per esse ergo principium convenit causa cum aliis principiis, quæ causæ non sunt, videlicet cum privatione, quæ licet principium extrinsecum generationis sit, non tamen est causa; & cum principiis productionum ad intra in divinis, Pater enim est principium Filii divini, & tamen non est causa, & Pater, & Filius principium sunt spirationis activæ, per quam Spiritus Sanctus accipit esse, & causa nullatenùs sunt, neque appellantur.

760. Secunda particula est *influens esse*, per quam denotatur, quòd causa influit in effectum per influxum, sive per suæ virtutis exercitium; influxus enim non est aliud, quàm exercitium virtutis causæ, medio quo causa reducitur de actu primo, ad actum secundum, sive ad esse actualiter causans, & communicat existentiam effectui. Utrum autem talis influxus sit aliquid absolutum, vel respectivum superadditum causæ, medians, vel non medians inter causam, & effectum? infra suo loco patebit. Sed est maximè advertendum, quòd talis influxus non requiritur quòd sit verè Physicus, & realis, sed sufficit, quòd sit, vel realis, qualis est, qui reperitur in causa efficienti, materiali, & formali, vel metaphoricus, qualis est, qui in causa finali, & exemplari reperitur, ut suo loco dicemus.

761. Tertia particula est *in aliud*, per quam denotatur, quòd effectus, qui accipit

pit esse à causa, aliud esse à sua causa, habensque naturam saltem realiter distinctam à sua causa, & ab illa dependens, per quod distinguitur etiam principium productivum in divinis à causa, quia principium divinum producens, Pater v. g. producens Filium, non producit aliud, quia Filius ejusdem naturæ est cum Patre; unde licèt hæc propositio: *Filius est alius à Patre*, concedatur à Theologis, quia Filius realiter distinguitur à Patre propter proprietatem personalem, sive hypostasim; hæc altera tamen: *Filius est aliud à Patre*, nunquam conceditur, immò ut hæretica negatur, quia ly aliud denotat non solum Filium realiter distingui à Patre; sed etiam habere Filium naturam realiter distinctam, quam non habet Pater, quod hæreticum est, cum eadem natura, & essentia, quæ est in Filio, eademmet numero est in Patre, ut fides Catholica docet.

762. Sed hoc est maximè notandum, quòd tradita definitio non est univoca omni causæ, materiali videlicet, & formali, efficienti, finali, & exemplari, cum tres primæ assignatæ sint veræ causæ, Physicæ, & reales, & finalis & exemplaris sint causæ, non reales, sed metaphoricæ, & secundum quid, sive rationis. Unde prædicta definitio prout sub se omnes prædictas causas comprehendit, non est quidditativa, sed potius descriptiva per additamentum, & potius definitio quid nominis, quàm rei explicativa, cum entis realis, & rationis detur nulla ratio univoca. Et hæc pro hac de causis ut sic dicta sint satis, qui plura desideraverit, authores consulat.

ARTICULUS SECUNDUS,

Ubi traditur divisio causæ ut sic in sua inferiora.

763. Omissis antiquorum Philosophorum deliriis, qui jam infinitas esse causas ajebant, jam unam, jam plures sive multiplices. Dico unicam conclusionē cum *Aristotele in hoc 2. tract. 3. text. 28. & 31. & cum nostro subtili Scoto in hoc etiam 2. q. 7. num. 4.* causa ut sic dividitur, licèt æquivocè, in materialem, formalem, efficientem, & finalem, ita ut nulla causa sit, quæ ad aliquam ex enumeratis non pertineat, vel reducatur; ita expressè *Philosophus*, loco citato, *& 5. Metaph. cap. 2. text. & comm. 13. num. 12. omnes verò causæ dictæ in quatuor cadunt modos manifestissimos.* Et Doctor subtilis loco citato: *causa sufficienter dividitur in quatuor genera causarum ad istum sensum* &c., est communis Philosophorum consensus.

764. Probatur ergo sic breviter conclusio fundamento, quo eam probat Scotus ubi supra: quia omnis effectus naturalis, hoc est, omne compositum est ab aliquo tanquàm à causa, & sic est sufficiens, à quo est, sive producitur; & est ex aliquo, sive de aliquo, & sic est materia, ex qua componitur, & est in determinata specie per aliud, & sic est forma, sive causa formalis, quæ dat composito speciem, & est propter aliud, & sic est finis, propter quem compositum generatur, & præter has nulla alia est causa, à qua accipiat compositum esse: Ergo causa ut sic sufficienter dividitur in materialem, formalem, efficientem, & finalem. Circa hanc nostram conclusionem fere nulla est com-

controversia, & si aliqua est, illam apud authores videndam omitto.

QUÆSTIO SECUNDA,

Utrum omnis causa sit prior aliqua prioritate suo effectu, & quæ sit hæc?

765. POstquàm de quidditate, & natura causæ ut sic egimus in præcedenti quæstione, nec non & de ejus divisione, restat nunc agere de conditionibus requisitis ex parte causæ ad causandum, & cùm inter omnes præcipua sit prioritas, quæ requiritur, qua causa sit suo effectu prior, meritò de illa hîc disputare decrevi, an sit & qualis sit?

ARTICULUS SECUNDUS,

In quo statuitur necessario omnem causam esse suo effectu priorem, & quæ talis prioritas sit, ostenditur.

766. PRO quæsiti intelligentia est primò notandum, quòd multipliciter potest dici unum prius alio secundùm multiplicem prioritatem, quæ reperitur in rebus: prima prioritas est dignitatis, sive perfectionis, secundùm quam illud dicitur prius alio, quod est perfectioris naturæ, sive entitatis, etiamsi in existentia sit posterius quid, ut Franciscus v. g. est prior dignitate leone, vel equo, etiamsi leo, vel equus prius Francisco existant.

767. Secunda prioritas vocatur prioritas subsistendi consequentia, unde illud Logicorum tritum axioma traxit originem, videlicet illud est prius, à quo non valet subsistendi consequentia, ut est ignis: Ergo est calidum, bene valet, non tamen è contra: est calidum: Ergo est ignis, non valet: & hæc potissimè invenitur inter prædicata communia, & particularia, inter quæ de affirmatione particularis bene infertur affirmatio prædicati communis, non tamen è contra, ut est homo: Ergo est animal, non tamen è contra; unde animal est prius hac prioritate subsistendi homine; cæterùm pro hac prioritate est maximè notandum, quòd non semper illud, quod est prius secundùm subsistendi consequentiam, est prius etiam secundùm existentiam, sive secundùm durationem, immò aliquando est posterius, ut v. g. est ignis: Ergo est calidus, bene valet, & non è contra, & tamen esse calidum est igne posterius in existentia, utpotè effectus ab igne proveniens. Vide Scotum in 1. dist. 7. q. 1. §. ad aliud. v. cum igitur. num. 24.

768. Tertia prioritas est prioritas existendi, secundùm quam illud dicitur alio prius, quod prius existit ipso; & hæc est in triplici differentia; alia est prioritas temporis, alia naturæ, alia originis. Prioritas temporis, quæ etiam prioritas in *quo* dici consuevit, est illa, quæ invenitur inter illa, quorum unum potest esse pro aliqua duratione sine alio ut v. g. Petrus, qui est hodie, est prior tempore Paulo, qui cràs erit. Cæterum hîc est maximè notandum, quòd unum dicatur prius tempore alio, non requiritur, quòd sit actualiter pro aliqua duratione, sive existentia sine illo alio, sed sat est, quòd attenta sua natura valeat sine illo alio posteriori esse; unde licèt substantia in eodem instanti temporis generetur, in quo sua accidentia generantur, sive producuntur, nihilominus dicitur substantia prior tempore

re accidentibus, quia attenta sua natura valebat substantia pro aliquo tempore esse, & durari sine accidentibus. Vide *Scotum in 2. dist. 3. q. 4. §. contra istam conclusionem num. 6. & dist. 1. q. 3. num. 19. & in dist. 28. q. 3. num.* 8. & aliis in locis.

769. Prioritas naturæ est, quæ datur inter illa, quorum unum necessariò supponitur ad esse alterius, ut v.g. essentia, quæ necessariò supponitur ad passionem inesse existentiæ, prius enim est, quòd homo v. g. sit, quàm quòd risibilis sit, & universaliter datur prioritas hæc naturæ inter illa, quorum unum dependet ab alio in aliquo genere, unde illud à quo aliquid dependet, dicitur prius natura suo dependente, & illud tale, quod dependet, posterius dicitur illo, à quo dependet, etiamsi utrumque in eodem temporis instanti existat, & sic hæc prioritas communiter appellatur prioritas dependentiæ, sive prioritas à quo.

770. Prioritas originis est illa, quæ datur inter illa, quorum unum originatur ab alio, etsi ab illo non dependeat, quæ prioritas datur inter Patrem, & Filium in divinis; Pater enim est prior origine Filio, eò quòd Filius à Patre originatur, & Filius, & Pater sunt priores origine Spiritu Sancto, eò quòd Spiritus Sanctus ab utroque trahat originem, etiamsi Pater, & Filius sint simul in eodem temporis, & naturæ instanti: & hæc prioritas originis, licèt sit realis ante omnem operationem intellectus, & tamen minor quacumque alia prioritate reali, & solùm in divinis reperitur inter divinas personas, & fortè inter attributa divina, & divinam essentiam.

771. Sed hîc est maximè notandum, quòd licèt prioritas originis, & naturæ soleant communiter explicari per prioritatē à *quo*, ad distinctionem prioritatis in *quo*, quæ est prioritas durationis ut dixi; tamen non coincidunt, ita ut idem sit prioritas à *quo*, ac prioritas originis, sive naturæ; quia prioritas à quo datur præcipuè inter illa, quorum unum ab alio dependet, ut dixi num. 768. at verò prioritas originis inter illa, quorum unum ab alio non dependet, immò sibi ex natura sua repugnat dependentia; & sic solùm inter divinas Personas, & essentiam, & attributa reperitur, inter quæ omnis dependentia secluditur, eò quòd dependere sit imperfectio repugnans divinæ perfectioni. Et has omnes prioritates, & posterioritates debetis maximè notare, tam ad ea, quæ hîc sunt dicenda, quàm ad alia plura intelligenda ex Philosophia, & ex Sacra Scriptura.

772. Secundò est notandum, quòd ad hoc, quòd unum prius formaliter, & actualiter dicatur alio, necesse est, quòd sint simul illud unum, & illud aliud; & ratio est clara, quia prius, & posterius formaliter sunt correlativa, & sic non potest esse unum sine alio; sicut pater formaliter est relativum quid, quod non potest intelligi, neque esse sine filio, neque è contra filius formaliter sine patre; at verò ut unum dicatur prius alio fundamentaliter, requiritur quòd in illo priori, in quo est, sive intelligitur prius, non sit posterius, quia ideo prius denominatur, quia est sine suo posteriori.

773. Tertiò est notandum, quòd hoc nomen *causa*, ut optimè insinuavit *Scotus in hoc 2. q. 7. num. 3. & 4.* est nomen relativum, & concretum, dicens pro formali

 ordi-

ordinem, ſive reſpectum ad ſuum effectum, tanquàm ad ſuum correlativum, & pro materiali virtutem abſolutam, per quam cauſa eſt potens producere ſuum effectum, & ſic poteſt conſiderari, primò pro formali, & prout cauſa reduplicativè eſt, & in hoc ſenſu nullum eſt dubium, quòd cauſa non ſit prior ſuo effectu, cùm neceſſariò illa relatio, quam importat cauſa ad effectum, ſupponat effectum jam productum, ad quem terminetur. Secundò pro materiali, pro illa virtute abſoluta, à qua producitur effectus; & in hac ſecunda acceptione dubitatur, utrùm cauſa ſecundùm eſſe abſolutum cauſæ ſit prior ſuo effectu?

774. Quartò eſt notandum, quòd cauſa adhuc poteſt dupliciter conſiderari: primò ſecundùm eſſe abſolutum cauſativum, quod habet in actu primo, quatenùs potens eſt cauſare, & producere effectum. Secundò prout actualiter cauſans, influens, & dans eſſe effectui in actu ſecundo; & in utraque conſideratione de cauſa procedit quæſtio.

775. Sit ergo prima concluſio: prima prioritate omiſſa, videlicet perfectionis, & dignitatis, de qua articulo ſequenti, cauſa tam in actu primo, quàm in actu ſecundo conſiderata, non prout cauſa reduplicativè, ſed ſpecificativè ſecundùm eſſe abſolutum cauſæ eſt prior prioritate ſubſiſtendi conſequentia ſuo effectu. Probatur: illud eſt in hac acceptione prius, à quo non valet ſubſiſtendi conſequentia; ſed bene valet: eſt effectus: Ergo eſt cauſa, non tamen è contra: eſt cauſa: Ergo effectus: Ergo cauſa prior eſt ſuo effectu. Major eſt per ſe nota, minor verò probatur; quia poteſt eſſe cauſa in rerum natura exiſtens, ſine eo quòd ſit effectus, ut patet de Nicolao Scholaſtico egregio, qui poteſt habere filium, & illum non habet; Ergo &c.

776. Sit ſecunda concluſio: cauſa ſecundùm eſſe abſolutum ſui, & in actu primo conſiderata poteſt eſſe prior prioritate in *quo*, ſive prioritate temporis ſuo effectu, licèt eſſe cauſam hac prioritate priorem non ſit per ſe petitum ab intrinſeco cauſæ. Probatur quoad primam partem, quia ignis *A*, v.g. qui modò exiſtit, poteſt producere cras ignem *B*, & nihilominus illum non producit nunc, & ſic de Petro, qui poteſt cras filios generare, & de aliis: Ergo cauſæ ſecundùm eſſe abſolutum poteſt eſſe prior tempore ſuo effectu.

777. Quoad ſecundam partem probatur: quia dantur aliquæ cauſæ, quæ in eodem inſtanti temporis, in quo ſunt, habent virtutem cauſativam ſuorum effectuum, & valent illos producere, niſi impediantur: Ergo ad hoc, quòd cauſa poſſit cauſare actualiter, non requiritur, quòd præcedat tempore ſuum effectum. Antecedens probatur: quia in eodem inſtanti, in quo eſt ſol, eſt etiam lux, ab illo tanquam effectus procedens, & in eodem inſtanti, quo eſt ignis, valet alium ignem producere, & de facto producit calorem in ſe ipſo, & in eodem inſtanti, in quo eſt ſubſtantia corporea producit quantitatem ſibi connaturalem, & ſic de aliis: Ergo &c.

778. Sit tertia concluſio: omnis cauſa in actu primo conſiderata & prout potens eſt producere effectum, neceſſariò debet eſſe prior in eſſe exiſtentiali prioritate à *quo*, ſive

ſive naturæ ſuo effectu. Hæc concluſio eſt contra Divum Thomam in 3. part. Medinam, Cajetanum, & alios. Probatur primo ex *Philoſopho*, qui 4. *Metaph. text.* 16. quaſi admirativè ait: *illa, quæ non ſunt, quomodo loquentur, aut ambulabunt? Secundò ex Scoto in 2. diſt.* 12. *q.* 1. *num.* 11. poteſtque probari concluſio ferè omnibus rationibus, quibus ſupra diſt. 2. de materia prima à num. 348. uſque ad 360. probavimus materiam primam, eò quòd cauſa compoſiti, debere exiſtere exiſtentia propria ante compoſitum, & formam.

779. Probatur ratione: omnis actus ſecundus neceſſariò ſupponit in aliquo priori ſaltem naturæ actum primum: Ergo actualiter cauſare, quod eſt actus ſecundus cauſæ, neceſſariò ſupponit in aliquo priori reali, & exiſtentiali actum primum, ſive poſſe cauſare. Antecedens probatur: omnis actus ſecundus dependet Phyſicè, & realiter ab actu primo: Ergo poſſe cauſare in cauſa, quod eſt actus primus, ſupponitur realiter ad actualem cauſationem, ſive actum ſecundum. Probatur conſequentia: illud à quo aliquid Phyſicè, & actualiter dependet, terminat dependentiam realem ſui dependentis; ſed quod non eſt, nequit terminare dependentiam illius, quod eſt: Ergo neceſſariò cauſa ſupponitur in eſſe exiſtentiali aliqua prioritate ſuo effectu, qui ab illa dependet. Et roboratur, quia bene valet: cauſa cauſat: Ergo poteſt cauſare, non tamen è contra: poſſe cauſare neceſſariò ſupponitur ad actualiter cauſare. Patet conſequentia; quia illud eſt prius, à quo non valet ſubſiſtendi conſequentia: Ergo &c.

780. Et confirmatur: eſſe neceſſariò ſupponitur ad operari: Ergo eſſe in cauſa neceſſariò ſupponitur ad cauſare, ſive operari ejuſdem cauſæ. Antecedens probatur: operari dependet ab eſſe: Ergo eſſe ſupponitur ad operari. Et confirmatur: eſſe pertinet ad lineam quidditandi, operari verò ad lineam accidentis; ſed quidditas, & ſubſtantia prior eſt quocumque accidenti: Ergo &c.

781. Sit quarta concluſio: cauſa in actu ſecundo conſiderata, & prout actualiter cauſans, etiam eſt ſuo effectu prior: eſt contra aliquos Scotiſtas: cauſa actualiter cauſans dat eſſe effectui; ſed quod dat eſſe alteri eſt prius illo: Ergo etiam cauſa prout cauſans eſt prior ſuo effectu. Secundò probatur: effectus prout terminat actionem ſuæ cauſæ dependet à ſua cauſa: Ergo eſt ſua cauſa poſterior: poteſtque probari rationibus ſupra factis concluſione præcedenti. Et roboratur: Pater in divinis conſtituitur in eſſe Patris per actionem generativam, qua producit actualiter Filium, & nihilominus Pater prout Pater, & generans eſt prior Filio: ita *Scotus in* 1. *diſt.* 7. *q.* 1. *num.* 24. Ergo &c.

782. Ex dictis ſequitur, quòd omnis cauſa Phyſica (cauſa finali ſecluſa, quæ ſolùm cauſa metaphorica eſt, ut infra ſuo videbimus loco) tam materialis, quàm formalis, & efficiens neceſſariò debet eſſe prior ſuo effectu, ita ut implicet contradictionem intelligere effectum alicujus cauſæ, quin per prius intelligatur cauſa, à quo procedit talis effectus.

783. Sit quinta concluſio: omnis cauſa Phyſica, quæcumque ſit, realiter diſtinguitur à ſuo effectu. Probatur: etiamſi apud omnes tanquàm primum principium

ſit: eò quòd unum producatur realiter ab alio, neceſſariò eſt unum, & aliud; ſed ubi eſt unum, & aliud, datur diſtinctio realis: Ergo inter cauſam, & effectum datur diſtinctio realis. Præterea: cauſa dicit relationem realem prædicamentalem ad ſuum effectum, videlicet cauſæ ad cauſatum; ſed relatio prædicamentalis realis non datur, niſi inter extrema realiter diſtincta: Ergo &c.

784. Ex qua deducitur, & ſit ſexta concluſio: quòd cauſa non poteſt ſeipſam cauſare, ut falsò exiſtimaverunt aliqui. Probatur: ad hoc quod cauſa cauſet debet prius habere eſſe, ut probavimus, & effectus, qui eſt producendus, debet non habere eſſe, antequàm producatur; ſed habere eſſe, & non habere eſſe implicat contradictionem: Ergo implicat contradictionem cauſam non eſſe à ſuo effectu diſtinctam, ſive eſſe idem cauſam, & effectum. Et roboratur: effectus dependet in ſuo eſſe à ſua cauſa; ſed idem à ſeipſo non dependet: Ergo &c. Item: per idem medium, quod dependet ab alio in eſſendo ſupponit illud aliud, à quo dependet; ſed effectus in eſſendo dependet à cauſa: Ergo effectus in eſſendo ſupponit cauſam: Ergo neceſſariò effectus non eſt cauſa, ſed aliud realiter à cauſa. Alias rationes omitto apud authores videndas.

785. Sed contra noſtram concluſionem aliis argumentis minoris notæ omiſſis, unicum argumentum proponam, quod tale eſt; de fide certum, & indubitatum eſt virtute meritorum Chriſti, videlicet crucifixionis, vapulationis, opprobriorum, ſufferentiæ &c., nobis Deum conferre gratiam, quando illam largitur, qua & à peccatis mundamur, & Filii Dei denominamur, & ſumus; ſed merita Chriſti non habent eſſe actuale, nunc quando gratia confertur, non enim nunc Chriſtus actualiter flagellatur, ſpuitur, nec ſpinis coronatur: Ergo à cauſa non exiſtente poteſt actualiter cauſari aliquis effectus Phyſicus, & realis, qualis eſt forma: Ergo non neceſſariò debet ſupponi cauſa ad fieri effectus in exiſtentia reali.

786. Reſpondeo diſtinguendo antecedens: de fide credendum eſt virtute meritorum Chriſti Deum nobis conferre gratiam, ita ut merita Chriſti ſint cauſa Phyſica Phyſicè influens in gratiam, nego: virtute meritorum Chriſti, tanquam virtute cauſæ moralis, & meritoria, concedo majorem. Ad minorem diſtinguo: quando gratia nobis donatur, non exiſtunt actualiter merita Chriſti exiſtentia Phyſica, & reali, concedo: exiſtentia morali, nego: & diſtinguo conſequens: Ergo à cauſa non exiſtente poteſt cauſari effectus Phyſicus, & realis Phyſicè, nego: meritoriè, ſive moraliter, concedo. Ex quo nihil contra nos, quia nos ſolùm agimus hîc de cauſa Phyſica, & de hac aſſerimus neceſſariò debere ſupponi ad ſuum effectum, qui ab illa Phyſicè dependet, non verò de cauſa morali, qualis eſt meritum Chriſti.

787. Pro cujus intelligentia nota, quòd cauſa Phyſica eſt illa, à qua producitur Phyſicè effectus per verum Phyſicum, & realem influxum, ut ignis, qui alium cauſat ignem per virtutem Phyſicam cauſativam, quam habet medio aliquo Phyſico influxu, ſive actione; at verò cauſa moralis eſt illa, quæ non Phyſicè, ſed moraliter cauſat effectum, hoc eſt meritoriè, deprecatoriè,

ſive obſecratoriè ut v. g. miles, qui propter aſſiduos labores ſtrenuè exercitos in bello vexillo condecoratur, ſive ſigno ducis; & hujuſmodi cauſæ ſunt merita Chriſti, quæ ob ſuam penè infinitatem nobis meruerunt gratiam, quam Deus Phyſicè producit in anima, & etiam ſacramenta, quæ cauſæ nuncupantur gratiæ non Phyſicæ, ſed morales, cauſant enim virtute meritorum Chriſti.

ARTICULUS SECUNDUS,

Utrum cauſa ſit prior dignitate, ſeu perfectione ſuo effectu?

788. QUærit titulus, an omnis cauſa ſit ſuo effectu prior in perfectione, hoc eſt, magis perfecta, quàm effectus? Pro cujus intelligentia nota, quòd effectus poteſt comparari cum omnibus ſuis cauſis in perfectione, tam extrinſecis, quàm intrinſecis, vel cum cauſis intrinſecis, & non cum extrinſecis, vel cum extrinſecis, nulla facta comparatione ad cauſas intrinſecas, & hoc disjunctim, & collectivè. Quo ſuppoſito de effectu in comparatione ad cauſam quamlibet diviſim agemus, & poſtea de effectu cum omnibus collectivè, eò latè ſermonem inſtituemus, quapropter ſit

789. Prima concluſio: effectus Phyſicus ſubſtantialis perfectior ſimpliciter eſt quacumque cauſa intrinſeca ſui diviſim accepta, v. g. compoſitum ignis eſt abſolutè perfectior materia ignis ſecundùm ſe, & etiam forma ſecundùm ſe conſiderata: in hac concluſione nulla eſt controverſia, etiam cum Thomiſtis. Probatur: quidquid includit perfectionem alterius, & aliquam aliam, eſt illo perfectius; ſed compoſitum includit perfectionem materiæ, & perfectionem formæ: Ergo eſt perfectius forma, & materia diviſim.

790. Sit ſecunda concluſio: effectus Phyſicus ſubſtantialis, compoſitum videlicet, ſi comparatur cum ſuis cauſis intrinſecis collectivè ſumptis, cum materia videlicet, & formâ unitis, adhuc eſt ſimpliciter perfectius materia, & forma unitis, quæ ſunt ſua cauſa adæquata intrinſeca. Hæc concluſio eſt contra aliquos Scotiſtas, & præcipuè contra Fuentes in 2. Phyſic. q. 2. diffic. 2. art. 1. num. 9. Probatur: illud eſt perfectius alio, & nobilius, quod ſecundùm ſe, & ſua natura attenta habet perfectiorem modum eſſendi, ſive exiſtendi; ſed compoſitum ſubſtantiale habet perfectiorem modum exiſtendi, ſive eſſendi, quàm materia, & forma, etiam prout unitæ: Ergo compoſitum ſubſtantiale eſt ſimpliciter perfectius, & nobilius materia, & forma prout unitis. Major ex ſe patet; perfectius enim eſſe perfectiorem modum eſſendi, ſive exiſtendi expoſtulat: minor verò probatur: compoſitum eſt quid completum in genere entis, per ſe exiſtens, & ſubſiſtens; materia, & forma prout unitæ etiam ſunt quid incompletum in genere entis per ſe, & ex ſe ordinatæ ad conſtitutionem alterius, nempè compoſiti, & non ſubſiſtunt per ſe, ſed ſubſiſtunt ſubſiſtentia compoſiti, quod enim exiſtit in alio non ſubſiſtit per ſe, ſed illius, in quo exiſtit, ſubſiſtentia ſubſiſtit: Ergo compoſitum perfectiorem modum eſſendi, & exiſtendi habet, quàm mate-

ria, & forma, etiam prout unitæ: Ergo est illis perfectius.

791. Sit tertia conclusio: effectus comparatus ad causam efficientem univocam, & totalem est æqualis perfectionis cum sua causa. Pro hujus dicti intelligentia nota, quòd causa efficiens est in duplici differentia; alia univoca, æquivoca alia, & æquivoca partialis, alia totalis: causa univoca est, quæ producit effectum ejusdem rationis specificæ cum ipsa causa, ut ignis, qui alium ignem producit, homo alium hominem &c. Probatur nunc conclusio: causa univoca est illa, quæ producit effectum ejusdem speciei cum illa causa; sed inter illa, quæ sunt specie distincta non datur majoritas perfectionis in uno, nec in altero: Ergo &c.

792. Pro quarta conclusione nota, quòd causa efficiens æquivoca est illa, quæ producit effectum alterius speciei, ac est causa; ita *Scotus expressè in 4. dist. 12. q. 3. §. contra hoc*: in hoc nulla est controversia. Nunc ponitur ista conclusio: causa æquivoca totalis semper est majoris perfectionis, ac est effectus: probatur: non potest esse minoris perfectionis, quia causa efficiens nequit influere in perfectiorem effectum; & ratio est clara, quia tota perfectio effectus est à causa: Ergo ille excessus perfectionis, qui relucet in perfectiori effectu, nequit esse à causa, quæ non habet talem perfectionem eminenter, nec formaliter, nemo enim dat alteri, quod in se non habet, & cùm non sit alia causa, cùm supponamus, quòd causa, à qua accipit esse effectus, sit totalis, qua possit ille excessus perfectionis participari; inde fit, quòd implicet, quòd effectus sit à causa efficiente imperfectiori; neque effectus totalis causæ æquivocæ potest esse ejusdem perfectionis cum causa, quia implicat, quod causa, & effectus alterius sint speciei, & quòd sint æquales in perfectione; implicant enim in natura duæ species æquales: Ergo necessariò debet esse causa æquivoca perfectior suo effectu totali.

793. Sit quinta conclusio: causa æquivoca partialis multoties est imperfectior suo effectu, & multoties perfectior; exemplum primum comprobatur in omni opinione: species impressa est causa æquivoca actus intellectus, qui dicitur notitia, & est partialis, quia ut ait Augustinus 1. de Trinitate 7. *ab objecto, & potentia paritur notitia*; & tamen actus intellectus est absolutè majoris perfectionis, quàm species impressa; actus quicumque, qui producitur ab habitibus, tanquàm à causis partialibus æquivocis est perfectior ipsis habitibus, quia actus vitales sunt, habitus verò minimè, & sic de aliis. Secundum etiam patet: substantia est causa æquivoca, & partialis, in quantum objectum, actus intellectus, sive actuum potentiarum naturalium, & est illis perfectior; Sol est causa æquivoca partialis metallorum, & vermis, qui ex putrefactione generatur, & est illis perfectior; Deus est causa æquivoca partialis hominis, & cunctarum creaturarum, quæ simul ab agente creato, & à Deo producuntur, & tamen est illis perfectior.

794. Sit sexta conclusio: causa finalis, quæ ex natura rei est finis, ad quem ordinatur effectus, semper est perfectior suo effectu; patet in Deo, qui est cunctarum creaturarum finis ex natura rei, & est creaturis omni-

omnibus infinitè perfectior; patet etiam in fine creato, qui est ex natura rei finis, ut gloria, sive honor Dei accidentalis, id est, ut Deus glorificetur, & honorificetur ab hominibus, quod quid Deo accidentale est, est finis, quare eleemosyna datur, si fiat rectè ordinata, quare injuriis veniam damus &c., sive acquisitio beatitudinis formalis est finis, quare Martyres torturas, & cruciamenta sustinent, & alia hujusmodi, in quibus honor Dei, & ipsa beatitudo formalis hominis est quid pretiosius torturis, cruciatibus, eleemosyna, jejuniis &c. *non enim sunt condignæ* (ut ait Paulus) *passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur &c.* Probatur etiam ratione; quia propter quod unumquodque tale, & illud magis; sed ea, quæ ordinantur ad finem ex natura rei, fiunt, sunt, & eliguntur propter finem: Ergo potiori jure ipse finis erit nobilior, & eligibilior, ac perfectior.

795. Sit septima conclusio: si finis, sive causa finalis non sit finis ex natura rei, sed ex placito, & voluntate ordinantis illud medium, sive effectum in talem finem, multoties media, & effectus sunt perfectiora ipso fine, ad quem ordinantur, ut v.g. qui dat eleemosynam propter vanam gloriam, ordinat eleemosynam, quæ ex se quid bonum, & honestum est ad vanam gloriam, tamquam ad finem, quæ quidem vana gloria mala est, & vitiosa; qui visitat templum Dei, ut videat mulierem, & ibi cum ea sermocinetur lenocinium, sive ad solicitationem turpem inducat, & alia quàm plura.

Argumenta contra dicta.

796. Omissis argumentis, quæ contra alias nostras conclusiones possunt objici, utpotè minoris notæ, & momenti, sic contra nostram conclusionem insurgo, in qua assero totum Physicum cum materia, & forma unitis comparatum esse illis perfectius quid: & est argumentum validissimum, cujus solutionem, vellem à mecum in hac conclusione sentientibus audire, sed forsitan illius vim effugientes uni illud silentio tradunt, alii in contrariam effugiunt sententiam, quod tale est: causa adæquata cujuscumque generis sit alicujus effectus nequit excedi in perfectione ab ipso effectu; materia, & forma unitæ sunt causa adæquata compositi: Ergo materia, & forma unitæ non possunt superari in perfectione à composito.

797. Majorem probo ex dictis num. 792. hujus articuli: omnis perfectio, quæ relucet in effectu est participata à causa, quæ dedit esse totaliter effectui, patet, quia cujus est dare esse, est dare perfectionem illius esse; sed nemo dat, quod non habet: Ergo causa adæquata cujuscumque generis sit alicujus effectus, nequit excedi in perfectione ab ipso effectu.

798. Hoc ipsum probatur, & claritatis gratia suppono, quòd compositum sit perfectius materia, & forma unitis in perfectione *A*, quæ est in composito, & non in materia, & forma unitis: quotiescumque enim unum est alio perfectius, est propter aliquam perfectionem, quæ est in illo uno, & non est in illo alio: tunc interrogo, ista perfectio *A*, quæ est in composito, & non est

est in partibus, in materia videlicet, & forma unitis, à quo fuit participata, hoc est, à quo compositum participat illam perfectionem *A*? Non à sua causa adæquata, materia videlicet, & forma unitis, quia supponitur talem perfectionem in illis non esse: Ergo erit perfectio à se, & divina, siquidem non est ab alio participata, quod implicat: Ergo &c. Ne hoc dicatur, necesse est fateri materiam, & formam esse æqualis perfectionis cum composito. Minor primi syllogismi est per se nota, consequentia legitima: ergo intentum.

799. Respondeo ad argumentum dupliciter, primò distinguendo majorem: causa adæquata efficiens nequit excedi in perfectione à suo effectu, concedo majorem: causa adæquata materialis, & formalis, sive quæ ex materiali, & formali consurgit, nequit excedi in perfectione ab effectu, nego majorem: & ratio est conspicua; quia cùm talis causa non sit una in genere entis, materia enim, & forma unitæ non sunt aliquod unum ens, sed duæ entitates partiales cum unione, & ita sicut totum, quod est unum per se, excedit in perfectione quamlibet seorsim, quia quælibet quid incompletum in genere entis est, ita excedit utramque conjunctim ob eandem rationem. Causa verò efficiens totalis univoca, cùm effectum producat, qui est ens per se, sicut est sua causa, & ejusdem speciei cum illa; inde fit, quòd causa efficiens univoca totalis non possit excedi à suo effectu in perfectione, bene tamen causa totalis intrinseca, quia talis causa ideo totalis dicitur, quia non admittit consortium alterius intrinsecæ causæ, non verò quia aliquid unum totale sit in genere entis.

800. Ad confirmationem verò respondeo, quòd verum est, quòd omnis perfectio, quæ in effectu relucet, est à causa, & ab illa participata, sed non inde infertur, quòd omnis perfectio, quæ relucet formaliter in effectu, sit etiam formaliter & in causa, sed sat est, quòd sit in causa virtualiter; sed hoc etiam est intelligendum de causa efficiente extrinseca, non verò de causis intrinsecis, qualis est materia, & forma, immò necessarium est, quòd in harum causarum effectu sit aliqua perfectio, quæ non sit in suis intrinsecis causis; & ratio est clara in via Scoti, quia cùm compositum ex à nobis dictis dist. 6. primi libri q. 1. art. 2. num. 672. sit aliud realiter à suis partibus simul sumptis, & unitis, & aliàs includat ipsas partes, necesse est, quòd compositum includat perfectiones partium, quas includit, & habeat aliquam aliam, aliàs non esset compositum à partibus distinctum. Ad illud, quod addit argumentum, quòd talis perfectio reperta in toto, & non in partibus, neque ab illis participata, esset à se & Divina, nego: plura enim illi deficiunt ad hoc quòd divina sit, nempè quòd totum non dependeret à partibus, neque ab efficiente, neque à fine &c.

801. Secundò respondeo concedendo majorem, & distinguendo minorem: materia, & forma unitæ sunt adæquata causa intrinseca compositi, concedo minorem: adæquata in omni genere, nego. Unde nego consequentiam: licèt enim effectus non potest superare perfectionem suæ causæ adæquatæ, bene tamen effectus potest excedere perfectionem

nem causarum intrinsecarum; & ratio est clara, quia ad compositum generandum non solùm materia, & forma concurrunt, verum etiam causa efficiens extrinseca, & finalis, & sic potest esse aliqua perfectio in composito, quæ licèt non correspondeat causis intrinsecis, quia ab illis non habet compositum perfectionem talem, correspondet tamen causæ efficienti, & quando effectus comparatur ad causam, non solùm debet comparari ad causas intrinsecas, sed etiam ad causas extrinsecas, ad hoc ut dicatur, quòd non potest excedere perfectionem suæ causæ totalis, quæ ex intrinsecis, & extrinsecis causis consurgit. Utraque potest sustineri solutio, sed prima conformior menti Scoti videtur, quam malueritis, eligite.

802. Secundò insurgo contra tertiam conclusionem, in qua asserimus, quòd effectus comparatus ad causam efficientem univocam, & totalem est æqualis perfectionis cum sua causa; primò: quia Christus fuit verè generatus univocè à Matre, & tamen est perfectior simpliciter matre: Ergo &c. Secundò: inter illa, quæ sunt ejusdem speciei potest esse majoritas perfectionis in uno, ac in alio: Ergo ruit fundamentum. Probo: Christus fuit homo ejusdem speciei cum Juda, habuit enim eadem essentialia prædicata, & tamen simpliciter perfectior est Juda: Ergo &c. Insuper calor ut unum est ejusdem speciei cum calore ut octo, & tamen calor ut octo est perfectior calore ut duo: Ergo &c. Respondeo, quòd in Physicis Christus non est Matre perfectior, neque Juda, etiamsi moraliter, & quoad esse supernaturale, quod habet, perfectior sit. De calore dico, quòd ignis ut octo est perfectior secundùm esse graduale, non secundùm esse specificum, quæ gradualis perfectio dicitur materialis, ad distinctionem perfectionis specificæ, quæ est formalis, eò quòd species sit forma totius essentialis. Aliæ minoris notæ argumenta omitto apud authores videnda.

QUÆSTIO TERTIA,

De ordine perfectionis, & existentiæ, quem servant causæ inter sese comparatæ.

EXplicatis jam articulis præcedentibus, & quæstione ordine prioritatis, perfectionis, & existentiæ, quem servant causæ cum suis comparatæ effectibus; restat nunc eosdem ordines explicare comparando causas inter sese; quapropter sit

ARTICULUS UNICUS,

Ubi ostenditur, quæ causa sit prior alia, tam prioritate existentiæ, quàm perfectionis.

803. SIT prima conclusio: facta comparatione omnium causarum inter sese quoad esse existentiæ, prima, quæ existit, est causa finalis, & hoc sive talis causa existat existentia Physica, & reali, sive existentia intentionali, & in esse apprehenso; secunda, quæ existit post finalem, est efficiens; tertia est materia; & quarta deniq; forma. Ita communiter omnes Scotistæ, qui materiæ, & for-

& formæ existentiam distinctam ab existentia compositi concedunt.

804. Probatur conclusio: ex prioritate in causando alicujus causæ bene infertur prioritas in essendo; sed in causando causæ servant ordinem à nobis assignatum, ita ut finis priùs causet, movendo agens, sive efficiens, & efficiens prius disponit materiam, ad hoc ut illam recipere valeat, & cum illa unitur ad causandum compositum: tertiò, quòd sit materia ex cujus causalitate, sive potentia educatur forma; & quartò denique forma, quæ perficiat materiam: Ergo hunc eundem ordinem servant causæ in existendo. Major probatur: quia ad hoc quòd aliqua causa causet, actualiter requiritur, quòd in illo signo, in quo causat, sit existens: Ergo ex prioritate in causando rectè infertur prioritas in essendo.

805. Et confirmatur: causa, quæ movet alias ad causandum, sive operandum, priùs causat, quàm illæ, cùm illa non mota ab alia causet, & faciat, ut aliæ causæ causent; sed finis est causa non mota, & quæ movet alias ad causandum, omnes enim causæ propter finem causant, finis verò propter seipsum: Ergo finis est prior in causando: materia propria virtute nequit se formæ unire ad causandum: Ergo debet præsupponere efficiens, sive agens, cujus virtute uniatur, & disponatur ad formæ receptionem: Ergo efficiens debet esse prius, quàm materia in causando: Insuper: agens creatum non potest producere formam à materia dependenter: Ergo materia causalitatis supponitur ad esse formæ. Similiter compositum nequit fieri absque forma: Ergo forma supponitur in essendo composito: Ergo eundem ordinem servant prædictæ causæ in causando.

806. Sit secunda conclusio: facta comparatione causarum intrinsecarum inter sese, videlicet materiæ cum forma, forma simpliciter perfectior est materia, & ipsa nobilior. Ista conclusio communis est omnium Philosophorum, & probatur: illud est alio perfectius, quod magis assimilatur perfectissimo, nempè Deo; sed magis assimilatur perfectissimo forma, quàm materia: Ergo forma est nobilior, & perfectior materia. Major est per se nota: quod enim magis accedit ad perfectum, qui est Deus, magis habet de perfectione. Minor probatur: Deus est actus purissimus, forma licèt non ita, tamen actus est, nihil habens de potentia; materia autem pura potentia nihil habens de actu: forma fluenda est habens virtutem activè producendi alia, in quo Deo assimilatur; potentia, sive materia non ita: Ergo &c.

807. Sit tertia conclusio: facta comparatione causarum extrinsecarum inter sese, efficientis videlicet, & finalis, causa finalis nobilior, & perfectior absolutè est causa efficienti, & hoc in genere entis si finis est naturalis, sive ex natura rei præfixus, vel saltem in modo operandi, si finis est ex instituto, & placito voluntatis creatæ: vide dicta à nobis num. 795. hujus distinctionis. Hæc conclusio expressa est Philosophi, Scoti, Augustini, & quia receptissima non probatur authoritatibus. Probatur ergo ratione: finis in modo causandi non præsupponit aliam causam, ut dixi num. 805. operaturque tanquam virtus immota, & prima in ordine creato; efficiens verò cum fine comparatum

paratum operatur, ut causa secunda, & mota à fine: Ergo finis est nobilior saltem in modo operandi. Probatur, quia perfectius est operari non motum, quàm operari ut motũ, unde Deus non ut motus, sed ut primus motor operatur perfectissimè: Ergo &c.

808. Sit quarta conclusio: si comparatio fiat inter causas intrinsecas ex una parte, & extrinsecas ex alia, causæ extrinsecæ superant in perfectione causas intrinsecas. Probatur: illud genus est simpliciter perfectius alio, in quo datur species perfectissima nobilior specie perfectissima alterius generis, sed species perfectissima generis causæ efficientis, & finalis, Deus videlicet, est simpliciter, & absolutè perfectior, & nobilior quacumque specie perfectissima formæ, & materiæ: Ergo genus causæ efficientis, & finalis longè perfectius est genere materiæ, & formæ, sive causarum intrinsecarum. Major enim per se est nota: illud enim est genus perfectius, quod claudit sub se perfectiorem speciem. Minor patet; quia Deus primus est efficiens, & finis omnium: Ergo &c. Et roboratur; quia modus causandi efficientis, & finalis causæ perfectior est modo causandi materiæ, & formæ, patet; quia modus causandi efficientis, & finalis ex se nullam involvit imperfectionem, & ideo reperitur in Deo, modus autem causandi causarum intrinsecarum involvit imperfectionem partium incompletarum, mutabilitatis &c., & sic relegatur à Deo: Ergo &c.

Argumenta contra dicta.

809. PRimò arguitur contra nostram primam conclusionem, in qua asserimus causam finalem esse priorem in existendo, in modo causandi, & in perfectione, aliis causis: finis sæpissimè non existit, donec omnes causæ producunt suos effectus: Ergo causa finalis non est prior in existendo aliis causis. Antecedens probatur: qui laborat propter sanitatem tanquàm propter finem v. g. prius est, quod laboret, quàm quòd finem assequutus sit in re: Ergo in tali casu aliæ causæ efficiunt, antequam finis sit: Ergo finis non est prior in existentia perfectione &c.

810 Respondeo distinguendo majorem: contingit, quòd aliæ causæ causent, quando finis non est in esse existentiæ Physico, & reali concedo: in esse intento, sive intentionali, & apprehenso, nego. Prius enim infirmus animo concipit sanitatem, tanquàm bonam sibi, & postea propter hanc assequendam tanquàm propter finem eligit media, & laborat; finis autem ex ratione finis non dicit esse veram causam Physicam, & realem, sed Metaphoricam, & sic solùm existentiam Metaphoricam requirit ad causandum metaphoricè, de quo latius cùm de causa finali.

811. Secundò arguitur contra quartam nostram conclusionem, in qua asserimus causam efficientem, & finalem esse perfectiores causis intrinsecis: illa causa est magis perfecta in causando, à qua magis dependet effectus; sed compositum v. g. magis dependet à materia, & forma, quàm à causa efficienti, & finali: Ergo causæ intrinsecæ, materia videlicet, & forma sunt causæ in causando magis perfectæ. Major ex se est nota, minor probatur: magis dependet effectus ab intrinsecis constitutivis, & danti-

dantibus esse, quàm ab extrinseco, sine quo valet postquàm est conservari: Ergo &c.

812. Respondeo omittendo majorem, & negando minorem: non enim plus dependet compositum à causis intrinsecis, quàm ab extrinsecis: & ad ejus probationem distinguo antecedens: magis dependet à causis intrinsecè constituentibus, quàm ab extrinsecis, sine quibus potest esse in fieri, & in conservari, nego: in facto esse, concedo. Itaque licèt compositum, postquàm factum est, possit esse sine efficiente, à quo accipit esse, tamen in fieri æquè dependet ab illo, ac à causis intrinsecis, cùm sine his, & sine illis esse non valeat. Præterquam quòd non sumitur perfectio causæ à majori dependentia, vel minori effectus, sed à modo perfectiori causandi; & cum causæ extrinsecæ causent sine aliqua imperfectione ipsarum, & causæ intrinsecæ semper causent cum imperfectione admixta; hinc fit, quod &c.

QUÆSTIO QUARTA,

Vtrum idem numero effectus posit à duplici causa totali simul ejusdem ordinis, & subordinatis totaliter, & adæquatè produci, sive causari?

QUæstio hæc celeberrima est inter omnes, quæ in Philosophia agitantur, & licèt ab aliquibus cùm de causa efficienti agunt, ventiletur, hîc tamen illam tractare decrevi, ut plenior habeatur conceptus de causis in communi, quapropter sit

ARTICULUS PRIMUS,

Vbi aliqua ad majorem quæsiti intelligentiam præmittuntur.

813. PRimò est notandum, quod petit titulus, ex tituli enim intelligentia sæpè habetur difficultatis cognitio: petit ergo titulus, an à duabus causis ejusdem rationis totalibus possit idemmet numero effectus produci? hoc est, utrum à duobus agentibus totalibus, à duobus videlicet ignibus, hominibus &c., possit idemmet ignis totaliter produci simul, ita ut simul, & semel ab unoquoque igne totaliter effectus producatur; ita ut verum sit dicere ignis *A*, totaliter fuit productus ab igne *B*; & totaliter simul productus ab igne C. Idem dico de compositis, an à duplici forma totali, vel à duplici totali materia possit constitui, & causari, & idem de fine.

814. Dixi, & consultò, à duplici causa totali ejusdem ordinis; nam à causis totalibus alterius ordinis nulli est dubium, quin compositum substantiale à materia, & forma, agente, & fine producatur, quarum quælibet causa totalis est compositi in suo ordine, etiamsi partiales dicuntur, quatenùs una indiget alia ad causandum: & similiter dixi notanter *non subordinatis*, quia homo v. g. & Deus sunt causæ totales alterius hominis, ita ut homo causa totalis sit per se solùm in genere efficientis, & Deus similiter causa totalis est ejusdem hominis in eodem genere; sed istæ causæ dicuntur subordinatæ, eò quòd in sua actione, & causatione subordinatus sit Deo, à quo in essendo, & in causando dependet, &

sic

ſic de iſtis cauſis ſubordinatis non procedit quæſtio.

815. Secundò eſt notandum, quòd dupliciter poteſt intelligi, ſive dici aliqua cauſa totalis reſpectu alicujus effectus, vel in actu primo, vel in actu ſecundo. Cauſa totalis in actu primo eſt illa, quæ ex ſe, & ſine indigentia adjuvaminis ejuſdem ordinis habet virtutem, & fœcunditatem in actu primo ad producendum effectum, ſive ad poſſe in talem effectum. Cauſa verò totalis in actu ſecundo reſpectu alicujus effectus eſt illa, quæ ſuppoſita virtute, & fœcunditate prædicta, qua eſt potens totaliter in actu ſecundo, exercet talem virtutem producendo talem effectum. Exemplum primæ; calor ut octo v. g. habet virtutem ſua natura intrinſeca attenta, ut potens ſit alium calorem ut octo producere, cæterum illum non producit actualiter, vel propter paſſi defectum, vel propter alias cauſas. Exemplum ſecundi: idemmet calor ut octo, qui potens eſt illum calorem ut octo producere, & illum per ſuæ virtutis exercitium, ſive actionem totaliter producit actualiter in actu ſecundo.

116. Tertiò eſt notandum, quòd licèt aliquæ cauſæ habeant virtutem totalem, ut quælibet ſeorſim valeat ſine alterius indigentia producere effectum aliquem totalem, tamen ſi prædictæ cauſæ uniantur, & concurrant ad eundem effectum producendum, ſe habent in actu ſecundo, & ſuarum virtutum exercitio, tanquàm ſi eſſent cauſæ partiales, & in tali eventu unaquæque cauſa dicitur totalis in actu primo reſpectu talis effectus, ex eo quòd habeat virtutem ſufficientem in actu primo ad illum, ſed in actu ſecundo non dicentur totales, ſed partiales, eò quòd effectus ab utraque eſt productus, etiamſi à qualibet ſeorſim poterat produci, & ſic effectus talis in actu ſecundo non correſpondet totaliter cuilibet cauſæ.

817. Exemplo res clara fit: Petrus habet virtutem ad elevandum pondus hoc ut quatuor v. g. & Paulus ſimiliter habet virtutem in actu primo ad elevandum idem pondus; uterque dicitur cauſa totalis in actu primo, eò quòd in quolibet eorum detur virtus ad idem; ſi tamen Petrus, & Paulus conjungantur ad tale pondus elevandum, non dicentur cauſæ totales elevationis ponderis, quia in tali caſu, non totum pondus elevatur à quolibet diviſim, ſed ab utroque conjunctim, & ita effectus, ſcilicet ponderis elevatio non correſpondet totaliter utrique eorum, ſed ambobus, ex quibus una cauſa totalis fit elevationis, cùm tamen quilibet in tali eventu ſit partialis, & non totalis cauſa. Quæſtio igitur non eſt de cauſis totalibus in actu primo, ſed de cauſis totalibus in actu ſecundo cauſantibus, taliter quòd cuilibet cauſæ ſeorſim totus correſpondeat effectus. His maximè notatis jam pro reſponſione difficultatis ſit titulus.

ARTICULUS SECUNDUS,

Ubi aliorum placitis relatis vera Doctoris noſtri ſubtilis ſtabilitur ſententia.

818. PRimum igitur placitum circa præſentem noſtram difficultatem eſt Ochami in 3. diſt. 1. q. 2. Cajetani 1. part.

part. summæ q. 52. art. 9. quos sequitur Fonseca in 1. Metaph. & alii, qui affirmant, id non solùm esse possibile, immò naturaliter quàm pluries evenire. Sed quàm falso hæc nitatur fundamento ex infra dicendis patebit.

819. Secunda sententia, sive placitum affirmat, quòd licèt naturaliter non possit evenire, quòd idemmet numero effectus, qui ab una totali causa in actu secundo producitur, simul producatur ab alia, totaliter etiam causante, & ejusdem ordinis cum illa; tamen nullam secum affert repugnantiam, vel contradictionem, ut absoluto posse divino attento id possit evenire. Hanc patrocinantur sententiam communiter Thomistæ cum suo Angelico præceptore, & ex Jesuitis quàm plurimi, ut Suarez in 1. Metaph. disp. 26. sect. 4. Hurtado disp. 8. de causis, sect. 10. §. nunc saltem. Murcia disp. 4. q. 2. in Philosoph., & alii.

820. Tertia tamen sententia, & nostra firmiter defensanda conclusio affirmat: omnimodam implicationem involvere, etiam posse divino absoluto attento, quod idemmet numero effectus totaliter in actu secundo producatur, sive causetur à duplici totali causa ejusdem rationis, & non subordinata. Ita *Scotus expreßè in 2. dist. 3. q. 4. §. contra ipsam. v. secundo sic. sub num. 4.* cujus hæc sunt verba: *duarum productionum completarum in esse substantiali, non potest esse eadem substantia primus terminus. Et in 1. dist. 2. q. 2. §. quantum ad tertium articulum. v. hoc etiam, sub num.* 19. *hoc etiam quarto confirmatur in communi, quia nulla duo possunt esse terminantia totaliter dependentiam alicujus ejusdem, quia tunc illud terminaret dependentiam, quo substracto non ministraretur illa dependentia, & ita non esset dependentia ad illud* &c.

821. Idem habet in 3. dist. 1. q. 2. §. ad quæstionem. num. 5. ubi ait: *in omni dependentia essentiali unum dependens non dependet præcisè, nisi ad unum. Major probatur: in omni dependentia causati ad causam, quia impoßibile est idem causatum habere plures causas totales in eodem genere causandi, à quo dependeat, sequeretur enim quod ab illo dependeret ut à causa, quo non existente nihilominùs esset.* Pro hac etiam parte vidi ab aliquibus citari *Scotum* in lib. de primo principio cap. 5. num. 17. & cap. 6. num. 30. sed citatio declarat eruditionem citantium, cùm prædictus tractatus de primo principio sub quatuor capitibus comprehendatur, & ad plura non se extendat.

822. Probo igitur nostram conclusionem desumendo implicationem ex parte causæ: eò præcisè quòd aliquis effectus producatur totaliter in actu secundo ab una causa totali totaliter illum producente, implicat contradictionem, quòd idemmet numero effectus simul ab alia totali causa totaliter producatur: Ergo implicat contradictionem, quòd idemmet numero effectus à duplici totali causa ejusdem rationis producatur. Probo antecedens: eò præcisè quòd effectus ab una causa totali, cujuscumque generis sit, productus totaliter posset ab alia causa totali ejusdem ordinis, & non subordinata simul produci totaliter, sequeretur, quòd utraque esset causa totalis in actu secundo illius effectus, & quòd neutra esset causa totalis in actu secundo ejusdem effectus; sed utramq; esse causam totalem

talem in actu secundo effectus, & neutram esse causam totalem in actu secundo ejusdem effectus, involvit manifestam implicationem: Ergo etiam involvit illud, ex quo sequitur, videlicet, quòd duæ causæ totales possint totaliter in actu secundo eundem producere effectum in eodem genere causæ.

823. Probatur sequela quoad secundam partem, nam quoad primam supponitur: illa causa non est totalis, nec totaliter producit aliquem effectum in aliquo ordine, quæ in eodem ordine, & linea relinquit locum alteri causæ, sive relinquit aliquid de effectu ab alia causa causandum; sed in tali hypothesi, quælibet illarum causarum locum relinquit causalitati alterius causæ, sive aliquid relinquit de effectu ab alia causa causandum: Ergo neutra est causa totalis respectu illius effectus. Majorem sic exemplo confirmo simul, & declaro: & suppono, quòd Petrus, & Paulus, quorum quilibet habet vires, & sufficientem virtutem ad levandum pondus ut octo, se applicant ambo simul, ad hoc pondus ut octo levandum, puta cathedram, in tali casu, quo Petrus, & Paulus applicantur, & levant illud pondus, cathedram videlicet: interrogo, cathedra, quæ est pondus ut octo, à quo levatur totaliter? dices, quòd à Petro, & Paulo; tunc ultra Petrus levat totum pondus ut octo cathedræ nunc? si totum pondus ut octo cathedræ levat Petrus: Ergo Paulus nihil efficit, siquidem non relinquitur illi aliquid prædicti ponderis levandum; & idem dico vice versa de Paulo, si non levat totum pondus: Ergo ex Petro, & Paulo efficitur una causa totalis ponderis levationis, taliter quòd neuter est causa totalis. Et urgeo ulteriùs argumentum: ideo in casu prædicto non dicitur Petrum totum pondus elevasse, quia in ponderis elevatione coadjutus fuit à Paulo, & idem vice versa dico de Paulo: Ergo in quocumque casu aliqua causa expectat alterius causæ consortium ad aliquem effectum faciendum, non est causa totalis illius effectus: Ergo &c.

824. Respondent aliqui ad argumentum, quòd non tenet exemplum, quia est quid materiale, ex eo quòd nec Petrus, nec Paulus in tali casu nihil producunt de pondere, & quæstio procedit non de causis instrumentalibus, sed de causis Physicis, & Physicè productivis. Sed hæc responsio potius est tergiversatio, quàm solutio argumenti, quia Petrus, & Paulus verè causæ Physicæ sunt, & Physicè productivæ motus, quo movetur tale pondus, sive elevationis, quod nullus potest negare.

825. Alii respondent ut Suarez, & Rubius, quòd argumentum procedit ex ignorantia causæ totalis: causa enim totalis non est quæ non relinquit locum alteri causæ ad eundem effectum causandum, sed quæ agit secundùm ultimum suæ virtutis, ita tamen quòd effectus sit virtuti causæ proportionatus; & cùm non implicet, quòd idem net numero effectus sit proportionatus virtuti hujus, & illius causæ, inde fit, quòd non implicet, quòd idem effectus sit à duplici causa totali productus, taliter quòd productus sit à causa *A* totaliter, & totaliter similiter sit à causa *B* ejusdem ordinis productus.

826. Sed contra Suarez, & Rubium, & eo-

& eorum ignorantiam sic insurgo; & suppono cum illis, quòd causa totalis est illa, quæ totaliter agit secundùm ultimum suæ virtutis, & pono casum, quòd calor *A*, v. g. ut quatuor habet virtutem producendi alium calorem ut quatuor, & calor ut quatuor secundùm quod habet etiam virtutem producendi calorem ut quatuor conjungantur ad causandum calorem in aliquo eodem passo: interrogo, vel isti duo calores ut *A*, & *B*, qui conjunguntur ad causandum calorem in aliquo passo producunt calorem ut quatuor ambo, vel ut octo? si primum 5. contra: Ergo nullus eorum causat secundùm ultimum suæ virtutis, & sic neuter est causa totalis. Probo consequentiam; quia duo calores ut quatuor si æquè applicentur ad idem passum, & quilibet agat secundùm ultimum suæ virtutis, necessariò causabunt calorem ut octo, quia virtus unita fortior est seipsa dispersa; patet, quia si Petrus, & Paulus, quorum quilibet habet virtutem elevativam ut quatuor conjungantur ad levandum pondus, & æquè applicentur, & quilibet agat secundùm ultimum, quod potest, utiquè levabunt non pondus ut quatuor, sed ut octo: Ergo à simili &c. si producunt calorem ut octo: Ergo etiam neuter erit causa totalis, siquidem calor productus superat perfectionem, & virtutem cujuslibet causæ seorsim, & sic neuter ab alio præcisus erit causa totalis ex doctrina Suarez, & Rubii.

827. Secundò principaliter probatur nostra conclusio ratione Scoti, quæ habetur in 1. supra citato: implicat contradictionem, quòd aliquis effectus dependeat per se, & essentialiter, hoc est in suo esse ab aliqua causa, sine qua potest idemmet numero effectus esse; sed si idemmet effectus à duplici causa totali produceretur, sequeretur quòd dependeret per se essentialiter in suo esse ab aliqua causa, sine qua posset nihilominùs talis effectus esse: Ergo implicat contradictionem, quòd aliquis idem effectus possit totaliter à duplici adæquata causa produci. Major est per se nota; implicat enim, quòd creatura dependeat à creatore, & quòd possit esse sine creatore, quia ab illo non dependet creatura, sine quo potest esse eadem creatura; implicat similiter, quòd relatio possit esse sine termino, & quòd dependeat à termino, dependentia enim per se unius ab alio dicit non posse esse per se illud unum sine illo alio: Ergo &c.

828. Minorem probo sic, & suppono, causæ totales producentes totaliter aliquem eundem effectum sint *A*, & *B*, quo exemplo utitur Scotus in 3. supra citato: probo nunc, quòd effectus C ab *A* & *B* totaliter productus ab unaquaque divisim, dependeat essentialiter per se ab utraque, scilicet ab *A*, & *B*, & quòd à neutra dependeat essentialiter per se, quod est manifesta contradictio. Et imprimis quod per se, & essentialiter ab utraque dependeat, etiamsi sit per se notum, sic nihilominus ostendo: ab illo dependet in suo esse essentialiter, & per se effectus totaliter, à quo accipit esse totale; sed effectus totaliter accipit esse ab *A*, idem dico de *B*: Ergo effectus talis per se, & essentialiter in suo esse dependet ab *A* & *B*. quod autem neque ab *A*, & *B*, essentialiter dependeat talis effectus, sic ostendo; & imprimis probo evidenter, quòd

non

non dependet ab *A*. talis effectus, eò quòd idem, & secundùm idem sit productus totaliter à *B*. potuit esse ex vi illius productionis totalis sine eo quòd produceretur ab *A*: Ergo potuit esse idemmet effectus sine *A*: Ergo ab *A*, non dependet per se in suo esse. Probo consequentiam: quia ab illo effectus non dependet sine quo talis idem effectus potest esse; sed effectus productus totaliter à *B*, potest esse sine *A*: Ergo ab illa non dependet per se. Idem argumentum facio de *B*. ex eo enim quòd talis effectus sit productus ab *A*, sequitur, quòd possit esse sine *B*. & per consequens ab illa per se non dependet: Ergo ex tali positione sequitur manifesta contradictio, videlicet, quòd effectus talis essentialiter dependeat per se ab *A* & *B*. & quòd à neutra essentialiter per se dependeat.

829. Quòd si dicant adversarii, quòd in tali hypothesi, quòd effectus C, à duplici causa totali *B*, videlicet, & *A*, produceretur, non posset effectus idemmet esse altera illarum causarum sublata: Ergo neutra illarum esset dicenda causa totalis in tali causa, quod est contra illud, quod supponitur. Probatur consequentia; illa non est causa totalis alicujus effectus, quæ se sola, & sine consortio alterius causæ ejusdem ordinis nequit producere effectum; sed in tali hypothesi neutra suarum causarum *A*, videlicet, & *B*, posset sine alia producere effectum: Ergo neutra esset totalis: Ergo intentum.

830. Tertiò principaliter probo hanc eandem conclusionem, etiam ex fundamento contrariorum, sive communi, in quo tam illi, quàm nostri uniformiter conveniunt, & suppono, quòd in tali casu effectus productus adæquatè à duplici adæquata causa haberet dependentiam duplicem adæquatam, patet, quia duplici actioni adæquatè, sive duplici termino adæquato dependentiæ, duplex adæquata dependentia debet correspondere ex parte effectus, sive dependentis, quod & adversarii ipsi fatentur. Hoc supposito sic contra illos insurgo: implicat etiam in eorum sententia, quòd unica causa habeat simùl plures effectus adæquatos suæ virtutis, sive quod idem est, implicat etiam posse divino interveniente, quòd unica causa terminet simul dependentiam plurium ab illa adæquatè dependentium: Ergo implicat quòd idem effectus terminetur in sua dependentia adæquatè à pluribus causis.

831. Probo consequentiam: Ideo repugnat etiam de absoluta potentia, quòd eademmet causa terminet dependentiam plurium effectuum, quorum quilibet sit adæquatus virtuti causæ, quia per unicum effectum reducitur ad actum secundum tota virtus, & fecunditas causæ, ita ut causa quasi exhausta virtutis maneat ad alium effectum simùl producendum (quod Hispanè dicimus: *parece que aviendo producido una causa efecto adequado à su virtud, que queda agitada la virtud de la causa, y no puede por entences producir mas*) sed per unicam productionem passivam adæquatam reducitur etiam ad actum secundum tota producibilitas, sive causabilitas effectus adæquata, aliàs si non ita esset, non esset effectus adæquatè productus ab una causa: Ergo sicut implicat, quòd eadem causa terminet simul dependentiam plurium effe-

effectuum adæquatorum ab illa dependentium, ita repugnat, quòd idem effectus adæquatus sit à duplici causa adæquata adæquatè producibilis, & quòd habeat duplicem dependentiam passivam adæquatam, cùm ab una totaliter maneat exhausta producibilitas passiva effectus. Alias omitto rationes apud authores videndas.

Argumenta contra dicta.

832. PRimò arguitur: eademmet numero natura, quæ assumpta fuit à Christo Domino in unitatem suppositi potuit simùl à subsistentia Patris, & Spiritus Sancti sustentificari, & ultimo terminari: Ergo idemmet effectus ab unica causa totali productus potuit simul actualiter produci, sive causari ab alia. Probo consequentiam: ideo aliquis idem effectus non potest simul à duplici termino adæquato suæ causalitatis dependere adæquatè, quia stante adæquatione ex parte unius causæ causantis, non relinquitur alteri causæ aliquid causandum de effectu, quod non sit à prima causa adæquata productum; sed stante adæquatione ex parte hypostasis Verbi terminantis adæquatè naturam, sive illam substentificantis potest simul stare, quòd eademmet natura possit simul à subsistentia Patris, & Spiritus Sancti terminari, & substentificari: Ergo sicut non implicat eandem terminari, & substentificari naturam à triplici hypostasi totali, ita non implicat eundemmet effectum duplicem terminare productionem adæquatam duplicis causæ totalis. Antecedens probatur: idem numero accidens potest à Deo saltèm miraculosè collocari in duobus adæquatis subjectis, puta eandemmet numero albedinem in papyro, & in lacte: Ergo & eademmet natura potest esse simul in duobus suppositis: Ergo &c.

833. Respondeo ad argumentum cum *Scoto in 3. cit. dist. 1. q. 2. num. 5. & 7.* negando antecedens; & ad ejus probationem respondeo negando etiam antecedens: sicut enim implicat ob dictas rationes, quòd idemmet effectus à duplici totali causa totaliter producatur, ita implicat, quòd eadem natura à duplici termino adæquato terminante ejus dependentiam in linea subsistendi possit dependere, & quòd idem numero accidens possit à duplici dependere subjecto. Vide, quæ diximus dist. 4. q. 3. art. 2. num. 625. & 626. etiam hic solet argumentari dicendo, quòd eadem relatione Paternitatis refertur Pater ad plures Filios, ita ut quilibet Filius sit terminus adæquatus prædictæ relationis. Sed eodem modo respondetur negando, quòd eadem paternitate Pater referatur ad plures Filios ob eandem rationem, quia videlicet quilibet est terminus adæquatus paternitatis, immò tot relationes paternitatis sunt in Patre, quot sunt filii, ad quos refertur.

834. Secundò arguitur, & est validissimum argumentum, quod hîc potest effici contra nostram conclusionem; & suppono, quòd duo ignes æqualis virtutis, vel quælibet alia duo agentia æqualis virtutis applicarentur æqualiter ad idem lignum, & converterent lignum in ignem, sive introducerent formam ignis in materia ligni, nec ne? si primum, à quo igne esset talis forma generanda? Non ab uno, & non altero, cùm non sit major ratio unius, quàm alterius:

rius: Ergo à neutro, vel ab utroque: si ab utroque: Ergo jam habemus intentum, quòd idem effectus possit à duplici adæquata causa produci.

835. Huic argumento respondet *Scotus in 4. dist. 10. q. 2. §. ad rationes. v. & si quæras. num. 23.* quòd in tali casu si effectus esset divisibilis, ita ut pars una effectus posset correspondere uni igni, & alia pars alteri, ita producerent effectum, quòd cuilibet agenti non totus corresponderet effectus, sed pars una uni, & pars alia alteri; & sic effectum perfectiorem producerent illa duo agentia, quàm quodlibet posset producere divisim: *si autem effectus esset divisibilis secundùm perfectionem; si verò generarent eundem effectum indivisibilem omninò, generarent tamen eo modo efficiendi, quo neuter eorum posset esse causa totalis effectus, quia post ita brevem alterationem, quæ non sufficeret ad cognitionem ab altero istorum præcisè agente, & tunc ista propositio est vera, quòd duæ causæ totales totaliter causantes non possunt esse ejusdem effectus. Hæc Scotus.*

836. Sed contra prædictam solutionem à Scoto allatam sic insurgo, supponendo quòd effectus esset omninò indivisibilis: talis effectus indivisibilis esset ab utroque agente, à quorum quolibet posset produci totaliter, etiamsi tam breviter ab utroq; generaretur, quàm posset solo ab uno generari: Ergo in tali casu idem omninò effectus ab utroque generaretur totaliter, etsi brevius, quàm posset ab uno illorum generari: sed quod brevius, vel longius generetur effectus, non tollit, quòd effectus sit idem, & quòd idem à duobus totaliter generetur: Ergo etiam stante breviatione temporis, in quo generatur effectus à duobus, stat veritas hujus propositionis, quòd à duplici agente, etsi brevius, idem indivisibilis generatur totaliter effectus.

837. Respondo, quòd Scotus non ait, quòd eundem effectum totaliter generarent illa duo agentia, quæ casus supponit, stante sola diversitate ex parte effectus, in hoc quod brevius ab utroque generaretur totaliter, qui tardius posset ab uno generari, sed in hoc quod in tali casu, quo eundem effectum indivisibilem omninò generarent, generarent tamen eo modo efficiendi, quo neuter eorum posset esse causa totalis ab intrinseco, ex eo quòd neuter eorum ageret secundùm ultimum suæ virtutis, immò extraherent vires ad agendum, ita ut neutrum totas vires applicaret. Quod explico exemplo, quo Petrus, & Paulus ad levandum pondus ut octo se accommodarent, cùm tamen quilibet seorsim posset totum pondus levare; in tali enim casu, quod experimento constat, nec Petrus adhibet totas vires ad levationem ponderis, nec Paulus, sed partialiter uterlibet concurrit. Idem dico de duobus ignibus in casu positis, quòd neuter totas vires, sive activitatem suam applicaret; quod ut explicet Scotus, assumit illud exemplum de brevitate, qua producerent ignem, brevius, quàm posset ignis à quolibet seorsim produci, ac si ita argueremus in exemplo allato: Petrus, & Paulus velocius movent pondus ut octo simul, quàm posset idem pondus à quolibet divisim moveri: Ergo signum est, quòd tale pondus non ab uno solùm totaliter movetur, sive portatur, sed ab utroque tanquam à causa totali. Idem facit argumentum de

 ignibus

ignibus æqualiter applicatis, per quod patet ad argumentum &c.

838. Sed contra dices: in tali hypothesi illi duo ignes æqualiter haberent virtutem ad talem effectum producendum, & æqualiter essent applicati ad passum, sive combustibile, & passum æqualiter posset ab unoquoque immutari, cùm supponamus, quòd quilibet ignis divisim haberet sufficientem virtutem ad talem effectum: Ergo quilibet produceret secundùm ultimum suæ virtutis, & secundùm totum quod posset; sed posset producere totum effectum, qui supponimus, quòd effectus talis non excederet virtutem cujusvis causæ: Ergo quælibet totum effectum produceret. Antecedens est certum, est enim casus, qui supponitur: consequentia prima probatur: quia in hoc distinguitur causa naturalis à libera, quia causa naturalis debitè approximata, & applicata agit secundùm ultimum suæ virtutis, & secundùm totum id, quod potest, ita ut non possit non agere; causa verò libera etiam positis omnibus requisitis ad causandum potest non agere, vel agere remissè; causa verò naturalis minimè, quia ut ait Scotus in 4. dist. 43. q. 4. *in cujus potestate non est agere, vel non agere, non est remissè agere, vel intensius:* Ergo si quilibet ignis est causa naturalis, & sufficiens producere effectum, quilibet illum producet naturaliter totaliter, cùm non sit à quo impediatur ejus actio.

839. Respondeo concedendo antecedens quoad omnes suas partes, & distinguo consequens: Ergo quilibet ignis producet in tali casu totum ignem, sive effectum, cùm effectus non excedat virtutem cujuslibet ignis, si ab aliquo non impediatur, concedo: si verò impeditur ejus actio, quo minus totum effectum producat, nego consequentiam. Pro cujus intelligentia suppono, quòd casus non est possibilis naturaliter, ad hoc enim requirebatur penetratio agentium, ignium videlicet, quæ naturaliter impossibilis est, ad hoc quòd essent æqualiter approximati. Et adhuc data hac penetratione, adhuc non possent tales ignes naturaliter causare, quia actio naturalis dependet à causa naturali, naturali modo existendi in opinione probabili; cæterùm dato quòd uterque ignis causaret naturaliter (ut admittit Scotus) non ageret uterque secundùm ultimum virtutis suæ, non defectu applicationis, nec virtutis, quia hæc supponuntur, sed ex consortio unius alter impediretur, ex eo quòd coadjuvaretur in tali productione unus ignis ab alio, quod patet in exemplo de lapide num. 837. apposito. Ad confirmationem de causæ liberæ, & naturalis distinctione, respondeo, quòd verum est in casu, quo non obstet ex alio capite impedimentum, & cùm in tali casu obstaret, inde fit, quod &c.

840. Tertio arguitur, & est argumentum, quod validissimum putant gravissimi Thomistæ, à quibus illud vidi Hispali ponderari satis perspicuè profectò, etsi usq; in hodiernum diem solutionem exspecto, quod argumentum nec antè, nec post, nec legi, nec vidi, quod tale est: Evidens est in via Scoti, quòd idem corpus potest esse adæquatè in pluribus locis extensivè, & commensurativè: Ergo evidens est, quòd idemmet numero effectus potest simul à duplici causa adæquata ejusdem

dem ordinis causari. Antecedens est certissimum in nostra Schola, consequentia verò probatur: sicut corpus v. g. humanum est adæquatè ubicatum ab ubi adæquato *A*, ita quòd nihil corporis, quod ubicabile sit, maneat inubicatum, & idem dico de ubi *B*, corpus ubicatur, sive potest ubicari ab ubi *B*, totaliter adæquatè, ita ut nihil habeat corpus ubicabile, quod non sit ubicatum ab uno, & ab altero ubi *A*, videlicet, & *B*: Ergo sicut non obstante quòd corpus humanum ab ubi *A* sit adæquatè ubicatum, potest simul idemmet corpus saltèm per divinam potentiam ubicari ab ubi *B*, etiam totaliter, ita non implicabit, quòd saltem per divinam potentiam, posset evenire, quòd effectus talis unius causæ sit simul ab alia.

841. Et confirmatur: sicut effectus est totaliter causatus ab una causa totali in casu posito, ita corpus humanum est totaliter ubicatum ab uno ubi; sed stante adæquatione primi ubi potest per divinam potentiam idem corpus ab alio ubi simul ubicari: Ergo stante adæquatione causæ causantis aliquem effectum potest per divinam potentiam idemmet effectus ab alia causa ejusdem ordinis totaliter causari. Antecedens probatur: ideo aliquis effectus totaliter dicitur ab una causa causatus, quia nihil relinquitur de effectu alii causæ causandum, quod non sit à prima causatum; sed similiter nihil relinquitur de corpore, quod relinquatur alteri ubi ubicandum, quod non sit ubicatum à primo adæquato ubi: Ergo sicut effectus totaliter est causatus ab una causa, ita corpus totaliter est ubicatum adæquatè ab uno ubi, & hoc non obstante potest idem corpus ab alio ubi adæquatè etiam ubicari: Ergo idem effectus ab alia causa causari.

842. Et urgeo ulterius rationem: sicut corpus est ab uno ubi adæquato totaliter ubicatum secundùm totum illud, quod ubicabile est ex parte corporis (hoc enim dicit esse ubi corpori adæquatum) ita effectus est ab una causa totali totaliter productus secundùm totum illud, quod producibile est ex parte effectus; sed etiamsi corpus sit totaliter ubicatum ab ubi *A*, secundùm totum illud, quod ubicabile est, potest simul ubicari idemmet corpus ab ubi *B*, ejusdem rationis, etiam secundùm totum illud, quod ubicabile est ex parte ejusdem corporis: Ergo sicut potest corpus ab uno adæquato ubi ubicatum, ulteriùs ab alio ubi ejusdem rationis totaliter ubicari, ita poterit effectus ab una causa adæquatè productus, ab altera simul produci totaliter adæquatè. Patet consequentia; quia in utroque par militat ratio.

843. Et roboratur hæc impugnatio contra Scoti fundamentum: non implicat, quòd idemmet corpus habeat duplicem terminum adæquatum suæ dependentiæ, scilicèt, duplex adæquatum ubi, à quo dependeat in esse ubicato totaliter, & adæquatè: Ergo non implicat, quòd idemmet effectus habeat duplicem terminum adæquatum suæ dependentiæ, scilicet, duplicem adæquatam causam ejusdem ordinis, à quarum qualibet totaliter producatur. Probatur consequentia; Antecedens est per se notum: sicut effectus

dependet totaliter ab una causa totali in esse causabilis, ita corpus dependet ab uno ubi totali in esse ubicabile: Ergo &c.

844. Pro solutione hujus argumenti, quod subtilissimum fateor, suppono ex nostro *subtili Scoto in 4. dist.* 10. 1. *&* 2. *per totam.* §. *dico ergo. num.* 11. & sequentibus, quòd ubi circunscriptivum, & adæquatum, de quo procedit argumentum, ut latius in 4. hujus Deo dante patebit: *nihil aliud dicit* (verba sunt Scoti) *nisi respectum extrinsecus advenientem fundatum in uno quanto, ad aliud quantum circumscribens.* Ita quod ubi à quo formaliter corpus dicitur quantum ubicatum, est relatio quædam passiva, qua corpus formaliter refertur ad locum, in quo est. Unde idem corpus esse in pluribus locis nihil dicit aliud, quàm habere idem corpus plura ubi, sive quod idem est plures respectus, sive relationes, mediis quibus formaliter idem corpus referatur ad plura loca, in quibus est; & cùm non implicet, quòd idem Pater v.g. plures respectus, sive relationes habeat adæquatas Paternitatis ad plures filios, & idem simile plures relationes similitudinis, quibus ad plura similia, quibus assimilatur, referatur; non implicat etiam, quòd idem corpus ad plura loca adæquata plures habeat relationes passivas, quia locus nil producit de locato, neque locatum à loco dependet, nisi ut dependet unum relativum ab alio relativo, Pater v.g. à Filio, & Filius à Patre.

845. Ex præjactis supra ad argumentum num. 840. respondeo concedendo antecedens, quòd videlicet idem corpus potest esse in pluribus locis adæquatis, sive referri adæquatè ad plura adæquata ubi, quod idem est, & negando consequentiam, videlicet quòd idem effectus possit à duplici dependere causa adæquata in eodem genere causæ, quia ubi non est causa corporis ubicati, & sic non implicat, quòd idem corpus habeat plura ubi, quæ nihil aliud sunt, quàm plura accidentia; at verò effectus accipit esse totaliter à sua causa totali, & implicat, quòd sint duæ causæ totales dantes totaliter esse, quarum qualibet effectus idem adæquatè dependeat ob rationes supra factas: & ad ejus probationem concedo antecedens, videlicet, quòd effectus adæquatè productus à causa *A*, possit simul adæquatè produci à causa *B*: & ratio est, quia corpus esse adæquatè ubicatum ab ubi *A*, v. g. nil aliud dicit, quàm habere corpus unam relationem adæquatam ubicationis, qua refertur adæquatè, & secundùm totum ab ubi fundamentali activo *A*, ad locum, in quo corpus, & simul adæquatè ubicari idem corpus ab ubi *B*, nihil dicit præter habere idemmet corpus aliam relationem ad locum, & cùm non implicet idem corpus ad plura referri; at eundem effectum plures totales causas habere est à pluribus causis totalibus secundùm idem causari, quod implicat, non autem primum, eò quòd corpus non causetur à loco, sicut effectus à causa.

846. Ad confirmationem verò ex num. 841. respondeo negando similitudinem, videlicet, quòd sicut effectus est totaliter causatus ab una causa totali totaliter causante, ita corpus sit totaliter ubicatum ab uno ubi; & ratio disparitatis patet ex dictis, nam ubi adæquatum nihil causat de corpo-

corpore ubicato, sed solùm est respectus adæquatus fundatus in corpore quanto, quo adæquatè refertur ad unum locum locantem, tanquàm ad terminum, sive quòd idem est ad unum ubicativum, tanquàm ad suum terminum adæquatum, & idem fundamentum bene potest habere plures relationes adæquatas ejusdem rationis ad plures terminos adæquatos ejusdem rationis, quia ab illis non dependet, nisi in esse relato, non verò in esse absoluto; at verò effectus dependet à causa totali totaliter illum causante, tanquàm à quo totaliter accipit esse secundùm esse absolutum, & sic ab una causa accipit totum esse, quod ab alia accipiet.

847. Ad probationem verò antecedentis respondeo concedendo majorem, videlicet, quòd ideo effectus dicitur ab una causa totaliter causatus, quia nihil de effectu relinquitur alteri causæ causandum, quod non sit à prima causa causatum; & nego similiter minorem quoad similitudinem ob dictam rationem, quia licèt verum sit, quòd corpus *A*, v. g. totaliter sit ubicatum ab ubi *A*, quod nihil habet corpus ubicabile, quod non sit à prædicto ubi ubicatum, non debet intelligi hoc absolutè, sed cum addito restrictivo ab ubi *A*, ita ut sensus sit, nihil habet corpus humanum, quod sit ubicabile à quocumque ubi, quod ab ubi *A*, non sit ubicatum, quia corpus humanum secundùm aliam ubicationem est ubicabile ab ubi *B*, & secundùm aliam ab ubi *A*, etiamsi *A*, & *B*, sint ubi ejusdem rationis, quia quando corpus humanum est Hispali habet distinctam ubicationem ab illa, quam habet quando est Antiquariæ. At verò effectus, qui est ab una causa totali causatus, est ab illa causatus secundùm suum esse, & secundùm idem met esse nequit ab alia causari, quia taliter est causatus effectus ab una causa, quod est verum dicere sine limitatione, aut restrictione aliqua effectus est causatus à causa *A*, v. g. secundùm totum illud, quod est causabile tam à causa *A*, quam à *B*, & ab alia quacumque causa. Et sic corpus dicitur ubicatum adæquatè ab uno ubi secundùm totum illud, quod ab illo ubi est ubicabile, & non secundùm quod est ubicabile ab alio; sicut Pater refertur ad unum filium per unicam relationem Paternitatis, secundùm totum quod Pater referibile est, non absolutè, sed cum addito ad illum filium, non secundùm quod est referibilis ad alios, cùm ad alios alias rationes formales referendi habeat; at verò effectus est totaliter causatus ab una causa totali secundùm suum esse absolutè, quòd erat ab alia quacumque causa causabile, & hoc est maximè hic notandum; unde nego consequentiam.

848. Ex nuper dictis patet ad confirmationem ex num. 842. Ad roborationem vero contra Scoti fundamentum, quæ habetur num. 843. respondeo negando suppositum antecedentis, videlicet, quod ubi sit terminus adæquatus, vel inadæquatus, à quo dependeat corpus, etiam in esse ubicati, si de ubi formali fiat sermo, nam ubi formale ex dictis num. 845. ex Scoto non est nisi relatio extrinsecus adveniens, quæ fundatur in corpore locato, & terminatur ad locum locantem, & continentem corpus. Quod si loquatur de ubi fundamentali activo, hoc est de ultima superficie corporis continentis ubicatum, distinguo antecedens: non implicat, quòd idem

idem corpus habeat duplicem terminum adæquatum ſuæ dependentiæ, à quo dependeat in eſſe ubicato formaliter ſecundùm duplicem ubicationem paſſivam, ſive duplicem relationem, quam habet ad plura loca, concedo: ſecundùm unam, & eandem ubicationem, nego. Hoc enim nullum eſt inconveniens, immò eſt neceſſarium, quòd Pater v. g. qui plures habet Filios, ab illis adæquatè dependeat ſecundùm relationem Paternitatis, non ſecundùm eandem, ſed ſecundùm diverſas relationes Paternitatis, quas habet ad plures Filios, multiplicato enim termino relationem multiplicari neceſſe eſt, idem dico de ubi, quod cùm relatio ſit, multiplicato termino, videlicet loco, ſive ſuperficie continente petit neceſſariò multiplicari; & nego argumenti conſequentiam. Et ad ejus probationem licet poſſet negari ly *ſicut*, ut patet ex dictis, tamen argumenti gratia ſimilitudine conceſſa, reſpondeo diſtinguendo antecedens: ſicut effectus in eſſe cauſabilis dependet ab una cauſa totali, ita corpus in eſſe ubicabili dependet ab uno ubi ubicante ſecundùm unam ubicationem paſſivam, concedo: ſecundùm aliam, quam ab alio ubi activè ubicante poteſt habere, nego. Conſultò ad hoc argumentum moroſius, quàm res poſtulabat reſpondere decrevi, quia revera ſubtiliſſimum eſt, & ſelectam Metaphyſicam involvit, ut veritas hujus celeberrimæ difficultatatis, ad quam jam jam deſiderio deſiderabam accedere, omnibus patefiat.

849. Quartò arguitur principaliter, & eſt argumentum, quod plus continet curioſitatis, quàm difficultatis: Pono ergo caſum poſſibilem, in quo duo ſacerdotes cum debita intentione, & omnibus aliis requiſitis verba conſecrationis proferrent ſuper eandem materiam, videlicet ſuper eandem hoſtiam, vel vinum; idem dico de duobus miniſtris, qui ſimul & ſemel verba abſolutionis proferrent ſuper pœnitentem eundem. Et eadem eſt difficultas de duobus, qui ſimul, & ſemel cum omnibus requiſitis circunſtantiis aquam effunderent ſupra baptizandum, & ſimiliter verba, quæ ſunt baptiſmi forma proferrent. Nullus dubitat, quin in primo caſu hoſtia maneret conſecrata, vel vinum, nec quòd pœnitens confitens maneret abſolutus, ſi aliàs non poneret objectionem, neque quòd puer baptizatus maneret: Ergo jam idem effectus, videlicet hoſtiæ conſecratio, gratia pœnitentialis in ſecundo, & gratia baptiſmalis in tertio à duplici adæquata cauſa, videlicet à duplici miniſtro adæquato poſſet provenire. Patet conſequentia, quia quilibet eſſet ſacramenti adæquatus miniſter, taliter quòd altero eorum deficiente ab altero perſeverante poſſet idem effectus evenire: Ergo non implicat, quod idemmet effectus poſſit à duplici cauſa adæquata cauſari.

850. Reſpondeo admittendo eventum tam in primo, quàm in ſecundo, & tertio caſu, & concedo ſimiliter, quòd hoſtia conſecrata maneret, pœnitens abſolutus, & baptizandus, ſive puer baptizatus, & nego ſuppoſitum conſequentis, videlicet, quòd in his caſibus, ſicut neque in aliis conſecratio fiat Phyſicè à Miniſtris, vel gratiæ pœnitentialis, vel baptiſmalis collatio; miniſter enim ſacramenti

menti non est causa Physica, sed moralis gratiæ, quæ in sacramento collocatur, sive confertur, sed tantùm causa instrumentalis moralis, sicut & ipsum sacramentum causa moralis est, non Physica Physicè influens, & causans gratiam, neque Physicam conversionem panis in corpus Christi. Deus enim est qui hæc omnia Physicè sua divina virtute efficit: & nos non ventilamus impræsentiarùm, utrùm idem effectus à duplici causa adæquata morali possit evenire, quia de hoc in Theologia, sed de causis Physicis, & realibus, quæ alterius longè ordinis sunt, & de his negamus id fieri posse, non curando de aliis.

851. Quintò arguitur: idem effectus potest fieri propter duplicem finem adæquatum, ita ut à quolibet finaliter adæquatè dependeat: Ergo idem effectus potest causari à duplici causa adæquata. Antecedens probatur: Petrus v. g. potest egredi è domo, & deambulare ob duplicem adæquatum finem, nempè ut visitet Paulum, & causa cousequendi salutem media deambulatione, sive exercitio, ita ut quolibet ex dictis deficiente, & alio fine perseverante nihilominùs sequeretur deambulatio: Ergo idem effectus potest à duplici causa finali provenire: Ergo & à duobus adæquatis efficientibus, formalibus, & materialibus. Patet consequentia, quia non est major ratio unius, quàm alterius.

852. Respondeo negando antecedens, & ad ejus probationem respondeo quòd in tali casu illi duo fines, videlicet, visitatio Pauli, & salutis assequutio non essent duo fines totales, sed partiales, ita quòd altero eorum deficiente sequeretur talis deambulatio, hoc non esset ex vi illius actus primæ volitionis, quo talem finem prosequebatur, sive amabatur, sed ex vi alterius actus supervenientis, qui esset intensior, & efficacior æquivalens duobus actibus præcedentibus, quibus illos duos fines prius amabat, ex quo nihil contra nos.

855. Sextò arguitur: si corpus luminosum ut quatuor v. g. applicaretur corpori Diaphano ut quatuor, ita ut illud corpus Diaphanum non esset capax essendi lucidum nisi ut quatuor, vel accipiendi illuminationem nisi ut quatuor, & postea aliud corpus lucidum ut quatuor eidem Diaphano applicaretur, evidens est, quòd tale corpus Diaphanum ab utroque lucido illuminaretur, & non quia causaret majorem illuminationem, cùm supponamus, quòd Diaphanum non esset majoris lumininis capax: Ergo illa illuminatio ab utroque adæquatè causaretur: Ergo idem effectus &c.

854. Respondeo, quòd si Diaphanum non esset capax ulterioris illuminationis, eò quòd esset ut quatuor illuminatum, nego suppositum, quòd si accederet aliud corpus luminosum, posset Diaphanum illuminare, non defectu virtutis luminosi, sed quia jam subjectum Diaphanum erat illuminatum à primo luminoso secundùm totum, quod erat capax. Quod patet experimento: si cereum accendatur, vel lampas, quando totus aër est illuminatus sole, utique non illuminatur magis aër à luce cerei,

vel lampadis, quàm antea erat, non quia in cereo accenso, vel lampade non sit vis illuminativa, sed quia jam est illuminatum illud, quod lampas, vel cereum accensum poterat illuminare, & sic jam non est quod efficiat. Alia minoris notæ argumenta omitto, hîc enim solùm proposui selecta, & quæ majorem obtinent difficultatem, qui plura desideraverit, authores consulat.

QUÆSTIO QUINTA,

Utrùm idemmet numero effectus ab una causa productus, potuisset ab alia produci?

855. POstquam quæstione præcedenti statuerimus, quòd effectus totaliter ab una causa productus non potest simul ab alia causa totali ejusdem rationis totaliter produci, in quibus supponere videmur, quòd idemmet effectus potest ab alia causa *A*. v. g. produci, & à causa B. ejusdem virtutis, si aliàs non obstat, attenta natura causæ efficientis, & effectus; in hac præsenti quæstione hoc ipsum, quod præsens supponit, investigamus, quapropter sit

ARTICULUS PRIMUS,

Ubi aliqua pro majori quæsiti intelligentia præmittuntur.

856. PRimò igitur est notandum, quòd quæstio non procedit de reproductione, sive iterata productione effectus, ita ut inquiramus, an effectus jam productus ab una causa, & existens, posset ab alia idemmet iterùm produci: quia cùm jam effectus productus sit, & existens, evidens est in via *Scoti*, ut patet in 4. *dist*. 11. *q*. 2. & 3. &. 4. quòd non possit iterata productione produci: unde ego, qui modò existo, & à Didaco Patre meo semel fui generatus, nec per divinam potentiam possum nunc ab alio Patre, immò neque ab ipso Deo iterùm produci, nec generari; utrùm autem per actionem transubstantiativam, sive unius substantiæ in aliam conversionem fieri possit, nec ne? non est hujus loci.

857. Secundò est notandum, quòd quæstio etiam non procedit de resurrectione, sive reproductione, quæ sic à Damasceno definitur: *resurrectio est ejus quod cecidit iterata, sive secunda productio*: teste commentatore Scoti super 4. dist. 43. q. 3. num. 2. fol. 42. an videlicet illud quod fuit productum, etiam periit, possit ab alia causa naturali, vel supernaturali ejusdem, vel superioris virtutis iterùm reproduci, sive restaurari, ita quòd Petrus, qui jam vita functus est, possit idemmet ab alio homine generari, vel à Deo iterùm instaurari, quia hæc difficultas longiorem petit discussionem ad Theologiam spectantem, ad tractatum de possibilitate resurrectionis, vide, si volueris interim *Scotum in* 4. *dist*. 43. *q*. 3. *per totam*, ubi pulchra valdè hujus quæsiti reperies.

858. Tertiò est notandum, quòd difficultas quæsiti stat in hoc, utrùm videlicet Petrus, qui fuit generatus à Paulo, potuerit in illo instanti, in quo generatus fuit, ab alio homine generari, ita ut Petrus non necessariò conjungatur cum Paulo, sed idemmet Petrus potuerit ab alio quocumque agente generari, ita ut sine implicatione idemmet Petrus, qui est filius Pauli, potuerit

rit esse Filius Francisci, vel alterius hominis, & idem de aliis, ut ignis hic v. g. qui productus fuit ab igne *A*. potuerit idemmet ab igne *B*. produci.

859. Quartò est notandum, quòd licèt hæc difficultas potissimè in causa efficienti, & ejus effectu habeat locum, potest nihilominùs de alia quacumque causa ventilari, & sic idem inquirimus in præsenti de causa materiali, & formali, nec non & de causa finali ventilari, utrùm scilicet idemmet compositum potuerit ab alia resultare materia, vel ab alia forma ejusdem rationis, vel alio fine numero diverso, ita quòd variato fine, materia, forma, vel agente necessariò debet effectus variari, nec ne?

860. Quintò est notandum, quòd licèt quæstio procedat de effectu comparato ad causam pro illo signo, in quo fit, ut constat ex tertio notabili, tamen de effectu comparato ad causam in triplici sensu explicato, licet breviter agemus, ut nihil intactum remaneat, quod difficultatis speciem gerat, quoad minus habeatis notitiam de illo, quid sit dicendum in via, & doctrina Scoti, quapropter quæstionem in tres dividam articulos, in primo quorum, qui erit in ordine secundo agemus de reproductione existentium in sensu num. 856. explicato; in secundo, & tertio in ordine de reproductione, sive ejus, qui cecidit, & periit iterata productione erit sermo; in tertio denique ad quæsitum principale respondeam, quapropter sit

ARTICULUS SECUNDUS,

Utrùm effectus jam productus, & existens in re ab una causa posit ab alia causa produci naturaliter?

861. Sit prima conclusio: effectus ab una causa productus, & in re existens non potest naturaliter ab alia causa produci. Hæc conclusio communis est inter authores Scholasticos; & probatur: quia effectus jam taliter productus, & existens prout talis non habet aliquid producibile, quod jam non sit productum: Ergo nequit iterùm reproduci. Probatur consequentia; causabile, sive producibile in suo conceptu formali dicit esse in potentia ad esse existens, & negat actum existentialem: Ergo effectus, qui jam est productus, & sub actu existendi nequit esse producibilis, sive causabilis ab alia causa. Patet consequentia, quia causatum, & causabile distinguuntur sicut ens in actu, & ens in potentia; sed de eodem non potest verificari, quòd simul sit in actu, & in potentia: Ergo de eodem nequit affirmari, quòd semel sit productus, & simul sit producibilis à causa quacumque.

862. Sit secunda conclusio: etiam divina potentia attenta nequit iterùm reproduci ab omnipotentia divina, sive ab alia quacumque causa ejusdem, vel alterius rationis. Ita *Scotus in 4. dist.* 11. *q.* 2. *sub num.* 9. *§. sed adhuc restat. & q.* 3. *num.* 20. *&* 19. & commentator Scoti ibidem num. 64. & probatur ratione: quidquid est in potentia ad esse in effectu reducitur ad actum per suam causam totalem: Ergo sicut impossibile est quòd idem sit simul in actu

in actu, & in potentia, ita impossibile est, quòd effectus, qui est in actu existendi ab una causa productus, sit in potentia ad eandem existentiam, sive in esse producibili ab alia causa. Idem tenent omnes Scotistæ, quatenus affirmant, quòd Christus Dominus non reproducitur actione transsubstantiativa, eò quòd sit jam productus; potestque probari ferè omnibus rationibus, quibus probavimus de mente Scoti eundem effectum non posse dependere à duplici causa totali. Qui plura desideraverit, authores consulat, quia alia, quibus conclusio probatur, non sunt hujus loci.

ARTICULUS TERTIUS,

Utrum effectus jam productus, qui periit, possit ab alia causa iterum reproduci?

863. PRO hujus quæsiti intelligentia nota, quòd dupliciter potest difficultas ventilari; utrum videlicet sit possibile, quòd illud, quod periit, reproducatur per divinam potentiam, vel naturaliter à causa naturali creata? De primo sensu non est dubium, cùm fide tenendum sit, quòd *omnes quidem resurgemus.* De secundo fuit error Philosophorum, quos refert *Scotus in 4. dist. 43. q. 3. num. 2.* qui affirmarunt omnia esse reditura eadem, transactis triginta sex millibus annis, ex eo quòd tunc causæ omnes universales, Sol videlicet, & astra, ad eundem situm, & locum reversuræ sunt, in quo fuerunt creatæ; & sic non solùm possibile fatentur, sed de facto eventurum dicunt. Alii è contra affirmarunt, inter quos est Divus Thomas, quòd naturaliter impossibile est, quod effectus, qui jam periit, iterùm à natura reproducatur, nisi interveniente miraculo.

864. Sit ergo nostra conclusio; etsi omnia, quæ perierunt, non possint à natura reparari, sive reproduci, tamen aliqua, immò quàm plura sunt, quæ possunt iterùm reproduci à natura, sive à causa naturali, non interveniente miraculo. Ita *Scotus expressè in 4. dist. 43. q. 3. §. tertia opinio. num. 9.* Ubi postquàm ait: *tertia opinio, quæ ponit, quòd etsi non omnia possunt redire eadem numero per actionem naturæ, tamen aliquid potest redire idem numero:* postea num. 12. ait: *quantum ad istum articulum respondeo, quòd opinio tertia videtur probabilior.* Idem tenent omnes veri Scotistæ, ut Tataretus, Leuquotus, & novissimè noster Antonius Hiquæus, Scoti fidelis commentator ibidem.

865. Probatur ergo conclusio ex parte causæ: causa, quæ habet virtutem ad producendum aliquem effectum, eodem modo se habet quoad intrinsecam virtutem causæ post productionem effectus, & ejus desitionem, ac antea se habebat; sed anteaquàm produceret, erat potens illum producere: Ergo & postea, si eadem perseveret causa, & desinat esse effectus. Major probatur: quia per productionem, quæ est actus secundus causæ, non variatur quoad intrinsecum causæ, quod est actus primus; patet, quia per nullum accidens variatur quoad intrinsecum substantia: minor ex se

ſe patet, conſequentia eſt legitima: Ergo &c.

866. Secundò probatur ex parte effectus: effectus, qui periit ejuſdem rationis eſt, & naturæ, ac ipſe quando non erat productus, vel anteaquàm produceretur; ſed anteaquàm produceretur à cauſa habente virtutem ad illam producendam, erat producibilis ab illa ſua natura attenta: Ergo poſtquàm periit, ſi perſeverat cauſa, poterit ab illa iterum reproduci. Major eſt per ſe nota: ſicut enim antequàm produceretur effectus nullum habebat eſſe actuale, ſed tantum erat in eſſe poſſibili, ſive non repugnantiæ logicæ, ita poſtquàm fuit, & corruptus eſt, nullum habet eſſe actuale, ſed ſolùm eſt in eſſe poſſibili, ſive non repugnantiæ: Ergo &c. Et quòd talis effectus poſſit ſecundò cauſari, poſtquàm periit ab alia cauſa ejuſdem virtutis, & ordinis, ac fuit illa, à qua fuit primò productus, ex dicendis articulo ſequenti patebit. Unde ſi Deus eandem materiam, & formam reproduceret, cùm jam eſſent annihilatæ, neceſſariò cauſarent, ſi unirentur eidem compoſito naturaliter; ſi eadem extrema relationis reſurgerent naturaliter, eadem reſultaret relatio. Unde in Chriſto Domino reſurgente, eadem reſultaret relatio filiationis ad Matrem, & in Matre eadem relatio maternitatis ad Filium, quæ fuit in triduo interrupta. Vide pro hac difficultate Scotum ubi ſupra, qui plura pulchra affert ſcitu digna, etſi non hujus loci.

ARTICULUS QUARTUS,

Oſtenditur de mente Scoti eundem numero effectum, qui ab una fuit cauſa productus, potuiſſe in ſuo fieri ab alia cauſa ejuſdem rationis produci.

867. SIT prima concluſio: effectus Phyſicus ſubſtantialis, compoſitum videlicet ab hac materia *A* videlicet, & forma *B* reſultans, ſive cauſatus in genere cauſarum intrinſecarum, non poteſt idem numero effici, cauſari, ſive reſultari à forma diſtincta, quæ non ſit *B*, vel ab alia materia, quæ non ſit *A*; ita ſtante variatione numerica ex parte materiæ, vel ex parte formæ neceſſariò compoſitum erit aliud. Ita *Scotus expreßè lib. 7. Metaph. Ariſtotelis ſummæ 2. cap. 12. textu, & commento 39. ſub num. 96. & in ſua Metaphyſica q. 16. & in 2. diſt. 2. q. 2. num. 3. & in 4. diſt. 43. q. 2. in fine. & in 3. diſt. 22. q. unica §. contra iſta ſub num. 5. & infra*: Ubi probat ex 12. Philoſophi concluſionem, qui quidem Philoſophus 12. Metaph. cap. 1. text. & comm. 27. ait: *principium enim ſingularium, ſingulare.* Et 8. Metaph. cap. 5. text. 11. *quorum verò de neceßitate eſt altera materia, ipſis exiſtentibus alteris.* Et Scotus in 3. citato ait: *per Philoſophum cauſæ, & effectus proportionantur, ſi genere, genere, ſi numero, numero*: Ergo ſi cauſa intrinſeca eſt numero diſtincta, ita effectus numero diſtinctus erit.

868. Et probatur ratione Scoti ibidem: ideo compoſitum eſt unum numero, quia compoſitum eſt ex hac materia numero, & ex

& ex hac forma numero: Ergo variato aliquo istorum intrinsecorum principio, sive alio numero existente principio, aliud numero compositum esse necesse est. Et roboratur: variato intrinseco constitutivo intrinsecum constitui variari necesse est; sed variata numero forma, vel materia, variatur intrinsecum constitutivum hujus compositi: Ergo & ipsum compositum variari, sive esse aliud est necesse. Vide *Scotum in 3. citato*, & præcipuè in Metaphysica Aristotelis lib. 12. sub num. 21. in fine.

869. Sit secunda conclusio: idemmet numero effectus, qui fuit ab una causa productus, potuit sua natura attenta ab alia causa efficienti, vel finali ejusdem ordinis, & virtutis produci, ita ut idem Petrus v. g. qui Filius est Pauli, potuit esse Filius Francisci. Hæc conclusio est contra Divum Thomam, qui docet oppositum, quodlibet. 5. art. 8. his verbis: *impossibile est eundem Filium nasci, sive sit alius Pater, sive alia Mater; sicut etiam non est idemmet numero sigillum, sive sit alia cera, sive sit aliud corpus sigilli, ex cujus impressione cera sigillatur.* Divum Thomam sequuntur omnes ejus Scholæ, & ex Jesuitis quàm plures.

870. Hæc conclusio habetur expresse à *Scoto in 4. dist. 43. q. 1. num. 13. in fine, & q. 3. §. tertia opinio. v. contra primam. num.* 80. *ubi ait: similis influentia sufficit ad identitatem effectus, si enim in instanti A, esset aliud agens approximatum passo, produceret idem numero, quod istud agens producit, & tamen illa influentia non esset eadem numero cum influentia istius, sed tantùm similiter* &c. Quod docuit expressius in 2. dist. 20. q. 2. §. dico. num. 3. dico, sicut dictum est, quòd idem homo in numero, non solùm quoad animam, sed etiam quoad corpus organicum potuit esse Filius Adæ, & Filius Abrahæ, & ex quocumque istorum duorum fuisset, idem numero fuisset.

871. Et infra: *dices, quòd identitas numeralis in effectu, non solùm requirit identitatem numeralem materiæ, sed etiam efficientis.* Respondet Doctor subtilis: *dico, quòd non oportet, ignis enim A. quantitatis, & virtutis tantæ, si ex tali materia ignem talem generaret; ignis B, ejusdem virtutis, & qualitatis pro eodem instanti, si in istam materiam ageret, eundem ignem in numero produceret, non obstante, quòd generatus sit aliud, & aliud numero; quia generatum non sequitur præcisè unitatem, vel pluralitatem ex generante.*

872. Probatur conclusio ratione, & primò ex parte causæ: causæ, quæ sunt ejusdem ordinis, & perfectionis, uniformiter respiciunt quodcumque causabile: Ergo causæ, quæ sunt ejusdem ordinis, & perfectionis, uniformiter valent eundem producere effectum. Antecedens probatur: ideo causæ ejusdem ordinis, & perfectionis vocantur, quia quidquid relucet perfectionis, & ordinis in una, relucet & in alia; sed in causa *A*, v. g. relucet ordo, & perfectio, qua potens est in hunc numero effectum: Ergo & in causa *B*, ejusdem ordinis, & perfectionis idem ordo, perfectio, & virtus relucet, qua sit potens in eundem effectum: Ergo effectus ab una causa productus potuit ab alia ejusdem ordinis, & virtutis produci. Et roboratur: ideo Franciscus v. g. potuit generare Paulum, quia Paulus intra sphæram virtutis Francisci continebatur, ita ut Paulus non esset altioris ordinis,

dinis, & perfectionis Francisco, immò æqualis perfectionis; sed similiter Paulus non est alterius ordinis, & perfectionis Antonio, immò æqualis perfectionis, & virtutis cum illo (habent etenim eadem essentialia prædicata) ergo sicut Paulus potuit à Francisco produci, ita & ab Antonio ejusdem ordinis, & virtutis.

873. Quod exemplo confirmo, simul & declaro: ideo Paulus dicitur potens levare hoc pondus ut octo v. g. cathedram hanc, quia hæc cathedra non excedit vires Pauli, immò intra sphæram suarum virium continetur ejus levatio; & idem dico de Petro, qui potens est idem pondus levare: Ergo sicut in Petro, & Paulo datur virtus ad idem numero pondus levandum, ita ad eundem numero effectum producendum. Probo consequentiam: ideo datur in Petro, & Paulo virtus ad idem numero pondus levandum, quia pondus non exsuperat vires eorum cujuslibet; sed similiter effectus non excedit in perfectione, neque virtute vires causarum, quæ ejusdem perfectionis, & virtutis supponuntur: Ergo sicut potest ab una causa produci, ita & ab alia.

874. Probatur ex parte effectus hæc possibilitas: effectus ad hoc quod sit idem numero, nihil aliud petit, quàm quòd ex hac numero materia, & ex hac numero forma constituatur, ita ut agente extrinseco variato (idem dico de fine extrinseco) dummodo eadem materia, & eadem forma perseveret, idem numero dabitur compositum, quocumque extrinseco variato: Ergo quòd idem numero compositum sit, vel non sit, non attenditur penes identitatem agentis, quod quid extrinsecum composito est (idem dico de fine) sed penès principia intrinseca eadem, quæ sunt materia, & forma. Antecedens probatur primò ratione, secundò ex fide: ubi dantur eadem intrinseca constitutiva, idem datur intrinsecum constitutivum, sed hæc materia, & hæc forma sunt intrinseca constitutiva hujus compositi numero: Ergo eò quòd eadem materia, & forma detur, datur identitas effectus, sive compositi. Et quòd hæc sit etiam efficiente variato, vel fine sic ostendo: quidquid est extrinsecum constituto, nequit variare intrinsecam rationem constituentis; sed finis, & efficiens sunt causæ extrinsecæ compositi: Ergo nequeunt variare intrinsecam rationem constitutivam compositi: sed compositum esse hoc numero habet à suis intrinsecis constitutivis, materia videlicet, & forma: Ergo hæc nequit variari quacumque variatione existente in agente, vel fine, quæ extrinseca sunt composito.

875. Probatur ex fide hoc ipsum: de fide tenendum est, quòd idemmet numero homo resurrecturus in novissimo die, hoc est Fidei articulus. Hoc supposito sic probo intentum evidenter: in tali resurrectione generali idemmet numero Isaac, qui fuit Filius Abrahæ, & ab illo habuit esse per Physicam actionem generativam, reproducendus est à Deo per aliam actionem reproductivam: Ergo idemmet numero homo potest produci ab alio agente præter illud à quo fuit productus, & per aliam actionem ab illa, per quam esse accepit: Ergo ad identitatem effectus non requiritur identitas agentis, immò neque actionis, quia si hoc esset per se de intrinseca ratione constitutiva

tutiva effectus non posset fieri à Deo, sicut non potest fieri à Deo idem compositum, materia variata, vel forma. Et confirmatur ratio secunda principalis: ideo in tali resurrectione idemmet erit Isaac, quia idemmet corpus, & anima reunientur ad constitutionem ejusdem compositi: Ergo ad identitatem compositi solùm requiritur identitas materiæ, & formæ, & non agentis, vel finis, siquidem variato agente, & materia, & forma eisdem perseverantibus de fide est, quòd idem redibit homo.

876. Ex dictis apparet, quòd idemmet numero effectus ab una causa productus potuit ab alia ejusdem, vel superioris virtutis produci, ita quòd effectus non necessariò petit hanc numero causam, ut sit idem numero, sed à quocumque agente producatur, erit idem, si sua intrinseca principia sunt eadem. Unde Petrus qui Filius est Pauli potuit esse idemmet Filius Francisci, & ignis generatus ab uno igne, potuit à quocumque igne ejusdem rationis generari; & idem calor numero, qui fuit ab igne productus in hoc subjecto, potuit in eodem subjecto à sole, vel à Deo, vel ab alio calore produci, sive causari, & sic de aliis, quia effectus non petit magis hanc causam, quàm illam, sed causam habentem virtutem, & cùm virtus ad idem in pluribus agentibus possit dari, & de facto detur, hinc fit, quòd accidentaliter sit effectui ab hac causa produci, & non ab alia.

Argumenta contra dicta.

877. PRimò arguitur contra primam nostram conclusionem articulo secundo hujus quæstionis positam num. 860. in qua affirmamus, quòd effectus, qui jam est productus ab una causa, & in re existens, nequit ab alia causa produci, & est argumentum, quod etiam militat contra secundam conclusionem ibi positam, quod tale est: ex à nobis dictis num. 871. & infra Filius Abrahæ potuit esse Filius Adæ, sive alterius hominis, & ignis *A* potuit similiter produci ab igne *B*, & ab alio ejusdem rationis, eò quòd ad producendum eundem numero effectum in qualibet causa ejusdem rationis detur æqualis virtus: Ergo effectus ab una productus causa, potest produci ab alia, etiamsi ab una sit productus. Probo consequentiam: ideo prima causa valuit producere talem effectum, quia effectus talis erat intra sphæram, & virtutem talis causæ, & aliàs virtutem illius non exuperabat; sed talis idem effectus intra sphæram, & activitatem alterius causæ continetur, & aliàs non exuperat talis secundæ causæ virtutem: Ergo ob eandem rationem posset ab alia produci. Major est certa, & minor probatur: per hoc quod effectus productus sit à causa *A*, non tollitur, sive aufertur aliquid de virtute à causa *B*: Ergo si antequàm produceretur, erat potens quælibet illum effectum producere, etiam postquàm ab una causa productus est, poterit ab alia produci.

878. Respondeo ad argumentum concedendo antecedens, & negando consequentiam: & ad ejus probationem concedo majorem, & nego minorem: per hoc quod effectus sit productus à causa *A*, non tollitur, sive aufertur aliquid de virtute à causa *B* ejusdem rationis quoad intrinsecum, & essen-

essentiale, concedo: quoad exercitium virtutis, sive causalitatis, nego: quia licèt verum sit, quòd in causa *B*, antequàm effectus produceretur ab *A*, erat virtus ad eundem producendum effectum, & quoad actum primum, & quoad actum secundum, tamen postquàm effectus talis semel est productus, non manet eadem virtus quoad actum secundum, & exercitium productionis, licèt maneat quoad actum primum, & quoad intrinsecum virtutis, quia ad actualiter producere effectum non solùm requiritur in actu primo, potens, sed quòd effectus producendus non sit productus, sed producibilis; & cùm jam supponatur effectus productus, implicat, quòd sit ulterius producibilis. Vide, quæ ibidem num. 862. diximus, & ea applicate hîc.

879. Secundò arguitur contra illam nostram conclusionem n. 864. hujus positam in tertio articulo, in qua asserimus possibile esse per naturam, quod effectus, qui periit, possit reparari, sive iterata productione produci, & præcipuè contra rationem, qua probatur conclusio, quæ n. 865. habetur: ideo effectus, qui periit, potest idemmet per virtutem naturæ produci, quia causa, quæ dedit esse effectui, eodem modo se habet quoad intrinsecum suæ virtutis, postquàm effectus periit, ac antea se habebat, antequàm produceret effectum, & causa perseverante, eadem virtus in illa manebit: ergo idem Pater perseverans, & eadem mater possent eundem Filium, qui jam fuit, & periit generare, & hoc naturaliter, sed nunquàm visum est in natura tale: Ergo falsa est conclusio, quæ illo nititur fundamento.

880. Respondeo ad argumentum primò, quòd quando dicimus cum Scoto, quòd si causa perseverat, potest producere eundem effectum, non intelligimus ibi, quòd perseverantia causæ efficientis ejusdem sit per se necessaria ad talem eundem effectum, cùm aliàs dicamus, ut habetur n. 869. & sequentibus, quòd effectus non petit determinatè fieri à tali efficienti causa, ita ut idem effectus non possit causari ab alia ejusdem activitatis, & virtutis, sed ponitur, quòd causa perseveret eadem per æquipollentiam, hoc est illa, vel alia eandem habens virtutem, & primæ æquivalens. Nunc in forma respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam, quia ad hoc quòd Pater posset eundem producere, sive generare Filium, & idem dico de matre, necessum erat, quòd eandemmet numero materiam, quam pater ministravit, & mater in Filii generatione, eandemmet posset iterum ab illo Patre, & Matre ministrari in secunda generatione; cum ex dictis num. 867. & 868. identitas compositi identitatem ejusdem materiæ, & formæ exposcat; at cùm materia, quæ fuit ministrata à Patre per seminis desitionem, sit jam extra Patrem, & sub forma Filii corrupti, hinc fit, quòd nec Pater, nec Mater possint eandem ministrare materiam, & sic neque eundem Filium corruptum iterata generatione generare.

881. Tertiò arguitur contra nostram secundam conclusionem ex quarto articulo, n. 869. in qua asserimus, quòd idemmet numero effectus ab una causa causatus, potuit in suo fieri ab alia quacumq; causa causari ejusdē ordinis, & virtutis: & 1. authoritate *Philosophi*, qui 8. *Metaph. cap.* 5. *text. & comm.* 11.

ait sub num. 28. *contingit autem una materia existente fieri diversa propter moventem causam:* Ergo ex mente Philosophi ad identitatem effectus non solùm requiritur identitas formæ, & materiæ, sed etiam moventis, sive agentis. Item ibidem num. 28. text. & comm. 12. *nam si & materia altera, & movens, & quod factum est, supple, aliud erit*; ut ait *Scotus* in 4. dist. 43. q. 3. sub num. 9. respondetur; item idemmet Scotus ibidem explicando Philosophum sub num. 28. citato §. determinat in fine ait: *ex hoc habetur alia conclusio, quòd identitas effectus est ex identitate efficientis, & materiæ:* Ergo apertè repugnat dicta conclusio Scoto, & Philosopho.

882. Respondeo ad argumentum, quòd verum est, quòd Philosophus ait in prædictis verbis, quòd contingens est, quòd ex eadem materia fiat diversum compositum propter diversitatem agentium, non enim est necessarium, quòd ex eadem materia semper idem generetur, cùm diversa composita ex illa possint generari; cæterùm non ait Philosophus quòd semper quod agens est diversum, etiamsi materia sit eadem, non possit idem compositum generari. Ad secundam authoritatem ex Philosopho respondeo cum *Scoto in 4. dist. 43. q. 3. dist. 3.* quòd verum est, quòd si materia est altera, & agens est aliud, effectus erit alius, sed non propter diversitatem agentis, & alietatem materiæ. Ad illa verba ex Scoto respondeo cum eodem Scoto ibidem, quòd identitas effectus bene sumitur ex identitate materiæ, & agentis, licèt identitas utriusque non semper necessariò concurrat: sentit ergo Scotus, quòd identitas unius, scilicet materiæ, est, quæ necessariò ad identitatem effectus requiritur, & identitas agentis non necessariò, sed accidentaliter, quod & nos fatemur.

883. Quartò arguitur: ideo ex dictis supra q. 4. art. 2. num. 827. idemmet numero effectus non potest à duplici totali causa produci, quia ex tali suppositione sequeretur, quòd ab utraque simul dependeret effectus per se, & à natura dependeret, cùm sine utraque divisim posset idemmet effectus esse; sed si effectus ab una causa productus posset in suo primo fieri ab alia produci, sequeretur, quòd effectus taliter esset à causa, à qua producitur, quòd posset ab alia esse: Ergo ab illa dependeret per se, & non dependeret: Ergo eadem implicatio, & contradictio datur hîc, ac ibi: Ergo sicut ibi repugnat, etiam hîc, & sic &c.

884. Respondeo ad argumentum concedendo majorem, & negando minorem; & ratio est conspicua: si effectus enim *A*, qui à causa *B* producitur, ab alia produceretur, sequeretur, quòd à causa *B* non dependeret, ex eo quòd non ab illa, sed ab alia produceretur, & ex hoc non sequitur contradictio illa de dependentia ab eadem causa simul, & semel; at verò si effectus *A*, qui à causa *B* producitur, ab alia simul produceretur, sequeretur, & quòd à causa *B* dependeret, & quòd ab illa alia causa, à qua etiam produceretur, dependeret, & quòd à neutra dependeret, ex eo quòd sine cujuslibet earum causarum concursu idemmet effectus esset pro eodem tempore & loco; sed quod sequitur, ex eo quòd effectus *A* taliter producatur à *B*, quòd pro eodem tempo-

tempore posset ab alia causa produci, & non quòd dependeat simul à *B*, & non dependeat, sed quòd taliter dependeat à *B* in suo fieri, quòd posset non dependere, cùm posset ab alia causa produci pro eodem instanti, quod nos libenter concedimus, cùm dicamus, quòd non necessariò conjungitur effectus hic numero cum hac numero causa efficiente, sed contingenter, cùm idemmet effectus possit ab alia causa produci, ex quo nil contra nos.

885. Quintò arguitur: causa distincta necessariò causat per actionem distinctam; sed actio distincta petit terminum distinctum: Ergo causa distincta necessariò petit causare effectum distinctum: Ergo implicat, quòd idemmet effectus possit à duplici causa ejusdem virtutis divisim causari. Ulterius causa ejusdem rationis potest in eundem effectum, ac alia ejusdem rationis, quælibet causa ejusdem speciei poterit producere quemlibet effectum ejusdem speciei; sed hoc est falsum: Ergo &c.

886. Respondeo ex *Scoto in* 4. *dist.* 43. *q.* 3. *§. tertia opinio. v. contra primam responsionem. num.* 10. *& q.* 1. *in fine* concedendo majorem, & negando minorem; quia licèt terminus distinctus necessariò petat actionem distinctam, non tamen è contra actio diversa infert terminum diversum, quia illa actio, per quam homo resurrecturus est à mortius, actio quidem miraculosa, & divina erit, & tamen terminus illius actionis idemmet homo erit, qui fuit actione generativa naturali alterius hominis productus. Insuper certum est apud omnes, quòd Deus per se solus potest producere in genere efficientis quemcumque effectum à causa creata in eodem genere productum, & tamen actio illa, qua Deus valet talem effectum producere, distincta specificè est ab actione causæ secundæ, à qua accipit esse talis effectus. Ad aliud de causa ejusdem speciei, respondeo, quòd si individua ejusdem speciei sunt ejusdem perfectionis, etiam individualis, quos effectus valet una causa producere, valebit & alia ejusdem speciei; at verò si sunt inæqualis perfectionis individualis, causa inferior non poterit effectum etiam ejusdem speciei altioris ordinis individualis producere; unde calor ut quatuor etiamsi ejusdem sit speciei cum calore ut octo, non poterit illum producere, ex eo quòd calor ut octo altioris perfectionis gradualis, sive individualis sit.

887. Sextò arguitur: effectus ut sit causæ efficientis necessariò petit causam efficientem ut sic, à qua dependeat, & producatur: Ergo effectus talis ejusdem generis causæ necessariò petit causam talem, à qua dependeat, & producatur. Antecedens est per se notum, & nihilominus probatur: effectus ex sua intrinseca ratione petit causam, à qua fiat: Ergo effectus talis generis, videlicet efficientis, necessariò petit causam ejusdem generis, à qua fiat. Consequentia probatur: sicut se habet effectus ut sic ad causam, ita effectus talis ad causam talem; sed effectus causæ efficientis ut sit necessariò petit causam efficientem ut sic: Ergo effectus talis ejusdem generis necessariò petit causam talem ejusdemmet generis: Ergo taliter effectus talis petit causam talem, quòd ab alia nequit causari.

888. Respondeo concedendo antecedens, & distinguendo consequens: effectus

talis petit causam talem determinatè, nego: vagè, concedo. Unde verum est, quod talis effectus petit talem causam, sed non hanc singularem determinatè, ita quòd non aliam, sed causam talem, vagè hanc, vel illam, vel illam; & ratio est, quia cùm actiones sint singularium, necessariò effectus singularis petit singularem causam, sed non determinatè, sed vagè; quod patet exemplo in simili argumentatione: corpus quantum ut sic petit locum extensum ut sic: Ergo corpus quantum tale petit locum talem essentialiter, nego: quia potest esse sine hoc, & sine illo, non tamen sine aliquo: superficies petit calorem: Ergo talis superficies talem calorem, non valet, nisi intelligatur de tali calore, non determinatè, sed vagè. Et ad probationem consequentiæ nego majorem: non enim sicut effectus ut sic petit causam ut sic, sic effectus talis petit causam talem, nisi in sensu explicato; materia enim ut sic petit formam ut sic: Ergo materia prima talis petit formam talem; non valet, quia materia prima ut sic essentialiter formam ut sic petit talem, sed vagè, idem in nostro casu, ex quo nihil contra nos.

889. Sed petes pro complemento quæsiti, utrùm ad hoc quòd calor v. g. productus ab igne posset ab alio igne, vel agente idemmet causari, necessariò requireretur eadem temporis circumstantia, idemmet locus, eademmet applicatio, & sic de aliis circumstantiis, ut tempore illo, in quo fuit productus transacto, vel variato loco &c., non posset idemmet effectus produci? Respondeo cum Scoto in 4. dist. 43. q. 3. num. 10. negativè, quia tempore transacto, variato loco, & aliis circunstantiis, idemmet effectus, qui fuit productus à causa *B*, pro instanti *A*, si ab illa non produceretur, posset idemmet ab alia causa produci pro alio instanti; & ratio est manifesta, quia loci, temporis, & applicationis circumstantiæ, quid extrinsecum sunt effectui, & propter variationem extrinsecam, nunquàm intrinsecum variatur. Et dicta pro hac secunda distinctione de causis ut sic sint satis, ut ad alia transeamus.

DISTINCTIO TERTIA

Physicalis de causis intrinsecis, materia, & forma.

POstquàm quæstionibus præcedentis distinctionis egimus de causa ut sic in universali, nec non & aliis, ad ejus pleniorem notitiam restat nunc agere de causis in particulari, & cùm inter has causæ intrinsecæ immediatores sint composito, utpotè partes ejus essentiales, priùs de illis agere decrevi, & cùm materialis necessariò ad formalem supponatur, prius de illa, & postea de formali agemus.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit causa materialis, & quæ ejus causalitas?

DUO petit titulus, primùm quid causa materialis sit? Secundò in quo ejus causalitas constituenda sit? Quapropter quæstionem in duos dividam articulos, in quorum primo ad primum, & in secundo ad secundum satisfaciam, quapropter sit

ARTI-

ARTICULUS PRIMUS,

Quid sit causa materialis?

890. PRO cujus enodatione nota, quòd causa materialis, & formalis conveniunt in hoc, quòd utraque dicitur, & est causa intrinseca compositi: unde pro utraque hanc definitionem tam materialis, quàm formalis causæ convenientem, quatenùs utraque intrinseca est, possumus adhibere: *causa intrinseca est, quæ per intrinsecam sui exhibitionem influit esse in aliud.* Illa particula, videlicet *influit esse in aliud*, est ratio quasi generica, per quam conveniunt causæ intrinsecæ cum extrinsecis: altera verò particula *per intrinsecam sui exhibitionem*, est ratio differentialis, per quam causa intrinseca ab extrinseca secernitur, quæ non per sui exhibitionem intrinsecam, sed per influxum extra effectum manendo dat esse effectui; quæ quidem intrinseca causa adæquatè dividitur in materialem, & formalem, cùm præter has nulla alia sit causa, quæ per sui exhibitionem intrinsecam effectui communicet esse.

891. Quo supposito causa materialis sic à Philosopho definitur 5. Metaph. cap. 2. textu, & commento 2. *causa verò dicitur uno quidem modo, ex quo fit aliquid in existente*; id est, ut explicat Scotus ibidem sub num. 6. §. postquam in fine: *ex quo intus existente fit aliquid.* Quod latius Scotus ibidem explicat, & declarat, & 2. Physic. tract. 3. text. & comm. 28. sic illam definit: *uno modo dicitur causa illud ex quo fit aliquid cùm insit* (ubi Scotus in hoc 2. q. 4. num. 23.) *& oportet addere, ex quo præsupposito, ad differentiam formæ.*

892. Ex quibus definitionibus aliam colligo pro materiali causa clariorem, conformioremque nostris principiis, quæ talis erit: *causa materialis est illa, ex qua præsupposita aliquid fit, cùm ei intrinsecè insit*: vel sic: *causa materialis est principium primum substantiale influens in aliud per sui intrinsecam præsuppositam exhibitionem per modum potentiæ.* Prima definitio sic est intelligenda, quòd illa particula *cùm ei intrinsecè insit*: est ratio quasi generica, per quam convenit materialis causa cum formali, cùm utraque intrinsecè insit; illa verò particula *ex qua præsupposita*: est particula differentialis, cùm forma non sit præsupposita ad fieri compositi, sed materia. Secunda verò definitio sic debet intelligi, quòd ly *principium influens esse in aliud*, sit ratio generica, per quam convenit causa materialis, non solum cùm formali, sed etiam cum efficiente, & finali, per ly *intrinsecam sui exhibitionem*, convenit cum causa formali solùm, & differt ab efficiente, & finali: per ly *præsuppositam* differt à causa formali, quia forma non præsupponitur in quacumque generatione, sed materia, & etiam ab illis causis. Quæcumque earum potest sustineri.

893. Sed pro pleniori intelligentia est notandum, quòd si dicta definitio pro causa materiali assignata rigorosè sumatur, coincidit cum illa, quam pro materia prima tradidimus dist. 2. de materia, q. 1. art. 3. num. 381. unde in hac acceptione rigorosa solùm materia prima est, quæ verò est causa materialis; at verò si in tota sua latitudine sumatur, ut sumitur ab Aristote-

le ubi ſupra, ut videre licet in ipſo textu, ad plura ſe extendit cauſa materialis, quàm materia prima. Unde noſter Pitigianus in ſuis annotationibus ad textum *Ariſtotelis & Scoti* in 2. Phyſic. q. 4. num. 26. ait: *nota, quòd nomine materiæ* (id eſt cauſæ materialis) *Ariſtoteles intelligit omne receptivum formæ, ſive materia prima ſit, ſive ſecunda.* Unde compoſitum, quatenùs receptivum formarum accidentalium, in hac acceptione erit cauſa materialis, & aurum, quatenùs materia, ex qua conficitur anulus, & ſic quod habet reſpectu alterius rationem ſuſceptivi poteſt dici materialis cauſa, licèt non poſſit dici materia, niſi latè; circa ea, quæ diximus de quidditate cauſæ materialis ferè nulla eſt controverſia, maxima autem eſt in aſſignanda ejus cauſalitate, quapropter ſit

ARTICULUS SECUNDUS,

Quæ, & qualis ſit cauſæ materialis cauſalitas?

894. GRaviſſima quidem eſt difficultas, quæ inpræſentiarùm enodanda ſe offert, quapropter articulum iſtum in duas dividam partes, in quarum prima ſtatum controverſiæ adaperiemus, & aliqua pro enucleatione quæſiti præmittemus; in ſecunda verò aliorum placitis relatis, & impugnatis, noſtram adaperiemus ſententiam, quapropter ſit

PARS PRIMA,

In qua ſtatus difficultatis adaperitur, & aliqua pro veritatis enucleatione præmittuntur.

895. PRimò eſt notandum, quòd hîc non quærimus, per quid conſtituatur materia prima in actu primo potens cauſare compoſitum; quia evidens eſt, quòd quælibet cauſa à ſua intrinſeca virtute habet fœcunditatem, ut poſſit influere eſſe in aliud; & ut optimè notavit *Scotus in 3. diſt. 2. q. 2. §. quantum ad tertium dubium. v. & ſi quæras. num.* 10. non eſt alia ratio, quare materia, & forma ſint compoſiti per ſe conſtitutiva, niſi quia hic eſt talis actus, & illa potentia talis, ita ut calidum, quia calidum, calefacit, & non propter aliquid aliud, ita materia, & forma, quia talia, conſtituunt compoſitum, hoc eſt, habent virtutem conſtituendi, ſive cauſandi compoſitum.

896. Secundò eſt notandum quòd materia ſicut & quælibet cauſa alia poteſt conſiderari vel in actu primo, vel in actu ſecundo; in actu primo, quatenùs potens eſt cauſare à ſua virtute intrinſeca: in actu ſecundo, quatenus per ſuæ virtutis exercitium tribuit eſſe alteri (vide, quæ diximus num. 774. & 777. primæ diſtinctionis hujus ſecundi) unde materia in actu primo conſtituitur potens cauſare à ſua virtute intrinſeca, & in actu ſecundo conſtituitur cauſans actualiter per talis virtutis cauſativæ exercitium.

897. Tertiò eſt notandum, quòd quæſtio non procedit, ut dixi num. 894. de cauſalitate materiæ in actu primo, hoc eſt, de virtute cauſativa materiæ, quam habet ſecundùm quod potens eſt cauſare; ſed de ipſa cauſatione, & exercitio virtutis, quidnam ſit illud, per quod reducitur materia de actu primo ad actum ſecundum, ſive de poſſe cauſare ad actualiter cauſare.

898. Quartò eſt notandum, quòd materia

teria potest dupliciter considerari, vel quatenùs materia ordinatur, & respicit formam, quæ est alterum comprincipium, & concausa intrinseca compositi, vel ad ipsum compositum, quod essentialiter causatur à materia, & de materiæ influxu, sive actuali causatione quærit titulus; de primo videlicet, quam ad formam, quæ ex ejus potentia educitur, habet, jam diximus dist. 4. q. 2. art. 1. num. 578. & 581. & infra p... libri, nec non & aliquid dicemus hîc, de secundo influxu respectu compositi hîc agemus.

899. Quintò est notandum, quòd duplex est effectus materiæ, alius primarius, secundarius alius: effectus primarius materiæ, sicut & formæ, est ipsum compositum, ad quod ex sua natura sunt ordinatæ ad ipsum constituendum; effectus verò secundarius materiæ est ipsa forma, vel quatenùs ad ipsam Physicè influit, si forma est educibilis de ejus potentia, ut est omnis forma substantialis corporea, vel sustentatio formæ, quatenùs materia formam sustentat, quæ sine illa esse non valeret naturaliter; & de ejus primario effectu, sive influxu, quo constituitur materia causans actualiter compositum præcipuè quæstio procedit. His præjactis jam ad secundam partem articuli deveniamus.

PARS SECUNDA,

In qua aliorum sententiæ referuntur, simul & refelluntur, & vera Doctoris nostri subtilis sententia stabilitur.

900. PRima sententia circa præsentem difficultatem affirmat, quòd causalitas materiæ (idem dicunt de forma) nihil aliud est, quàm ipsa entitas absoluta, & substantialis materiæ, quæ potens passivè est recipere formas substantiales; ita quòd per eandemmet potentiam passivam, qua constituitur materia in esse materiæ, constituitur in actu secundo causans, tam formam, quæ de ejus potentia educitur, quàm compositum, ad quod constituendum ordinatur, nullo alio intellecto, vel superaddito. Hæc sententia tribui solet Divo Thomæ, & aliis ejus asseclis, quam ab aliquibus Scotizantibus in suis manu scriptis vidi sectari.

901. Sed contra prædictam sententiam sic insurgo: hoc, quod est actualiter influere in compositum, habere influxum in formam, & eam recipere, est actus secundus materiæ: Ergo necessariò supponit actum primum ejusdem: Ergo nequit esse ipsamet virtus, sive capacitas essentialis, qua in esse materiæ constituitur. Ulteriùs causare compositum, influere in formam, & illam recipere, sunt quædam separabilia à materia: Ergo nequeunt esse ejusdem entitas, & essentia. Antecedens probatur: quia si Deus separaret materiam à forma, quod possibile esse adstruimus dist. 2. & ex q. 5. art. 1. num. 515. & 516. materia in tali casu non reciperet actualiter formam, neque in illam, vel compositum influeret, & tamen esset materia: Ergo hoc quod est materiam formam recipere, in illam, & in compositum influere, est actus distinctus, sive accidens separabile à materia: Ergo non est ejus substantia, sive essentia.

902. Secunda sententia affirmat, materiæ causalitatem, & idem asserit de forma,

ma, nihil aliud esse præter unionem materiæ, ad formam, media qua causant compositum, ita ut præter unionem se tenentem ex parte materiæ, nihil aliud intelligatur, per quod redditur materia causans in actu secundo compositum. Hanc sententiam patrocinatur expresse Divus Thomas in prima secundæ art. 1. & 4. contra gentes cap. 18. estque magis usitata in Schola Thomistica, quam sequuntur ferè omnes illi, qui affirmant totum non addere supra partes, nisi ipsarum unionem, & sic non distingui à partibus simul sumptis, & unitis. De quo vide quæ diximus dist. 6. ex 1. lib. q. 2. art. 2. num. 672. & 673. cui sententiæ aliqui ex nostra Schola adhærent, sed quàm irrationabiliter jam ex ejus confutatione patebit.

903. Hanc igitur sententiam sic impugno ex supra dictis dist. 3. ex 1. q. unica. art. 1. unio est conditio, quæ requiritur ex parte materiæ, & formæ ad causandum, sicut approximatio agentis ad passum: Ergo unio non est effectus, sive materiæ causalitas. Idem dico de formæ causalitate. Antecedens expresse habetur à *Scoto in 3. dist. 2. q. 2. §. quantum ad tertium dubium. v. & ideo. num.* 15. ubi ait: *ad esse quidem totius necessariò præexigitur unio partium, nec tamen illa unio est illud esse, quia unio est respectus, & esse illud est absolutum, sicut ad causationem alicujus effectus necessariò præexigitur ordo causarum efficientium, & approximatio earum, & tamen ille ordo, vel illa approximatio non est esse ipsius effectus.* Et infra: *universaliter enim absolutum causatum à pluribus causis necessariò præexigit unionem, & approximationem illarum causarum.* Consequentia probatur: conditio prærequisita ad causandum non est ipsa causalitas, sed quid prævium ad illam; unio est conditio ad hoc quod materia causet: Ergo unio non est materiæ causalitas.

904. Rursus: unio per vos est causalitas materiæ, per quam formalissimè constituitur in actu secundo causans: Ergo respectu illius erit materia causans, respectu cujus denominatur unita: sed materia dicitur unita formæ, & non composito: Ergo materia per unionem causabit formam, & non compositum; idem dico de forma; forma dicitur unita materiæ, & non dicitur unita composito: Ergo forma erit causans materiam, & non compositum; hoc est ridiculum: Ergo & illud ex quo sequitur.

905. Insuper ut patet ex dictis dist. 5. ubi supra num. 639. unio est relatio extrinsecùs adveniens causata ab agente extrinseco in materia: Ergo si ex parte materiæ nulla alia causalitas datur præter unionem, nihil influit, neque in formam, neque in compositum, neque efficit. Probatur consequentia: ad unionem merè passivè se habet materia, recipiente merè passivè ab agente causante illam: Ergo si unio non influit à materia, nec est ejus causalitas, neque aliud media illa unio producit. Et roboratur; ab illo, quod recipit materiam (idem dico de forma) ab alio extrinseco agente nequit formaliter dici materia influens, & communicans esse alteri: Ergo si unionem recipit materia ab agente extrinseco, ab unione nequit denominari materia influens in aliud, immò potius diceretur agens influens in compositum per unionem. Probatur; quia influxus denominat influens illud, à quo exit talis influxus; sed unio exit ab agente, & non à

mate-

materia: Ergo potius agens diceretur influens, & dans esse, quàm materia.

906. Ulterius impugnatur contra Thomistas: materia, & forma in eorum doctrina nihil causant in composito præter unionem, quæ ut ipsi ajunt, est ratio formalis constitutiva compositi: Ergo unio nequit esse causalitas materiæ, neque formæ. Antecedens est eorum doctrina expressa; consequentia probatur; causalitas cujuscumque causæ est media qua reducitur ad actum secundum virtus causativa causæ, per quam tanquàm per viam, & actionem accipit esse effectus: Ergo si unio est effectus materiæ, & formæ, nequit esse earum causalitas. Probo consequentiam; quia idem respectu ejusdem nequit esse actio, & terminus talis actionis, causalitas, & causatum: Ergo si unio est causalitas materiæ, & formæ, nequit esse terminus talis causalitatis, neque è contra.

907. Tertia sententia, quæ communis inter Scotistas versatur, affirmat, quòd in materia duplex causalitas reperitur, prima, quæ secundaria alio nomine appellatur, est receptio passiva, quam ad recipiendam formam exercet, quatenus materia per modum potentiæ passivæ se præbet ad ejus receptionem. Secunda, quæ primaria causalitas appellatur, id est, per se primò intenta à materia, est quædam activa resultantia, sive pullulatio compositi, ex eo quòd materia causet compositum per talem resultationem activam, quæ quidem resultantia non est præcisè ratio receptiva passiva, sed quidam quasi activus influxus se tenens ex parte materiæ, & idem dico de forma, unde ajunt, quòd materia constituitur in actu secundo causans per illam activam resultantiam, & non per passivam formæ receptionem.

908. Sed contra istum modum dicendi sic insurgo: de ratione activè influentis in aliud est, quòd maneat influens extra illud, ad quod influxus talis terminatur; sed materia influit activè in compositum: Ergo materia manet extra quidditatem, & naturam compositi. Major probatur: in hoc distinguitur causa extrinseca activa efficiens ab intrinsecis, quòd causa efficiens manet extra terminum, sive influxum, sive effectum; intrinseca verò manet in composito intrinsecè illud constituens: Ergo de ratione principii activi influentis esse in aliud est, quòd maneat extra illud aliud: Ergo si materia manet intra compositum tanquàm pars intrinseca, non Physicè activè influit in compositum.

909. Secundò impugnatur: in eo genere causæ debet quæcumque causa causare suum effectũ primarium, in quo est causa; sed materia prout talis est causa Physica compositi: Ergo in eodem genere materiæ debet causare compositum: sed materia prout materia non dicit influxum activum in aliud, neque in actu primo, neque in actu secundo: Ergo materia nequit constitui in esse causæ materialis causantis per activum influxum. Major est evidens, minor verò probatur: materia prout materia solùm dicit esse primum subjectum, ex quo aliquid fit &c.; sed esse subjectum primum, ex quo aliquid fit, non dicit activum influxum, immò passivam capacitatem ad aliud: ergo nequit materia causare per talem influxum activum, sive resultantiam, sed per modum subjecti primi: ergo &c.

910. Sit ergo nostra firmiter defensanda conclusio: per eandemmet actionem, sive passivam receptionem, qua materia recipit

cipit formam, tribuit esse composito, nullo alio influxu activo, vel passivo superaddito; quæ quidem passiva receptio vocatur formalissimè materializatio, quæ aliis terminis solet explicari, per hoc quòd sit intrinseca exhibitio materiæ per modum potentiæ. Hæc conclusio, ni fallor, expresè habetur à *Scoto in 3. dist. 2. q. 2. §. quantum ad tertium dubium. sub num. 9.* ubi ait: *materia, & forma in toto non sunt partes ejus definitionis, sive elementa perfectibilia ab aliquo actu tertio, sed unum est proprium perfectibile, & alius proprius actus, & hæc est præcisè ratio, quare faciunt unum per se*: ex 8. Metaph. textu 15.

911. Ex quibus verbis sic formo discursum: ratio præcisa quare materia, & forma faciunt unum per se, tam ex Scoto, quàm ex Philosopho est, quia materia in composito est proprium perfectibile, & forma proprius actus: Ergo materia in ratione potentiæ passivæ perfectibilis causat, & constituit compositum, & forma similiter in ratione actus perficientis. Hoc totum est Scoti; tunc sic; sed materia, in ratione potentiæ passivæ perfectibilis, nullum dicit Physicum in aliud influxum activum, immò capacitatem activam receptivam: Ergo per hoc quòd talis capacitas passiva, receptiva, & perfectibilis reducatur ad actum, intelligitur materia causans actualiter, sive constituens compositum: Ergo illa passiva receptio, sive materializatio est causalitas, media qua causat compositum. Patet consequentia; quia illa est causalitas cujuslibet causæ, per quam virtus causativa causæ reducitur de potentia ad actum; sed per receptionem passivam reducitur ad actum virtus causativa potentiæ perfectibilis: Ergo receptio passiva est talis perfectibilis, sive materiæ causalitas.

912. Insuper ibidem Scotus num. 10. §. & quæras, ait, quòd Philosophus interrogatus ubi supra, quare ex materia prima, & forma substantiali fit unum ens per se, assignat pro causa, *quia hoc est per se actus; illud per se potentia*: Ergo in genere actus, & potentiæ, debent forma, & materia concurrere ad constituendum compositum; sed potentia reducitur ad actum per receptionem, & forma per informationem: Ergo causalitas materiæ est receptio, & formæ informatio præcisè, & circumscripto quocumque alio.

913. Ex dictis apparet, quod causæ materialis causalitas, per quam in ratione causæ materialis reducitur de actu primo ad actum secundum, sive de posse causare ad actualiter causare, nihil aliud est, quàm receptio formæ, quæ in illa introducitur, quæ dicitur materializatio, & hoc sive sumatur causa materialis rigorosè, in qua acceptione non est alia, quàm materia prima, ut habetur num. 893. si sumatur largè pro quacumque alia causa materiali: Ad argumenta autem, quæ contra hanc nostram conclusionem effici possunt, cum devenero ad argumenta, quæ contra causalitatem causæ formalis adduci possunt, simul respondebo.

QUÆ-

QUÆSTIO TERTIA,

De causæ formalis quidditate, & causalitate.

ARTICULUS PRIMUS,

Ubi quid sit causa formalis declaratur.

914. A*ristoteles in hoc 2. tract. 3. text.* 28. sic causam formalem definit, ut videre est in Scoto q. 4. hujus in expositione textus Philosophi sub num. 23 *alio modo species, & exemplum, & ratio, & quod quid erat esse est causa; id est* (ut ait Scotus) *alio modo forma dicitur causa, quæ dicitur species, quia per ipsam res ponitur in determinata specie.* Et vocatur exemplum, eò quòd sicut ad instar exempli, seu exemplaris fit aliquid simile, ita per formam est compositum natum generare sibi simile secundùm speciem; & quo quidquid erat esse, id est, pars definitionis; ferè per eadem verbo definit causam eandem Philosophus 5. Metaph. cap. 2. de causa text 2. num. 7.

915. Sed quia prædicto loco largè & minùs propriè causa formalis à Philosopho definitur, ut optimè notavit *Scotus in 2. Physic.* citato, sic aliam pro causa formali ex doctrina Philosophi, & Scoti definitionem adhibebimus, quæ nostris principiis, & Scoti doctrinæ conformior evadat: *causa formalis est principium intrinsecum intrinsecè, & completivè per modum actus influens esse in aliud. Principium* ponitur loco generis, per quod convenit cum causis intrinsecis; *intrinsecum* est, per quod differt causa formalis intrinseca ab extrinsecis, efficiente, & finali; & est ratio quasi generica respectu causæ materialis, & formalis, cum utraque conveniat in hoc, quod est esse intrinsecum principium in aliud influens esse; *completivè* ponitur loco differentiæ inter materialem, & formalem causam.

916. Pro cujus enucleatione est notandum, quòd si formalis causa accipiatur pro causa Physica rigorosa, solùm supponit pro forma Physica substantiali, quam definivi dist. 4. ex 1. lib. art. 2. num. 568. si verò causa formalis in latiori significatione sumatur, supponit non solùm pro causa formali substantiali, sed etiam accidentali. Vide, quæ num. 893. hujus distinctionis diximus de causa materiali, & eadem mutatis mutandis hîc applica ad causæ formalis intelligentiam: qui plura desideraverit, authores consulat.

ARTICULUS SECUNDUS,

Quænam sit causæ formalis causalitas?

917. PRæmissis jam notabilibus, in quonam sensu hîc de causalitate agamus (vide annotationes à nobis positas à num. 895. infrà hujus distinctionis, & eas hîc applica, reservatis servandis) dico, quòd in causa formali duplicem debemus distinguere effectum, alium primarium, alium secundarium: effectus formalis primarius causæ formalis est intrinseca constitutio compositi per modum actus Physici; secundarius effectus formalis causæ est actuatio, & informatio materiæ, sive receptivæ potentiæ, illam intrinsecè efficiendo, & perficiendo. Vide num. 907.

918. Sit ergo nostra firmiter defensanda conclusio negativa: causalitas formalis

causæ (quidquid hîc dixerimus de forma Physica substantiali, servatis servandis debet intelligi de forma accidentali) per quam reducitur de actu primo ad actum secundum, sive de posse causare formaliter ad actualiter causare, non est ipsamet intrinseca entitas formæ, cùm possit forma esse sine tali causalitate, ut patet in anima rationali. Vide num. 900. & 901. dicta, & ea hîc dicta intellige; neque unio formæ ad materiam, cùm hæc necessariò supponatur, vide à num. 902. usque ad 906. inclusivè, quia ibi manent hæc omnia impugnata, ne idem bis repetamus.

919. Dico secundam conclusionem: causalitas formæ, sive causæ formalis, per quam reducitur de actu primo ad secundum, sive per quam constituitur in actu primo causans, & informatio ipsa, media qua forma informat materiam, & illam actuando perficit, ita ut nullo alio influxu activo, vel quasi activo se tenente ex parte formæ per eandemmet informationem, qua perficit materiam, dat esse composito. Hæc conclusio probatur primo ex Scoto locis supra citatis num. 910. & 911. & rationibus ibi factis.

920. Secundò probatur ex *Scoto* in 1. *dist.* 5. *q.* 2. *§. contra istam opinionem. sub num.* 10. v. item in additione: *compositum per hoc constituitur, quòd potentiale actuatur actu compositi, & determinatur.* Item ex aliis verbis *Scoti in* 3. *dist.* 2. *q.* 2. *§. quantum ad primum.* Ubi reddens rationem ex *Philosopho* 7. *Metaph. cap. de unitate definitionis* text. 11. & 12. quare totum accidentale sit magis unum, quàm unum aggregatione, ait: *quia albedo inest homini, non autem homo albus esset tale totum, si non informaret.* Ubi commentator Scoti num. 3. ait: *ratio stat in hoc, quia ex quo totum essentiale est magis unum, quàm totum accidentale, sequitur, quòd dicet aliam entitatem à suis partibus; patet, nam totum accidentale ultra partes de necessitate dicit informationem unius partis ad aliam.*

921. Ex quibus sic formo discursum: ideo totum accidentale homo albus v. g. distinguitur à toto per aggregationem, quia albedo inest homini, & illum informat: Ergo informatio formæ est per quam diversificatur albedo, quæ est pars formalis totius accidentalis à partibus totius aggregationis: Ergo informatio est, quæ se tenet ex parte formæ illam distinguens à partibus quæ non informant, & sic non constituent totum: Ergo est causalitas formæ. Probo consequentiam: per hoc distinguuntur partes causantes totum aliud à se, à partibus, quæ non causant totum distinctum à se, per quod constituuntur in esse causantes; sed per informationem constituuntur forma in esse causantis: Ergo per informationem distinguitur.

222. Probatur conclusio ratione: illa est causalitas formæ, per quam in genere formæ constituitur in actu secundo causans; sed per informationem constituitur forma in genere formæ causans: Ergo informatio est causalitas formæ. Roboratur: per hoc præcisè quòd intelligatur anima v. g. quæ est forma animans corpus, & quolibet alio per possibile, vel impossibile circumscripto intelli-

intelligitur corpus animatum, ſed corpus animatum eſt compoſitum: Ergo per hoc quòd intelligatur forma informans, intelligitur in actu ſecundo cauſans compoſitum. Major patet; per hoc, quòd intelligatur calor calefaciens, intelligitur calefactum: Ergo per hoc, quòd intelligatur anima animans, vel vita vivificans, intelligitur animatum, vel vivificatum: Ergo &c. Et roboratur: cauſalitas efficientis eſt efficientia, ſive effectio, & finis finalizatio: Ergo cauſalitas formæ erit informatio, & materia materializatio: Ergo &c.

923. Pro totius autem quæſiti majori intelligentia nota ex *Scoto in* 1. *diſt.* 5. *q.* 2. *§. contra iſtam opinionem. v. item quarto ſub num.* 9. quòd cauſalitas materiæ, & formæ poteſt dici aliqualiter activa, ex eo quòd reducatur ad genus efficientis, quia omne imperfectum reducitur ad aliquod genus perfectum, & cùm cauſalitas materiæ ſit imperfecta, neceſſe eſt, quòd reducatur ad aliquod genus cauſæ perfectæ, qualis eſt efficiens; & ideo licèt reductio fiat ad aliquod principium in illo genere, illud tamen non eſt ſimpliciter primum, ſed totum illud genus (ſcilicet cauſæ materialis) reducitur ad aliquod primum in aliquo genere, quod non includit imperfectionem; puta ad aliquod in genere efficientis. Hæc Scotus; ſed eſt intelligendum in Deo, ut videre eſt in ipſo Scoto, in quo nulla datur cauſalitas materialis, nec formalis, bene autem efficientis, & finalis.

Argumenta contra dicta.

924. PRimò arguitur contra noſtram ſecundam concluſionem de cauſalitate formæ num. 920. & contra quartam concluſionem, quæ habetur num. 910. in quibus adſtruimus cauſalitatem materiæ erga compoſitum eſſe receptionem, & formæ informationem: recipere formaliſſimè nihil aliud eſt, quàm aliud per modum ſubjecti accipere; ſed materia per modum ſubjecti accipit formam, & non compoſitum: Ergo cauſalitas materiæ in ordine ad compoſitum non eſt ipſa formalis receptio, ſed aliquid aliud. Major eſt per ſe nota, minor verò probatur: illud formaliſſimè recipitur in potentia paſſiva, & ſubjectiva materiæ, quod informat, actuat, & determinat materiam; ſed forma eſt hujusmodi, & non compoſitum: Ergo receptio materiæ potius erit cauſalitas materiæ in ordine ad formam, quàm in ordine ad compoſitum.

925. Idem argumentum viceverſa facio de forma: informare formaliſſimè eſt reſpectu illius, quod dicitur informatum; ſed informatum eſt materia, & non compoſitum: Ergo informatio eſt cauſalitas ſe tenens ex parte formæ ad materiam, & non ad compoſitum. Major probatur: informare eſt reſpectu illius, quod erat informe; ſed materia eſt, quæ dicitur informis, & non compoſitum: Ergo informare eſt reſpectu illius, quod dicitur informatum, ſicut actuare reſpectu illius, quod dicitur actuatum. Minor probatur: forma non informat, niſi illud ſubjectum, in quo recipitur; ſed non recipitur in compoſito, compoſitū enim non eſt formæ

receptivum, sed materia: Ergo informatum non est compositum, sed materia: Ergo informatio est causalitas se tenens ex parte formæ ad subjectum, & non ad compositum: Ergo causalitas formæ respectu compositi non informatio, sed aliquid aliud erit.

926. Fateor hoc esse maximum argumentum, quod contra nos potest fieri, quod nullibi factum, neque audivi, neque legi, non enim quos ego viderim hujusmodi argumenta contra suas conclusiones efformant, sed multoties, quæ parum, aut nihil difficultatis obtinent. Pro cujus solutione nota, quòd informatio duo dicit, unum tanquàm primarium, & aliud tanquàm secundarium: primarium quod dicit, est constituere compositum, quod ex primaria intentione ordinatur, licèt in executione posterius sit. Secundarium verò informare, sive actuare materiam, illam determinando, & actuando, quod licèt sit primum, non tamen est primarium, quia non est, quod per se primò intenditur à forma, sed secundariò, quamvis sit in executione primum actuare materiam, & secundum constituere compositum. Idem dico de materia; materializatio enim duo dicit, cùm tamen sit unica indivisibilis quasi actio, & constituere compositum, ad quod est primò, & per se ordinatum, & recipere formam, sive ab illa pati, sive informari, quod est etiam per se intentum licèt non primariò, sed secundariò.

927. Secundò est notandum, quòd licèt informatio communiter usurpetur pro hoc, quod est actuare, & informare passum, & non pro causalitate, compositum tamen si accipiatur in sensu rigoroso in ordine ad terminum primarium, quod respicit, debet accipi in ordine ad compositum, & non in ordine ad materiam, nisi secundariò, & denominativè; & ne videatur hæc doctrina, licèt à nullo subsequuta, quos ego viderim, arbitraria, dico, quòd expressè habetur à *Scoto in 1. dist. 8. q. 4. §. contra istam solutionem.* Ubi cum verso antecedenti dixerit, sed objicies, quomodo est aliquid formaliter sapientia, si sapientia non est forma ejus? ait: *respondeo, quòd corpus est animatum, quasi denominativè, quia anima est forma ejus, homo dicitur animatus non denominativè, sed essentialiter, quia anima est pars ejus, & aliquid ejus; non igitur requiritur aliquid esse formam informantem aliquid, ut ipsum sit tale per ipsum, quia forma non est forma informans totum, quod tamen dicitur formaliter tale per ipsam.*

928. Quæ verba licèt præ se ferant aliquam implicationem, sic tamen ea declaro: *homo* (ait Scotus) *est animatus non denominativè, sed essentialiter*; quia anima est aliquid ejus, non forma informans; animatio est quædam informatio animæ, à qua homo dicitur animatus, non quia anima informet hominem, tanquàm si homo esset subjectum animæ, in hoc enim sensu forma non informat compositum, benè tamen in sensu à nobis explicato, quòd informatio dicat pro primario constituere compositum, & secundariò perficere, & actuare materiam. Informare enim ut ex nominis etymologia patet, duo dicit *in*, & *formare*, quod constituere est, convenit formæ respectu compositi; *in* dicit conditionem requisitam ex parte formæ ad formationem, sive constitutionem, quæ conditio est ut forma sit *in*, hoc

hoc eſt in ſubjecto, ut valeat formare compoſitum.

929. Hoc ſuppoſito ad argumentum reſpondeo primò ad id, quod dicit de forma, ut clariùs appareat, quæ de materia dixerimus, ſicut enim materia dignoſcitur per formam, ita cauſalitas materiæ per cauſalitatem formæ dignoſcitur: diſtinguendo majorem: informare in ſuo formaliſſimo conceptu reſpectu illius, quod dicitur informatum primò, concedo: primariò, nego. Ad minorem diſtinguo: informatum denominativè eſt materia, & non compoſitum, concedo: informatum eſſentialiter, quod idem eſt, ac à forma informatum, nego. Eadem diſtinctione ad alias confirmationes argumenti reſpondeo. Informare enim quod primariò dicit, eſt conſtituere compoſitum per modum formæ, & ſecundariò perficere, ſive actuare ſubjectum, quod denominativè dicitur informatum, quia ut ait Scotus, corpus, quod eſt animæ ſubjectum non eſt primariò, & per ſe animatum, ſed denominativè; compoſitum verò, homo videlicet, eſſentialiter, & quod Scotus ait de animatione, intelligo de omni informatione.

930. Ad primum de cauſalitate materiæ num. 924. reſpondeo diſtinguendo majorem: recipere nihil aliud eſt, quàm aliud accipere per modum ſubjecti denominativè, concedo: eſſentialiter, nego. Nam recipere reſpectu illius, à quo recipiens denominatur, nihil eſt aliud, quàm ad aliud accipere; etſi primum, quod dicit accipere, eſt ab alio perfici, & actuari, ſive determinari, & hoc eſt, quod habet materia à forma; ſed recipere quoad primarium, quod dicit, eſt media receptione aliud conſtituere, tanquàm ſubjectum, ex quo illud tale conſtituitur. Ad minorem eadem diſtinctione reſpondeo: materia non recipit compoſitum, ſed formam denominativè, concedo: eſſentialiter, nego. Non quia materia ſit ſubjectum informatum à compoſito; ſed quia eſt ſubjectum, ex quo compoſitum eſſentialiter fit, & conſtituitur; & eadem diſtinctione ad reliquum argumenti reſpondetur, nam receptio dicit, & recipere formam, & actuari ab illa; & media illa compoſitum conſtituere, hoc primarium, & ſecundarium illud.

931. Secundò arguitur: cauſalitas primaria cujuſcumque cauſæ diſtinguitur eſſentialiter à cauſalitate ſecundaria; ſed cauſalitas ſecundaria ex à nobis dictis in materia eſt actuari,& perfici à forma,ſive paſſivè recipere illam: Ergo hæc eadem cauſalitas nequit eſſe primaria cauſalitas reſpectu compoſiti: Ergo alia diſtincta cauſalitas debet aſſignari ex parte materiæ, media qua cauſet compoſitum. Idem dico de forma: informare eſt cauſalitas ſecundaria formæ reſpectu materiæ, quatenùs forma media informatione perficit materiam, & eademmet eſt primaria cauſalitas reſpectu compoſiti: Ergo vel nulla datur diſtinctio inter cauſalitem primariam, & ſecundariam, vel ſi datur alia debet aſſignari cauſalitas reſpectu formæ ad compoſitum.

932. Reſpondeo diſtinguendo majorem: cauſalitas prima, & ſecundaria eſſentialiter diſtinguuntur, vel formaliter in ſe, vel terminativè, concedo: formaliter, & in ſe, nego. Actio enim generativa, quatenùs terminatur ad formam dicitur ſecun-

daria

daria generatio, & quatenùs terminatur ad compositum eademmet actio dicitur primaria generatio, & sic nullum est inconveniens, quòd actio, quæ habet duos terminos subordinatos, quatenùs terminatur ad terminum primarium dicatur actio primaria, & quatenùs terminatur ad secundarium, dicatur secundaria. Alia minoris notæ argumenta omittimus, apud authores videnda.

ARTICULUS TERTIUS,

Utrum Deus possit supplere causalitatem materialis causæ, vel formalis?

933. SIT prima conclusio: effectus causæ materialis quoad fieri formæ, sive quoad illum influxum, quem diximus materiam habere ad formæ eductionem dist. 4. ex 1. q. 2. art. 2. num. 901. vel quoad sustentationem formæ, quatenus materia formam sustentat, ut num. 899. hujus distinctionis diximus, potest suppleri à Deo, & hoc respectu omnis formæ tam substantialis, quàm accidentalis. Ita Scotus expresè in 4. *dist.* 12. *q.* 4. *v. & primo arguitur* contra istud secundum: *sicut potest supplere vicem subjecti quoad esse quietum accidentis, ita potest supplere vicem quoad fieri ipsius accidentis:* patet in accidentibus Eucharisticis, quæ subjecto carent, ut fides docet, quæ sicut à Deo optimè conservari possunt, ipso supplente vicem subjecti, ita ab illo possunt fieri absque omni creato subjecto.

934. Sit secunda conclusio: effectus secundarius, vel primarius subjecti, quatenùs primus dicit receptionem formæ, passivè se ad illam præbendo, & primarius compositum, tanquàm principium potentiale, ex quo constituitur, non potest suppleri à Deo; de primo patet, quia nequit Deus se habere tanquàm subjectum receptivum alicujus accidentis, vel formæ, sine eo quòd mutetur Deus; sed mutatio omnis Deo ab intrinseco repugnat: Ergo &c. De secundo patet: quia nequit Deus ab intrinseco esse pars intrinsecè constituens aliud: Ergo nequit, constituere aliud per modum subjecti, neque formæ. Et probatur ex parte compositi; quia materia, & forma sunt partes intrinsecæ, & essentiales compositi: Ergo nequit compositum sine illis esse: Ergo neutra quoad hanc intrinsecam constitutionem potest à Deo suppleri. Patet, quia Deus sine albedine nequit constituere album, nec sine calore calidum, neque sine materia compositum: Ergo &c.

935. Sed dubitabis: utrum Deus possit formam unire materiæ capaci, sine eo quod non tribuat illi suum effectum formalem? Respondeo ut dixi dist. 2. de materia num. 516. & 517. quòd bene potest salvari, quòd forma sit in subjecto capaci unita, quin tribuat illi effectum formalem, sive informationem, quia informatio quid distinctum est ab unione, & bene potest Deus influere ad unum, quin influat ad aliud, aliàs esset aliquis effectus creatus, qui immediatè à Deo non dependeret. Secundò respondeo cum communi consensu negativè, & ratio est, quia quòd forma informet materiam, nihil est aliud, quàm quòd forma per modum actus sit communicata materiæ; sed ex eo quòd sit unita subjecto capaci, est illi for-

mæ

ma communicata: Ergo impossibile est, quòd forma sit subjecto capaci unita, quin tribuat illi suum effectum formalem. Item in quocumque est forma aliqua, illud est simpliciter tale, secundùm formam illam, omninò enim irrationale videtur, quòd forma sit in aliquo, & non constituat ipsum informatum secundùm ipsam. Hæc *Scotus in 4. dist. 13. q. 1. §. si ergo.* v. sed contrarium videtur. sub num. 9.

936. Ulteriùs inquires in quonam genere causæ una forma expellat aliam formam à subjecto? Nam certum est, quòd forma de novo adveniens expellit præexistentem formam. Respondeo cùm *Scoto in 4. dist. 1. q. 5. §. ad primum ergo. num.* 15. quòd in genere formæ, etsi hæc expulsio dicitur etiam effectus secundarius formalis: & ratio est, quia forma per informationem subjecti expellit aliam ab eodem subjecto; sed quod facit forma informando facit illud in genere formæ: Ergo in genere formæ una forma aliam expellit. Et jam dicit *Scotus in hoc 2. q.* 4. quòd effectivè illam expellit, ex eo quòd qualitas formæ, quæ de novo introducitur effectivè agendo, destruat qualitates formæ, quæ corrumpitur; utrumque potest dici, non enim unum alteri opponitur; & quòd talis expulsio formæ præexistentis possit impediri à Deo, satis patet ex dist. 3. de forma q. 3. art. 2. num. 607. & 608. & infra, ubi de mente Scoti docuimus duas formas posse esse in eadem materia, & dicta pro hac tertia distinctione sint satis.

DISTINCTIO QUARTA

Physicalis de causa efficiente.

Actis in præcedentibus de natura, & causalitate causarum intrinsecarum, restat nunc de causis extrinsecis agere; at cùm nobis notior sit efficiens, quàm finalis, prius de illa, & postea de finali agemus.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex causa efficiens sit?

ARTICULUS PRIMUS,

Ubi traditur definitio efficientis causæ, nec non & ejus divisio.

937. Dari causam efficientem creatam, quæ verè, Physicè, & realiter suos producat effectus, Scholasticorum tenet communis consensus. Unde contra Gabrielem Biel in 4. dist. 1. q. 1. oppositum opinantem erroneè, hæc tanquam veritas fidei ex Scriptura Sacra Genesis 1. habetur: *germinet terra herbam virentem* &c. Unde quæstione an sit tanquam per se nota admissa, quid sit erit examinandum. Qui quidem Gabriel loco citato ait, quòd quando ignis v.g. cremat lignum, vel calefacit aliud, ignis nullum influxum habet in talem cremationem, sive calefactionem, sed Deus est, qui totaliter illam cremationem efficit, sive calorem ad præsentiam ignis, quæ præsentia solùm requiritur, tanquàm conditio, non ex natura rei, sed ex pacto, & lege divina hoc ordinante, nam si Deus idem pactum faceret cum aqua, eodem modo aqua cremaret, ac

ac ignis. Sed hæc sententia nequit nisi experimento confutari, mittatur ergo Gabriel in ignem donec fateatur ignem ex se habere vim cremandi.

938. Causa efficiens sic à Philosopho definitur in hoc 2. cap. 3. *est unde est principium motus:* quod sic explicat *Scotus hic q. 8. sub num. 2. §. quantum ad primum: intelligit* (supple Philosophus) *quod causa efficiens est, unde est principium motus, tanquàm ab illo, scilicet effectivè.* Unde ab ipso Scoto ibidem sic definitur: *causa efficiens est propter quod alterum est, tanquàm ab illo, & per illam particulam, tanquam ab illo differt causa efficiens ab aliis causis.* Et 9. *Metaph. q. 4. §. ex prædictis in fine num. 8. ait: est autem potentia activa secundùm unam ejus significationem Metaphysicè loquendo principium agendi agibile, secundùm aliam principium actuandi actuabile.* Idem habet 1. Metaph. cap. 2. textu, & comm. 28. & 5. cap. 2. tom. 2. *Unde principium permutationis primum, aut quietis.* Quarum prima definitio idem sonat, ac si dicat, causa efficiens est principium causandi causabile, & secunda transmutandi activè, sive actuandi actuabile, hoc est potentiam passivam.

939. Sed ex definitionibus prædictis aliam colligo, quæ conformior sit supradictis, quæ talis erit: *causa efficiens est principium extrinsecum influens esse in aliud per veram, & realem causationem, sive influxum, nullam cum illo compositionem faciens, sive illud non componens.* ly *principium influens esse in aliud*, est ratio quasi generica omni causæ conveniens; ly *extrinsecum* est per quod differt causa efficiens à materiali, & formali, quæ intrinseca principia sunt, & convenit cum causa finali, quæ extrinsecum principium est; per ly *per verum, & realem influxum* differt à causa finali, quæ non per verum, & realem causat influxum, ut infra patebit, sed per Metaphoricam actionem, sive causalitatem: ultima particula, videlicet, *nullam cum illo &c.*, est per quam differt causa efficiens à materiali, & formali; circa hoc ferè nulla est controversia, & sic ad secundam partem quæsiti deveniamus.

940. Causa efficiens ut sic dividitur primò in causam primam, & secundam: causa prima efficiens est, à qua omnis causa efficiens in operando, sive causando dependet; ipsa verò à nulla, cujus modi solus Deus dicitur prima causa efficiens. Causa verò secunda, quæ à prima in sua operatione dependet, cujus modi est omnis creatura, quantumvis perfecta sit, quæ in essendo, & operando dependet à creatore.

941. Causa prima derelicta, causa secunda dividitur in moralem, & Physicam, sive realem: causa Physica realis est, quæ per verum, & Physicum realem influxum dat esse effectui, ut ignis, qui Physicè alium ignem producit, homo alium hominem &c. Causa moralis, quæ licet Physicè realiter non influat, tamen influit moraliter, ut consulens, præcipiens, rogans aliquid; unde qui talia facit, immediatè dicitur causa peccati, & illi tribuitur.

942. Omissa causa morali, causa Physica ulterius dividitur in causam per se, & per accidens: causa Physica per se est, cui per se in quantum talis correspondet effectus, ut calor v. g. ab alio calore productus, homo ab alio homine &c. Causa ve-

sa verò per accidens est illa, cui in quantum talis non correspondet effectus, & nihilominùs dicitur causa illius, vel propter conjunctionem, quam habet cum causa per se, vel quia effectus ipse causæ per accidens conjungitur cum effectu causæ per se: exemplum primæ: musicus dicitur causa per accidens delineationis imaginis, quia talis delineatio non correspondet musico per se, sed prout pictor est; medicus dicitur sanari, per accidens, quia non in quantum medicus, sed in quantum infirmus sanatur. Secundo modo fodiens terram dicitur causa per accidens inventionis Thesauri, quia talis fossio terræ conjungitur accidentaliter cum alio effectu inventionis Thesauri, quia non erat intentus per se à terram fodiente.

943. Ulteriùs causa dividitur in proximam, & remotam: causa proxima est, quæ proximè, & seipsam immediatè producit effectum influendo in illum, ut calor v.g. *A*, dicitur causa caloris *B*, à se immediatè producti, & Adam dicitur causa immediata, sive proxima Abelis. Causa remota est, quæ non immediatè, sed mediatè, & remotè attingit effectum, ut Avus v. g. & Proavus dicitur causa remota nepotis, in quo sensu habet locum illud commune axioma, *causa causæ est causa causati.*

944. Rursus causa efficiens proxima dividitur in principalem, & instrumentalem: causa efficiens proxima principalis est illa, quæ in esse quieto, & ante actualem productionem habet virtutem ad efficiendum, ut calor respectu alterius caloris, homo &c. Causa instrumentalis proxima est illa, quæ in esse quieto, & ante actualem productionem nullam habet Physicam virtutem ad operandum, sed illam accipit in actuali productione, quatenus movetur à principali causa, quæ utitur tali instrumento ad suum effectum, & hujus modi sunt instrumenta artificialia, ut serra, & hujus modi alia.

945. Insuper causa efficiens ut sic rursùs dividitur principaliter in causam univocam, & æquivocam: causa efficiens univoca est, quæ producit effectum ejusdem rationis specificæ cum ipsa causa, ut calor alium calorem producens, unus homo respectu alterius, ignis respectu alterius ignis, & hujus modi alia. Causa æquivoca est, quæ producit effectum alterius specificæ, sive genericæ naturæ ab ipsa causa, ut substantia quatenùs producit accidentia; intellectus, & voluntas quatenùs suos actus producunt, qui alterius naturæ sunt ab ipso intellectu, & voluntate; Deus respectu creaturarum, & sol, luna, & astra, quæ omnia effectus alterius ab ipsis naturæ producunt.

946. Rursùs causa efficiens dividitur in totalem, & partialem; causa totalis est, quæ habet ex se sufficientem virtutem ad producendum totum effectum: partialis, quæ habet solùm virtutem partialem ad producendum aliquem effectum, & ita indiget altera concausa, à qua coadjuvetur, ut possit in actu secundo, & exercitio illum effectum producere. Pro qua nota, quòd nulla causa partialis tribuit alteri concausæ partiali virtutem in actu primo ad causandum, sed solùm illam in actu secundo coadjuvat ut producat suum effectum, cujus modi sunt objectum, & potentia, respectu suorum actuum, Pater, & Mater in filii generatione &c.

 947. Ulte-

947. Ulteriùs causa totalis dividitur in totalem ex omni genere, & in totalem in aliquo genere: totalis causa in omni genere est, quæ se sola, & independenter ab alia concausa ejusdem, vel alterius generis valet producere effectum, & in hac acceptione solus Deus dicitur causa totalis efficiens in omni genere, siquidem à causa quacumque creata in sua causatione non dependet. Causa totalis in determinato genere est illa, quæ licèt in illo genere, in quo est causa, non indigeat alterius adjuvamine causæ, tamen nequit causare, nisi coadjuvetur à concausis alterius generis; cujus modi est omnis causa efficiens creata, quæ indiget materia, & aliis concausis; & materia, & forma; quæ licèt in quantum talis non petat coadjuvari, materia in quantum materia, & forma in quantum forma, tamen forma adjuvatur à materia, & materia à forma, & ab efficiente, & sic causæ dicuntur totales in determinato genere.

948. Rursùs causa dividitur in productivam, & conservativam: causa productiva est, quæ primò dat esse effectui; causa verò conservativa, quæ licèt prout talis non dicatur producens actualiter effectum, dicitur tamen illum per æquivalentiam producere, quatenùs esse effectus jam habitum, ex vi primæ productionis conservat, & retinet in esse, ut v.g. Deus in prima mundi conditione fuit causa mundum producens, & nunc est causa illum conservans, & secundò per conservationem, & manutenentiam dans esse.

949. Rursùs causa efficiens dividitur in liberam, sive contingentem, & in naturalem, sive necessariam: causa libera, sive contingens est, quæ positis omnibus requisitis ad agendum, sive causandum, potest pro suo libito causare, vel non causare, & taliter causare, vel taliter; cujus modi est Deus, qui quatenùs agens, sive causans omnia creata ad extra liberè pro suæ libertatis consilio agit, & operatur, vel non operatur, vel taliter, vel taliter cum operatur disponit; & similiter creata voluntas, quæ plenum habet dominium in suis actibus, ita ut pro suo libito possit etiam positis omnibus requisitis, tam ex parte objecti, quàm aliis circunstantiis elicere actum odii, vel amoris, & amare odibile, & odisse amabile, vel neque amare, neque odisse pro suo libito. Causa naturalis est, quæ positis omnibus requisitis ad causandum, necessariò causat, ita ut non possit non causare, & quando causat, causat per impetum naturæ, ita ut causet in quantum potest, ut ignis, qui sufficienter applicatus, agit in quantum potest.

950. Sed hîc est maximè notandum, quòd licèt applicatio agentis naturalis ad agendum possit esse libera, tamen actio, sive effectus à tali causa naturali proveniens non liberè, sed naturalis erit; ut ignis v.g. qui liberè potest applicari à Petro huic combustibili, & tamen semel ignis applicatus, jam non liberè sed naturaliter cremat, ita ut Petrus non possit illum pro suo libito impedire.

QUÆSTIO SECUNDA,

Utrum causa efficiens substantialis immediatè per se ipsam attingat alterius substantiæ productionem?

951. SUpponimus impræsentiarùm, quòd causa substantialis possit, & valeat pro-

producere, & quòd de facto producat contra antiquos Philosophos Averroëm 9. Metaph. Albertum 2. Physic. tract. 2. cap. 3. & alios, quibus subscribere videtur Gabriel Biel in 4. dist. 1. q. 1. art. 3. dub. 3. quod satis ex Sacra Scriptura constat Genes. 1. *germinet terra herbam virentem:* & infra: *producat terra animam viventem.* Et Lucæ 21. *videte ficum, & omnes arbores, cum producunt jam ex se fructus.* Et ex Trident. 6. sess. can. 4. ubi tanquàm de fide definitum est liberum arbitrium esse in hominis potestate, non merè passivè se habens, sed aliquid efficiendo. Quod sic ostendo ex dictis: isti authores ajunt, quòd causa secunda nihil agit; sed Deus ad præsentiam causæ secundæ est, qui efficit, & producit: Ergo cùm homo peccat, homo nihil efficit, sed Deus est, qui facit peccatum ad hominis præsentiam: Ergo homo immunis erit à peccato, & Deus non immunis, quod blasphemum, & hæreticum est: Ergo &c. Præterquam quòd experientia constat, quòd ignis cremat, & calefacit, nix frigefacit, aqua calorem extinguit, & hujus modi alia: Ergo oppositum asserere ridiculum, & sine fundamento erit.

952. Hac ergo veritate supposita, de qua qui plura desideraverit, poterit consulere authores; modo in præsenti quæstione inquirimus; an substantia immediatè, & per se sit productiva, ita ut virtus in actu primo existens in substantia, à qua denominatur potens producere, sit ipsa forma substantialis, vel aliquod principium accidentale substantiæ superadditũ, ita ut substantia ex se nullũ habeat influxum, sed mediis accidentibus operetur, & agat; pro cujus intelligentia sit

ARTICULUS PRIMUS,

Ubi oppositæ sententiæ referuntur, & simul refelluntur.

953. Prima circa præsentem difficultatem sententia est Jesuitæ cujusdam nomine Pereira, qui 8. Physic. lib. de causis cap. 11. & 12. affirmat, quòd substantia nullatenùs mediatè, neque immediatè attingit per productionem alteram substantiam, sed hoc esse proprium accidentium munus, taliter quòd accidentia causæ sunt principales & per se substantiæ, quæ generatur, & non substantia, ita ut hæc sit vera propositio: substantia non à substantia, sed ab accidentibus generatur; sed hujus modi sententiæ imbecillitas ex impugnatione sequentis jam jam patebit.

954. Secunda sententia affirmat, quòd licèt causæ, sive formæ substantiales sint causæ principales per se cujuscumque generationis substantialis, negat tamen concursum, sive efficientiam immediatè, quæ sunt principium *quo* cujuscumque generationis substantiæ, ita ut actio productiva substantiæ non immediatè à substantia proveniat, sed ab accidentibus, quæ sunt quasi potentiæ substantiæ, & Physica instrumenta, quæ agunt, & causant substantiam non in virtute eorundem, sed in virtute substantiæ, quæ causa principalis est, ut v. g. quando ignis alium ignem producit, ignitio illa, sive actio, per quam producitur ignis, non nascitur, sive exit immediatè à substantia absoluta ignis generantis, sive cremantis, sed à calore, qui est, qui immediatè attingit illam ignis productionem, sive à quo exit, & nascitur illa cremativa actio

actio immediatè, licèt ab illo calore exeat, & nascatur talis actio, non quatenùs calor in se est, sed quatenùs instrumentum, quod in virtute substantiæ causat, sive producit.

955. Quod ut explicent apponunt exemplum de anima, & ejus potentia intellectiva, & volitiva, quæ in eorum sententia accidentia quædam sunt ab anima realiter distincta, qui quidem intellectus est à quo immediatè producitur actus intellectus, & non ab anima, etiamsi in virtute animæ talis intellectus producat, & causet intellectionem, ita pari passu se habet calor respectu ignis, qui est ignis potentia, media qua alium ignem producit. Hæc sententia expresè habetur à Divo Thoma in 1. parte q. 54. art. 3. quem sequuntur omnes Thomistæ, uno vel altero dempto, & ex Jesuitis quàm plures, & alii.

956. Sed contra istum dicendi modum sic insurgit quidam Scotista in suis manu scriptis, excogitans se magnum aliquid cogitasse, quo trunca, & destructa manet opinio Thomistica, & jugulata: perfectio, quæ conceditur accidentibus, non est deneganda substantiæ; sed hoc, quod est producere immediatè, & esse operativa accidentibus conceditur, & est in eis perfectio: Ergo esse immediatè productivam substantiæ non est substantiæ denegandum. Major patet; quia accidentia inferioris ordinis, & perfectionis sunt, ac est substantia: Ergo illa perfectio, quæ in eis relucet, potiore jure est concedenda substantiæ.

957. Sed salva pace tanti Scotistæ, ejus ratio nullius est ponderis: quod sic per evidentiam ostendo ex eodem fundamento, & medio: perfectio, quæ conceditur substantiæ imperfectiori non est deneganda substantiæ magis perfectæ; sed hoc quod est producere est perfectio, quæ reperitur in substantia corporea: Ergo hæc eadem perfectio non est substantiæ spirituali deneganda: Ergo si substantia corporea ignis v. g. potest producere aliam substantiam ejusdem ordinis, & perfectionis cum illa: Ergo potiori jure substantia Angelica poterit aliam substantiam producere; & tamen hæc argumentatio non tenet de substantia minus perfecta ad magis perfectam, cùm tamen ejusdem generis sint: Ergo minùs tenebit de accidente ad substantiam, cùm accidens, & substantia diversi generis sint, & in se plus differant, quàm substantia corporea, & spiritualis. Item neque in eodem genere proximo valet argumentatio, nam substantiæ elementales imperfectissimæ sunt, & nimium, & substantia mixtorum est magis perfecta, & tamen elementales substantiæ sunt productivæ, non verò mixtorum inanimatorum substantiæ; nam terra, quæ est elementaris substantia generat, & lapis, quæ est perfectior substantia non generat, sicut neque quodcumque aliud mixtum inanimatum, neque cœleste corpus.

958. Quod omne expresè docuit *Scotus lib. 9. Metaph. q. 4. sub num. 3. §. sed difficultas est in fine. fol.* 775. ubi ait: *ita quod non videtur aliqua posse maxima universalis aßignari, cui enti conveniat producere, si medium sumatur ex perfectione, & perfectius magis produceret, si ex imperfectione imperfectius minus produceret; utrumque videtur habere instantiam ex dictis*: itaque ait Scotus, quod neque ex majori, neque ex minori

nori perfectione habetur medium ad probandum productionem alicui enti convenire. Et §. *itaque num.* 3. ait in fine: *ita potest argui, quòd nulla forma activa est, nisi aliqua substantialis formæ, & aliqua de genere qualitatis*: itaque in via Scoti non sunt alia à substantia, sicut neque omnis qualitas, quia qualitates secundæ non sunt productivæ, ut calor, albedo, nigredo, bene tamen frigiditas, caliditas, & humiditas, & siccitas, quæ sunt qualitates primæ. Vide etiam *Scotum in* 1. *dist.* 7. *q.* 1. §. *ad formam. v. ad propositum. num.* 19. ubi hæc clarius docet, & expressius.

959. Impugno igitur prædictam opinionem rationibus, quibus eam impugnat *Scotus in* 4. *dist.* 12. §. *si contra hoc. à num.* 10. *& infra*: *&* 9. *Metaph. q.* 7. §. *ad quæstionem. num.* 7. *& lib. de rerum principio q.* 11. *art.* 3. *num.* 30. §. *tem.* impossibile est, quòd illud, quod minoris perfectionis est, possit habere influxum, & causalitatem, sive actionem in illud, quod majoris perfectionis est; sed substantia majoris perfectionis, & excellentioris ordinis est accidente: Ergo impossibile est, quòd accidens valeat immediatè attingere productionem substantiæ. Major probatur: impossibile est, quòd illud, quod majoris perfectionis est, contineatur in virtute illius, quod inferioris ordinis est, & perfectionis (quod enim magis perfectum est non continetur in illo, quod minus perfectum est, bene tamen è contra) quia illud, quod in alterius virtute continetur, vel est perfectionis minoris, ac est illa, in qua continetur, vel ad summum æqualis perfectionis: Ergo impossibile est, quod illud, quod est minoris perfectionis, possit in sua virtute continere illud, quod majoris &c.; sed illud, quod in sua virtute non continet aliud, non valet illud tale producere: Ergo &c.

960. Huic argumento respondent communiter Thomistæ, quòd bene concludit argumentum, quòd accidens nequit esse causa principalis substantiæ, taliter quòd accidens virtute sua propria valeat producere substantiam; cæterùm non concludit, quòd accidens tanquam substantiæ instrumentum, & potentia possit virtute substantiæ, quæ est causa principialis attingere productionem substantiæ, quia effectus non commensuratur in perfectione cum sua causa instrumentali, qualis est accidens, sed cum causa principali, quæ est substantia, & cùm hæc sit æqualis perfectionis cum substantia, quæ de novo generatur, hinc fit, quòd nihil faciat argumentum contra illos.

961. Sed contra istam responsionem sic insurgo: vel accidens quatenùs substantiæ instrumentum, & potentia habet aliquam actionem, sive influxum sibi proprium, & peculiarem distinctum ab influxu substantiæ, quæ est causa principalis, vel non? Si hoc secundum: Ergo accidens nihil efficit, sive producit substantiæ, sed tota substantia, quæ producitur alteri substantiæ producenti correspondet, taliter quòd accidenti nihil correspondet substantiæ. Si autem aliquam rationem distinctam ab actione substantiæ habet accidens, contra: illa actio se tenens ex parte accidentis, quatenùs instrumentum substantiæ, & ipsum accidens, à quo oritur illa actio, essentialiter inferioris ordinis sunt, ac est substantia:

tia:

tia: Ergo illa actio se tenens ex parte accidentis ad substantiam neque instrumentaliter, neque partialiter potest attingere substantiam: Antecedens probatur quoad primam partem: illa actio se tenens ex parte accidentis nequit esse altioris perfectionis, ac est ipsum accidens, à quo oritur, & dimanat; sed accidens ex sua natura inferioris ordinis est, ac est substantia: Ergo illa actio nequit non esse inferioris ordinis, ac perfectionis, ac est substantia.

962. Et roboratur: omnis actus secundus necessariò supponit actum primum; sed illa actio se tenens ex parte accidentis est actus secundus: Ergo necessariò supponit in ipso accidente actum primum, hoc est, virtutem, & fecunditatem ad talem actum secundum: sed accidenti ab intrinseco repugnat continere in actu primo substantiam ob rationem supra num. 959.: Ergo repugnat accidenti talis actio terminata ad substantiam. Et roboratur ulterius: quandocumq; terminum actionis repugnat contineri in agente, etiam repugnat actio tendens ad dare esse tali termino ipsi agenti; sed substantiæ, quæ generatur, repugnat, quòd contineatur in virtute accidentis, etiam prout instrumentum est substantiæ: ergo actio accidentis ut instrumenti ipsi repugnat, quæ terminetur ad dare esse substantiæ.

963. Et urgeo ulteriùs rationem: accidens etiam prout instrumentum substantiæ, & potentia ejus est accidens, & intra sphæram, & lineam accidentis constitutum; sed accidens prout tale nequit influere in substantiam, eo quòd inferioris ordinis est ipsa substantia: Ergo etiam prout instrumentum substantiæ est, nequit causare substantiam. Major probatur: per hoc quòd calor v. g. sit instrumentum, quo utitur ignis ad alium ignem generandum non extrahitur à ratione caloris, immò prout calor igni connaturalis est ejus instrumentum: Ergo si prout calor nequit ignem producere, neque prout instrumentum: Ergo &c.

964. Alii his victi efficacissimis rationibus respondent ulteriùs proterviando in suo præcipitio, quòd accidens prout instrumentum bene verum est, quòd non egreditur metas accidentis, sed semper intra sphæram accidentis manet, cæterùm quòd non agit in virtute propria accidentis, sed in virtute substantiæ, quæ est causa principalis, quæ utitur illo instrumento, ut in exemplo allato patet, nam quando ignis alium generat ignem, utitur calore ad talem ignis generationem, qui quidem calor non agit in virtute caloris propria, & prout à substantia ignis separatus, sed in virtute ignis, qui est agens principale, quod tali calore, tanquàm instrumento utitur: eodem prorsùs modo (proportione servata) quo artifex lignarius utitur serra tanquàm instrumento ad ligni scissionem, quæ quidem serra non in virtute talis scindit, sive dividit lignum, sed in virtute artificis videlicet, qui serram movendo hinc inde dividit lignum.

965. Sed contra, & assumo idem exemplum, quando calor ut instrumentum ignis, quo utitur ignis, ad alterius ignis generationem deservit, vel accipit aliquam virtutem: Ergo sicut antea accidens impotens erat ad substantiæ productionem, ita post. Patet consequentia; quotiescumque enim virtus

virtus alicujus invariata manet, eadem potentia, vel impotentia, quæ erat in tali virtute etiam invariata manet; nam ut ait Philoſophus, idem quantumcumque idem ſemper eſt natum facere idem. Si calori additur aliqua nova virtus, qua noviter eſt potens, quod antea non habebat, interrogo, vel illa virtus nova, quæ de novo additur accidenti eſt ſubſtantia, vel accidens? Si accidens: Ergo ſicut calor eo quòd accidens ante illam novam virtutem impotens erat ad productionem ſubſtantiæ, ita per talem accidentalem virtutem novam ſibi ſuperadditam, eodem modo impotens, quia etiam poſt talem virtutem manet intra ſphæram accidentis, cùm talis virtus accidens ſit, & ſic ſemper minoris perfectionis ſubſtantia. Si illa virtus ſuperaddita, eſt ſubſtantia: Ergo jam non accidens, ſed ſubſtantia prout talis eſt, quæ producit: præterquam quòd virtus ſubſtantialis accidenti ſuperaddita nequit in ipſo recipi, quia ſubſtantia non recipitur in accidenti, neque explicabilis eſt motus, quo talis nova virtus ſubſtantialis aliter accidenti addatur.

ARTICULUS SECUNDUS,

Ubi aliquibus præmiſſis vera Doctoris noſtri ſubtilis ſtabilitur ſententia.

966. UT certa à dubiis ſeparemus, ſuppono primo ex omnium Philoſophorum conſenſu, quòd quando ignis v. g. introducturus eſt formam ignis in materia ligni, prius applicatur ligno, & poſtea per qualitates activas ſiccitatis, & caloris deſtruit qualitates humiditatis, & frigiditatis, quas habet lignum, quibus deſtructis deſtruitur forma ligni, & introducitur forma ignis in eadem materia, quæ antea erat ſub forma ligni, & in hoc nulla eſt controverſia, omnes enim hanc ſupponunt veritatem, tanquàm fundamentum primum.

967. Secundò ſuppono, quod ita certum eſt apud omnes (uno, vel altero dempto, quia ut ait Scotus una hirundo non facit ver) videlicet quòd forma ſubſtantialis habet virtutem productivam reſpectu accidentium, quia calor etiam in via Divi Thomæ effectus eſt productus ab igne, & loquor de calore, quo ignis formaliter in ſe calidus eſt, & ſimiliter aqua in ſeipſa producit frigiditatem, quod patet experimento, nam ſi aqua calefacta ſeparetur ab igne, ſive calore calefaciente ipſam, ipſa aqua revertitur in ſuam frigiditatem priſtinam, quæ quidem frigiditas non ab alio extrinſeco agente, ſed ab ipſa aquæ ſubſtantia in ſeipſa producitur. Idem dico de ſubſtantia corporea, quæ in ſeipſa producit quantitatem molis, qua formaliter eſt quanta, & in via Divi Thomæ anima in ſeipſa producit intellectum, & voluntatem, quæ ſunt accidentia ipſius animæ, etiamſi in noſtra doctrina non accidentia ſint, ſed formaliter ſubſtantiales realiter identificatæ cum ipſa anima.

968. Hoc ſuppoſito non controvertimus modò, an ſubſtantia producat immediatè aliquos effectus ordinis accidentalis, licèt ad majorem intelligentiam etiam hoc ventilabimus, ſed utrum ſubſtantia, quæ de novo producitur v. g. ignis immediatè ab alia ignis ſubſtantia, ſive ab alio igne generetur, vel à formis acci-

accidentalibus ignis immediatè, & mediatè ab ipso igne generante.

969. Sit ergo prima conclusio: substantia omnis creata est productiva immediatè suorum accidentium connaturalium, & conservatorum substantiæ. Hæc conclusio expresè habetur à *Scoto in 4. dist. 12. q. 3. §. item. num. 12. & in 2. dist. 16. q. 1. §. rationes istæ. num. 5. & lib. 7. Metaph. Aristotelis cap. 9. in fine sub num. 23. & aliis in locis*, num. 959. citatis. Probatur ergo ratione: qua eam probat *Scotus in 4.* ubi supra, & suppono, quòd in individuis caloris v. g. non est procedendum in infinitum, ita ut dicamus, quòd calor *A*, fuit causatus à calore *B*, *B* à calore *C*, & *C* à *D*, & sic in infinitum, sed necessariò est deveniendum ad aliquem primum calorem, qui alium calorem non supponat; ille primus calor fuit productus, & causatus: Ergo ab aliqua alia causa; non ab alio calore, quia supponitur, quòd ipse fuit primus. Ergo ab alia causa perfectiori: sed hæc causa perfectior non potuit esse alia, nisi substantia ignis, cui talis calor est connaturalis: Ergo substantia est accidentium productiva. Idem facio argumentum de aliis accidentibus.

970. Sed quia possunt respondere adversarii, quòd talis primus calor in igne existens v. g. non fuit productus ab ignis substantia, sed à Deo talem calorem producente, & ipsum introducente in igne, licèt hoc sit sine fundamento ullo, tamen contra illos insurgo: experientia constat, quòd aqua calefacta deficiente extrinseco calefaciente redit in suam pristinam frigiditatem paulatim, & calor inexistens paulatim etiam remittitur; sed non est recurrendum ad divinam potentiam, nisi manifesta necessitas nos urgeat: Ergo ad hoc quòd aqua suam acquirat frigiditatem pristinam, non est necessarium ad Deum recurrere, cùm possit ipsa aquæ substantia illam frigiditatem in se producere. Insuper accidens dependet immediatè à substantia, non solùm quoad esse quietum accidentis, sive ad factum esse, sed etiam quoad fieri: Ergo substantia habet influxum immediatum in accidens.

971. Sit secunda conclusio: substantia corporea, quæ producitur, immediatè ab alia substantia producitur, ut ignis v. g. *A*, producit immediatè ignem *B*, & sic de aliis, quas quotidiè videmus generari, ut homo ab alio homine, leo ab alio leone &c. hæc conditio expresè habetur à Scoto locis supra citatis num. 959. & ab *Aristotele* 7. *Metaph.* cap. 8. text. & comm. 28. num. 64. ubi ait: *in quibusdam verò palàm, quia generans tale quidem est, quale generatum, nec tamen nec idem, nec unum numero, sed unum specie, ut in Physicis, homo namque hominem generat.* Quod Scotus confirmat ibidem *ex 2. Physic. text. & comm. 70. quòd generans, & genitum non incidunt in idem numero, sed in idem specie*: Ergo illud est principium, à quo generatur homo, quod est idem in specie cum ipso homine; sed quod est idem in specie cum homine est substantia ipsa hominis: Ergo &c.

972. *Item idem Philosophus in eodem 7. cap. 9. text. & comm. 32. in fine sub num. 73. sed proprium substantiæ ex his accipere est, quia necesse*

necesse est praexistere semper aliquam substantiam actu existentem, quæ facit ut animal sit, si animal nascitur, quale verò, & quantum non necessarium, nisi potestate solùm. Quod explicat *Scotus* in 4. citato his verbis: *vult* ergo quòd ad hoc, quòd substantia fiat, & necesse aliam substantiam præexistere, quæ producat, sed ad hoc, quòd quantum, *vel quale producatur, non oportet aliquod quantum, vel quale præexistere, nisi potentia tantùm.* Et clarius in Metaph. super locum citatum in fine: assignat differentiam inter substantiam, & accidentia &c. Et infra: *nam principium activum substantiæ non potest esse nisi substantia; principium autem activum accidentis potest esse substantia, & non accidens.* Idem probat *Scotus loco citato in lib. de rerum principio ex Philosopho 2. de generatione text. 53.*

973. Probatur conclusio ratione, qua eam probat Scotus in 4. ait: quæ etiam habetur à Divo Thoma 1. p. q. 2. art. 2. illa forma est principium agendi, sive generandi, in qua generans, & genitum assimilantur; sed generatum principaliter assimilatur generanti in forma substantiali, secundùm quid autem simile assimilatur in accidentibus: Ergo forma substantialis in substantia est principium activum, sive generandi alteram substantiam. Major probatur: illud est principium generandi in generatione univoca, in qua generans, & genitum specificè univocantur; patet, quia generans, sive causans univocum est, quod causat, & producit effectum ejusdem formæ, & perfectionis univocæ, ac est ipsa causa, ut dixi num. 945. sed generata substantia specificè univocatur cum altera substantia producente, & non cum ejus formis accidentalibus: Ergo forma substantiæ est, quæ immediatè producit alteram substantiam.

974. Secundò probatur ex eodem *Scoto in 2. dist. 16. q. unica. num. 16. necesse est substantiam generari à substantia tam in generatione univoca, quàm æquivoca:* probo: necesse est, quod forma generantis, quæ est principium generationis, sit nobilior (si generatio est æquivoca) vel æquè nobilis, sicut forma geniti, si generatio est univoca, sed impossibile est, quòd forma accidentalis, quæcumq; sit, perfectior sit forma substantiali: Ergo non potest esse principium immediatum generandi: Ergo necesse est, quòd principium immediatum sit substantia: Ergo &c.

975. Tertiò probatur ratione communi: actio, per quam producitur substantia, essentialiter est substantialis, sed actio substantialis nequit ab alio principio, quàm à substantia nasci: Ergo substantia nequit produci nisi à substantia. Major est per se nota, minor probatur: actio, quæ nascitur ab accidenti est alteratio essentialiter; sed alteratio est actio, sive influxus, quo producitur accidens: Ergo actio substantialis, quæ essentialiter distincta est ab alteratione, nequit nisi à substantia nasci: Ergo substantia nequit nisi à substantia causari.

976. Sit tertia conclusio: nullum accidens quantumcumque perfectum sit, potest producere substantiam, tanquàm causa principalis substantiæ. Hæc conclusio satis patet ex dictis à num. 959. & infra, & ulterius probatur: simpliciter imperfectius secundùm

dùm speciem, vel genus non potest esse totale principium alicujus activum perfectioris; sed accidens sic se habet respectu substantiæ: Ergo &c. Major ex se patet; qua negata (*ait Scotus sub num.* 13. §. *secunda conclusio. v. contra hoc.* nescirem probare aliquem ordinem entium, immò nec quòd primum ens esset perfectissimum, immò posset proterviendo dici, quòd totum universum, & quodlibet in ea factum est à musca; si enim arguas, quòd musca est ita imperfecta, & tu idem dices, quòd imperfectius potest producere perfectius; unde ita evidens est, quòd illud, quod minùs perfectum est, nequit esse causa totalis effectiva entis perfectioris, quod non potest probari, nam non est alia propositio clarior, & notior, per quam possit declarari ejus veritas.

977. Sit quarta conclusio: accidens neque ut instrumentum, neque in virtute substantiæ, neque partialiter, & minùs principaliter potest producere substantiam; tum quia accidens ex sua natura dependens est à substantia, & illa naturaliter posterius, & causa debet esse prior saltem prioritate naturæ, quàm ejus effectus, vide, quæ diximus num. 958. ex 1. dist. de causis ut sic; tum quia actio accidentalis est alte, actio verò, qua substantia producitur, est substantialis, vide num. 975. tum quia est imperfectioris naturæ, ac est substantia, vide num. 958.

978. Et ulteriùs probatur: nihil relucet ex parte effectus substantialis, qui producitur, quod possit correspondere accidenti: Ergo accidens neque partialiter, neque instrumentaliter potest producere aliquid substantiæ. Antecedens probatur: totum, quod relucet ex parte effectus substantialis, qui producitur, est substantia: Ergo nihil relucet, quod possit correspondere accidenti. Antecedens est certùm, consequentia probatur: ideo tota substantia nequit ab accidenti solùm produci, quia est substantia, & ordinis superioris, ac est accidens, sed etiam secundùm omnes suas partes, quantumcumque minimæ sint, talis effectus est substantia, & perfectioris naturæ, ac est accidens: Ergo nihil relucet, quod possit nec partialiter correspondere accidenti, siquidem substantia, quæ producitur secundùm omnes suas partes, est substantia, & altioris ordinis, & naturæ, ac est accidens: Ergo &c. Alias omitto rationes apud authores videndas.

Argumenta contra dicta.

979. PRimò contra nostram primam conclusionem arguitur, & est argumentum, quod etiam militat contra secundam, in quibus asserimus, quòd substantia per se ipsam immediatè est productiva, tam respectu suorum accidentium, quæ illam conservant, quàm respectu alterius substantiæ: esse, & operari in creaturis realiter distinguuntur, solus enim Deus ob suam infinitam perfectionem est sua operatio: Ergo potentia, quæ ordinatur ad esse, sive existentiam, realiter distinguitur ab illa, quæ ex sua natura ad operationem ordinatur. Antecedens est certum, consequentia probatur: potentiæ

tiæ ſpecificantur per actus ex Philoſopho 2. de anima, ſed actus eſſendi diſtinguitur realiter ab eſſe operandi, ſive operationis, cùm poſſit dari actus eſſendi ſine actuali operatione: Ergo potentiæ, à quibus tales actus eſſendi, & operandi dimanant, etiam diſtinguuntur realiter. Et confirmatur ex *Philoſopho 9. Metaph. text. 3. & 12. ejuſdem text. 26. & 28.* Ubi ait: cujus eſt actus, ejus eſt & potentia; Et infra: *actus, & potentia ejuſdem ſunt generis*; ſed operari, ſive operatio eſt accidens ſubſtantiæ: Ergo potentia, à qua naſcitur talis actus operationis, etiam eſt accidens.

980. Reſpondeo ad hoc argumentum, quod eſt validiſſimum Thomiſtarum telum, concedendo antecedens, & negando conſequentiam: non enim requiritur tanta diſtinctio inter potentias, quanta reperitur inter actus ab illis potentiis dimanantes; potentia enim volitiva, & intellectiva ſunt idem realiter, & tamen actus voluntatis, & intellectus realiter diſtinguuntur, immò ab eadem formaliſſima potentia poſſunt naſci actus realiter, & ſpecificè diſtincti, ut patet de intellectu etiam in eorum ſententia, qui cùm eadem potentia ſit ab illo naſcuntur actus realiter diverſi. Ad confirmationem reſpondeo diſtinguendo majorem: potentiæ ſpecificantur per actus extrinſecè, concedo: intrinſecè, & eſſentialiter, nego. Nam cùm actus ſit quid extra quidditatem potentiæ, & extra realitatem, cùm ab illa realiter diſtinguatur, nequit eſſe intrinſecum, & eſſentiale potentiæ ſpecificativum, ſed extrinſecum, ex quo nihil contra nos, cùm eadem res ſpecificari poſſit à pluribus diverſis ſpecificativis extrinſecis, & ad identitatem, vel diverſitatem potentiæ nōn attenditur ad identitatem, vel diverſitatem actus, ſed ad quod de intrinſeca ratione potentiæ eſt.

981. Ad authoritatem Philoſophi reſpondeo ex *Scoto* in 2. cit. quod cujus eſt actus, ejus eſt & potentia, loquendo de actu exiſtendi, & de potentia objectiva, ita ut ſit ſenſus, illud idem ens, quod fuit in potentia objectiva, ſive in eſſe poſſibili eſt, quod eſt in actu exiſtendi, quando producitur extra cauſas, & in hoc ſenſu non ſolùm actus, & potentia ejuſdem ſunt generis, ſed etiam ejuſdem individui, nam idem numero Petrus, qui fuit in eſſe poſſibili, ſive in potentia objectiva, eſt in actu exiſtendi, quando producitur, & ponitur extra cauſas, & in hoc ſenſu loquitur ibi Philoſophus, non vero loquitur de potentia operativa, & ejus actus, ſive effectus, qui ab illa producitur, cùm actus ſit accidens, & principium, à quo producitur, petit eſſe ſubſtantia.

982. Præterquam quòd ſi argumentum concluderet contra nos, etiam contra illos concluderet, nam ideo in ſubſtantia ajunt ipſi debet eſſe principium eſſendi diſtinctum à principio operandi, quia actus eſſendi, & operatio realiter in omni creatura diſtinguuntur: ergo etiam in accidente, in calore v.g. debent ipſi aſſignare principium eſſendi calorem realiter diſtinctum à calefactionis principio, taliter quòd calor non per ſe, & ſuam eſſentiam calorem producat, ſed per aliud principium, quod ſit potentia operativa caloris; patet, quia accidens etiam creatura eſt; quòd ſi in eorum ſententia calor immediatè per ſuam eſſentiam producit alium calorem, ſine inconvenienti, quare ſub-

ſubſtantia non producit immediatè per ſuam eſſentiam, ſive ſubſtantiam aliam ſubſtantiam, quòd ſi argumentum non tenet contra illos, nec contra nos tenebit.

983. Secundò arguitur ex *Philoſopho 2. de anima text.* 5. ubi ait, quòd calor naturalis eſt inſtrumentum, medio quo anima nutrit digerendo cibum, & illum in ſubſtantiam aliti convertendo; at calor naturalis eſt accidens: Ergo ſubſtantia non per ſe, ſed mediis accidentibus producit aliam ſubſtantiam. Item idem *Philoſophus lib. de ſenſu, & ſenſato*, ait: *ignis non agit in quantum ignis, ſed in quantum calidus:* Ergo ratio agendi in igne non eſt ipſa ſubſtantia ignis, ſed caliditas, quæ eſt ejus accidens.

984. Reſpondeo ad primum ex *Scoto* in 4. cit. quòd calor naturalis eſt inſtrumentum, medio quo cibus alteratur, & diſponitur ad hoc ut per actionem ſubſtantialem nutritivam convertatur in ſubſtantiam aliti, & quòd calor non eſt à quo convertitur cibus in ſubſtantiam aliti; nam hoc fit à ſubſtantia, quæ nutritur per actionem ſubſtantialem nutritivam, ſed quo diſponitur ad alterationem, & corruptionem, & ſemel cibus alteratus, & diſpoſitus à calore introducitur in cibi materia ſubſtantialis forma carnis, non à calore, niſi diſpoſitivè, ſed à ſubſtantia, & per actionem ſubſtantiæ. Ad illud de igne reſpondeo, quòd in igne datur duplex actio, una, quæ vocatur ignitio, id eſt media qua producitur alius ignis; & hæc provenit ab igne in quantum ignis ſubſtantialiter eſt; alia, quæ vocatur calefactio, & eſt media qua producitur calor in paſſo igni approximato, & iſta actio provenit ab igne, non quatenùs ignis eſt, ſed quatenùs calidus eſt, quia à calore exiſtente in igne producitur calor in paſſo igni approximato; & de hac ſecunda actione loquitur Philoſophus, non verò de prima; ex quo nihil contra nos.

985. Tertiò arguitur contra noſtram tertiam, & quartam concluſionem, in quibus aſſerimus, quòd accidens nec tanquàm cauſa principalis, nec tanquàm cauſa inſtrumentalis, ſive partialis poteſt attingere ſubſtantiam, & eſt argumentum, quod immediatè militat contra noſtrum fundamentum, quo fundamus noſtram concluſionem: experientia conſtat, quòd ex putrefactione terræ, & calore ſolis vermes, & mures generantur, & alia hujus modi animalcula: Ergo ex cauſa minoris perfectionis poteſt generari effectus nobilior. Antecedens eſt certum, conſequentia probatur: quodcumq; vivens perfectius ſimpliciter eſt quolibet non vivente ſecundùm ſpeciem, & genus; vermes, & mures ſunt viventia, & putrefactio, & Sol non ſunt viventia, & tamen à Sole, & putrefactione generantur: ergo &c.

986. Reſpondeo diſtinguendo antecedens: vermes, & mures ex putrefactione, & calore Solis generantur diſpoſitivè, concedo: per ſe, & immediatè, nego. Nam quod facit Sol medio calore non eſt aliud, quàm diſponere materiam ad talium viventium generationem, alterando per calorem illum materiam, qua alterata, & diſpoſita illa forma viventis cùm ſit perfectior ipſo Sole, non poteſt ab ipſo introduci, neque à calore, ſive putrefactione, ſed à Deo authore naturæ introducitur, ex pacto quod Deus cum natura inivit de producendo, & cauſando

ſando quotieſcumque eſſet diſpoſita materia, ſi non eſſet agens creatum, à quo poſſit talis forma introduci ad ſalvandum ordinem ab ipſo præfixum, quod ad corruptionem unius ipſe generaret, vel natura aliud, ex quo nihil contra nos.

987. Quartò arguitur: ratio aſſignata quare accidens nequit producere ſubſtantiam eſt, quia minoris perfectionis eſt ipſa ſubſtantia; ſed hæc ratio nulla eſt: Ergo ruit fundamentum. Major ex dictis apparet, minor verò probatur: etiamſi phantaſma inferioris ordinis, & perfectionis ſit ſpecie intellectuali, nihilominùs in communi conſenſu influit partialiter in ſpeciem, & illam partialiter cauſat: Ergo etiamſi accidens inferioris ordinis, & perfectionis ſit ipſa ſubſtantia, poterit nihilominùs ad illam partialiter concurrere, & illam cauſare. Antecedens eſt evidens in omni doctrina, conſequentia probatur: plus diſtat phantaſma à ſpecie intelligibili in perfectione, quàm accidens à ſubſtantia; ſed phantaſma non obſtante ſua imperfectione poteſt ſaltèm partialiter cum intellectu agente producere ſpeciem intelligibilem: Ergo potiori jure accidens ſimul cum ſubſtantia poterit ſaltèm partialiter producere ſubſtantiam. Major patet; plus diſtat corpus à ſpiritu in perfectione, quàm unum corpus ab alio corpore; ſed phantaſma eſt quid corporeum, ſpecies verò intelligibilis quid ſpirituale: Ergo plus diſtat phantaſma à ſpecie intelligibili in perfectione, quàm calor v. g. à ſubſtantia ignis; cùm utrumque corporeum ſit. Major hujus confirmationis probatur: illa, quæ diſtinguuntur in genere, plus differunt, quàm quæ ſub eodem genere continentur; ſed corpus, & ſpiritus diſtinguuntur in genere, corpus verò ſubſtantiale, & accidentale ſub eodem genere corporei continentur: Ergo &c.

988. Fateor hoc eſſe validiſſimum argumentum, quod contra nos ex noſtra doctrina & principiis poteſt efformari, quod fortè quos ego viderim hìc omittunt, quia vel ſolutionem ignorant, vel non audent illi tergà non vertere. Reſpondeo ergo, quòd phantaſma concurrit cum intellectu agente ad productionem ſpeciei intelligibilis, quatenùs repræſentativa eſt communicando illi ſpeciei repræſentationem objecti, quæ relucet in phantaſma, non verò ſpiritualitatem; & phantaſma quatenùs repræſentativum objecti non eſt inferioris ordinis, ac eſt ſpecies intelligibilis, etiam prout repræſentativa, etiamſi inferioris ordinis ſit ex illo capite, quo ſpecies intelligibilis eſt ſpiritualis, & phantaſma corporeum.

989. Pro cujus majori intelligentia ſuppono quòd ſpecies intelligibilis, quæ producitur ab intellectu agente, & phantaſmate duo habet, & eſſe repræſentativam objecti, & eſſe vitalem, & ſpiritualem: eſſe vitalem, & ſpiritualem, quod habet ſpecies illa, habet participatum non à phantaſmate, ſed ab intellectu agente, qui eſt vitalis, & intellectualis; eſſe verò repræſentativum, quod eſt in ſpecie non habet ſpecies ab intellectu agente, qui non eſt repræſentativus, ſed à phantaſmate, ita quòd repræſentatio objecti correſpondeat phantaſmati; at verò ſpiritualitas, & vitalitas correſpondet intellectui, ita ut quælibet iſtarum cauſarum det effectui, quod habet ex ſe.

990. Hoc ſuppoſito in forma ad argumentum

mentum respondeo concedendo majorem, & negando minorem; & ad ejus probationem distinguo antecedens: etiamsi phantasma inferioris ordinis, & perfectionis sit specie intelligibili, nihilominùs concurrit partialiter, & influit ad illius productionem secundùm quod repræsentativum est, concedo antecedens; & nego suppositum antecedentis, videlicet, quòd phantasma quatenùs repræsentativum sit inferioris ordinis,& perfectionis, ac est species intelligibilis, etiã prout est repræsentativa, immò in ratione repræsentativi tantæ perfectionis est phantasma, ac species intelligibilis; influit in illam, & illam partialiter causat, quatenùs vitalis, & spiritualis est, nego antecedens: quia esse spirituale vitale, quod relucet in specie, non est participatum à phantasmate, sed ab intellectu agente, qui est spiritualis, & vitalis, & nullum est inconveniens, quòd effectus, qui à duabus causis partialitèr producitur, excedat in perfectione quamlibet earum divisim, propter perfectionem, quam habet participatam ab alia concausa, immò est hoc necessarium. Unde licèt species intelligibilis sit perfectior secundùm quod spiritualis est phantasmate, quod est corporeum, tamen phantasma potest ad illam concurrere non secundùm quod spirituale est,sed secundùm quod repræsentativum est, in quo univocantur, & commensurantur.

991. At verò cùm substantia, quæ producitur, non sit divisibilis in aliquas partes, conceptus, sive formalitates taliter quòd secundùm unam formalitatem sit substantialis, & possit substantiæ correspondere, & secundùm aliam sit accidens, & secundùm illam possit correspondere accidenti, immò secundùm se totam sit substantia, hinc fit, quòd ab accidenti non possit nec partialiter causari, quia nihil est in substantia, quod non sit substantia, & per consequens majoris perfectionis, ac est accidens; at verò species habet duas quasi partes, & secundùm unam est repræsentativa, secundùm quam potest produci à phantasmate, quod etiam est repræsentativum, & secundùm aliam est spiritualis, & secundùm hanc nequit à phantasmate causari; quia majoris perfectionis est illa, benè tamen ab intellectu agente, qui etiam spiritualis est, non autem substantia ab accidenti ob rationem dictam.

992. Sed contra dices: etiam species intelligibilis secundùm se tota est spiritualis, taliter quòd nulla pars est in illa, quæ non sit spiritualis: Ergo nulla pars est in illa, quæ possit à phantasmate causari. Probo consequentiam: ideo tota species nequit totaliter causari à phantasmate, quia tota species dicit spiritualitatem, penes quam majoris perfectionis est, ac est phantasma; sed etiam secundùm omnes suas partes spiritualis est: Ergo secundùm nullam ejus partem potest à phantasmate causari: & si potest: Ergo jam aliquid minoris perfectionis potest producere saltèm partialiter illud, quod majoris perfectionis est.

993. Respondeo distinguendo antecedens: species intelligibilis est secundùm omnes suas partes Metaphysicas spiritualis, nego: secundùm se tota, & secundùm omne, quod dicit Physicè, concedo. Itaque licèt secundùm se tota talis species sit spiritualis, & secundùm se tota similiter repræsenta-

ſentativa, ſufficit, quòd conceptus ſpiritualis Metaphyſicè diſtinguatur in illa à conceptu repræſentativo, ad hoc quod poſſimus dicere, quòd ſecundùm unum conceptum eſt cauſata ab una cauſa, & ſecundùm alium ab alia, maximè cùm ſint cauſæ, quæ vocantur totales totalitate effectus, & partialitate cauſæ, ut patet in intellectu, & ejus objecto, quæ ſunt etiam cauſæ partiales partialitate cauſæ, quia una indiget alia ad cauſandum, & utraque partialiter influit, & totalitate effectus, qui totus effectus Phyſicè correſpondet cuilibet cauſæ totaliter, ex eo quòd denominationem totalem à qualibet ſortiatur cauſa, ab intellectu enim, & objecto producitur actus intelligendi, qui totus dicitur vitalis, & totus repræſentativus, & tamen in omni opinione ſecundùm quod vitalis producitur ab intellectu, & non ab objecto, & ſecundùm quod repræſentativus eſt, producitur actus ab objecto, & non ab intellectu; at verò in ſubſtantia non eſt ita, cùm ſubſtantia ſecundùm nullam ejus partem nec Phyſicam, nec Metaphyſicam eſt accidentalis, & ſic ſecundùm nullam ejus partem poteſt produci ab accidenti.

994. Ad reliquum argumenti reſpondeo negando majorem, & ad ejus probationem diſtinguo majorem: plus diſtat corpus à ſpiritu, quàm unum corpus ab alio, ſi corpora ſint ejuſdem prædicamenti, concedo: ſi ſint ad diverſa prædicamenta ſpectantia, nego. Ad cujus confirmationem concedo majorem, & nego minorem quoad ſecundam partem, videlicet, quòd calor, & ignis ſub eodem genere corporis prædicamentalis contineantur, quia corpus prædicamentale ſolùm in ſubſtantia reperitur, cùm ſit altera differentia diviſiva ſubſtantiæ; at verò corpus accidentale, quod in calore reperitur, ſolùm eſt corpus tranſcendentaliter, prout à ſpiritu diſtinguitur: unde plus differt accidens quodcumque à ſubſtantia, quàm unum accidens corporeum ab alio ſpirituali, quia hæc ſub eodem genere accidentis continentur; illa verò minimè.

995. Quintò arguitur: viſio beatifica producitur ſecundùm ſe tota ab intellectu naturali creato, & tamen viſio eſt quid ordinis ſupernaturalis, & perfectioris ſphæræ, ac eſt intellectus: ergo aliquid ſuperioris ordinis, & perfectionis poteſt cauſari à cauſa inferiori, & minus perfecta. Major eſt evidens in noſtra Schola, minor probatur: omne, quod eſt ordinis ſupernaturalis, majoris perfectionis eſt, ac illud, quod eſt ordinis naturalis; ſed viſio beata eſt ordinis ſupernaturalis, & intellectus ordinis naturalis: Ergo ſuperioris ordinis, & ſphæræ eſt viſio, quàm intellectus: Ergo &c.

996. Reſpondeo diſtinguendo majorem: viſio beatifica producitur ab intellectu ſecundùm ſe tota totalitate effectus, & totalitate cauſæ, nego: nam ſolùm ille effectus producitur totaliter totalitate cauſæ ab aliqua cauſa, quæ ſe ſola, & ſine alterius concurſu dat eſſe effectui; at cùm viſio non à ſolo intellectu, ſed etiam ab habitu luminis gloriæ partialiter producatur, hinc eſt, quòd producatur non totaliter totalitate cauſæ ab intellectu; producitur totaliter ab intellectu totalitate effectus, & partialitate cauſæ, iterùm ſubdiſtinguo: ab intellectu prout vitali, & ab habitu luminis gloriæ prout ſupernaturali, concedo: ab intellectu prout vitali, & etiam prout ſupernaturali,

 nego.

nego. Itaque visio beata habet tria, quæ licèt non sint realiter distincta, sunt tamen formalitates, sive Metaphysica prædicata, ratione quorum triplicem concursum causarum partialium terminat: primò est repræsentativa objecti, & per istum conceptum producitur, vel ab objecto, vel à specie objecti: secundò est vitalis, & penes istum conceptum producitur ab intellectu, qui est causa vitalis: tertiò est supernaturalis, & penes istum conceptum producitur ab habitu luminis gloriæ, qui est supernaturalis.

997. Ad minorem distinguo: visio est quid superioris ordinis, ac intellectus, secundùm quod vitalis, nego: secundùm quod supernaturalis, omitto: Ergo aliquid superioris ordinis potest produci à causa inferioris, distinguo: secundùm quod superioris ordinis, nego: secundùm quod æqualis perfectionis est, concedo. Unde licèt visio secundùm quod supernaturalis non possit produci ab intellectu, quia altioris perfectionis est, ac intellectus, qui est naturalis, tamen secundùm quod visio vitalis optimè potest ab intellectu, qui potentia vitalis est, produci, quia in vitalitate intellectus, & intellectio proportionantur, cæterùm in substantia, quæ generatur, nullus gradus reperitur, qui sit Physicè, nec Metaphysicè accidentalis, & sic nullus gradus est, qui possit correspondere accidenti, sed tota totaliter totalitate causæ, & effectus producitur à substantia. Alias replicas ad hoc, & argumentum præcedens omitto, quia eas non potestis portare modò.

998. Sextò arguitur: accidens ponit ultimam dispositionem ad generationem substantialis formæ: Ergo accidens generat substantialem formam. Antecedens est certum, à calore enim disponitur cibus ad hoc ut in substantiam aliti convertatur, à calore similiter disponitur lignum ad hoc ut in illo forma ignis introducatur: Ergo &c. Consequentia probatur: ab illo producitur forma substantialis, à quo ponitur in materia ultima dispositio ad talem formam; sed ab accidente ponitur ultima dispositio: Ergo &c. Et confirmatur: quia ultima dispositio habet essentialem connexionem cum forma substantiali, ad quam disponit: Ergo qui ponit ultimam dispositionem, ponit formam: Ergo &c.

999. Respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam; & ad ejus probationem nego majorem: nam ut ait *Scotus in 4. dist.* 1. *q.* 1. *§. ista ergo ratione. v. confirmatur istud. sub num.* 19. *ubi accidentia sunt instrumenta substantiæ non attingunt terminum principalem, sed tantùm quandam dispositionem præviam.* Unde bene possunt accidentia introducere ultimam dispositionem accidentalem ad substantiam, non tamen ex hoc infertur, quòd habeant influxum in substantiam. Unde concedo, quòd ultima dispositio habeat connexionem cum forma substantiali generanda, nego tamen, quòd producat formam substantialem, quæ ponit ultimam dispositionem, si talis ultima dispositio est accidentalis maximè, quòd dico propter ultimam dispositionem ad formam rationalem, quæ est forma substantialis corporeitatis, de qua ait *Scotus in* 2. *dist.* 8. *q.* unica: *sub num.* 10. *§. præterea. quod recurrendum est ad Divinam*

nam virtutem, quia semen, nec calor Solis potest esse causa tantæ diversitatis, quanta in organis reperitur.

1000. Septimò arguitur: accidens potest corrumpere substantiam: Ergo potest generare substantiam. Patet consequentia; quia tanta virtus requiritur ad destructionem substantiæ, quanta ad ejus generationem requiritur; antecedens probatur: quia calor v. g. potest destruere ultimum gradum frigiditatis, quem sibi postulat ex sua natura à qua, vel corpus humanum, & sine quo non potest naturaliter conservari; sed destructo gradu necessario frigiditatis, quem necessariò postulat aqua, vel humanum corpus, necessariò destruitur homo: Ergo si calor potest corrumpere illum gradum, potest corrumpere aquam.

1001. Huic argumento communiter respondent Scotistæ, nullo dempto, quem ego viderim, negando quòd calor possit corrumpere ultimum gradum frigiditatis, quam sibi vindicat aqua, & sine quo nequit conservari. Pro quo supponunt, quòd aqua v. g. quæ habet octo frigiditatis gradus, potest amittere usque ad septimum, si calor majoris virtutis, & activitatis applicetur aquæ, cæterùm illum ultimum gradum, octavum videlicet, non potest amittere, quia majorem conatum ponit aqua in talis gradus conservatione, quàm in conservationibus aliorum, qui non sunt ita simpliciter necessarii ad aquæ conservationem, taliter quòd si una gutta aquæ, quæ habet ultimum gradum caloris applicetur ad totam sphæram ignis, sive caloris, non poterit tota caloris sphæra corrumpere illum ultimum gradum frigiditatis aquæ, eò quòd majores vires applicet aqua ad talis gradus conservationem.

1002. Sed interrogare vellem Hispano sermone, ut ipsi, & alii intelligant, quod interrogo: *en que consiste esse major conato, que pone aora esta gota de agua, con el qual puede guardar aquel ultimo grado de frialdad, de que ella necesita para su conservacion; saca aora algun montante, o Juega de algunas armas majores, con que puede defender se de toda una es fera de Fuego? Y si aora saca esta espada, o montante el agua para defender aquel grado ultimo, porque no la saco tambien, quando tenia mas grados de frialdad, Y le seria mas facil su defensa? Parecemeque es muy linda media espada? Dicen que lo dice Scoto, io digo que me lo den en Scoto, y luego quemare io mis papeles.*

1003. Sed sive sit Scoti, sive non, sic contra illos insurgo: ille ultimus gradus frigiditatis ejusdem est naturæ, ac fuerunt gradus ulteriores, quos perdidit aqua vi caloris compulsa: Ergo sicut calor fuit potens alios gradus expellere ab aqua, ita potens erit expellere hunc ultimum. Antecedens est certum, consequentia probatur: causa naturalis sufficienter applicata agit in quantum potest necessariò: Ergo si aqua, quæ est causa naturalis, agit secundùm ultimum suæ potentiæ in defensione aliorum graduum frigiditatis, & non potuit illos non amittere propter excessum caloris, eadem aqua manens eandem impotentiam habet ad defensionem talis ultimi gradus: Ergo sicut amisit per calorem alios, ita amittit & hunc, cùm non sit major, immò minor ratio istius, quàm illius.

 1004. Re-

1004. Respondeo igitur ad argumentum distinguendo antecedens: accidens potest corrumpere substantiam dispositivè, hoc est, ultimam dispositionem, quæ est necessaria ad esse substantiæ, concedo: quod potest, immo de facto ipsam corrumpit, ut patet in febri cessante, in quo febris destruit ultimam dispositionem, quæ ad vitam servandam simpliciter requiritur, immediatè, & per se, nego; immò nego suppositum, quòd aliqua causa naturalis substantialis detur, quæ per se tendat in alterius substantiæ corruptionem; corruptio enim non intenditur per se, sed per accidens, & eodem modo respondeo distinguendo consequens: per accidens, & dispositivè, concedo: per se, nego. Ad confirmationem nego, quòd tanta virtus requiratur ad destructionem substantiæ, quanta ad generationem, plus enim requiritur ad ædificationem, quàm ad destructionem: ex quo nihil contra nos.

1005. Octavò arguitur experientiis quàm plurimis; in accidentibus enim panis Eucharistici corruptis multoties vermes generantur, & gutta aquæ, quæ projicitur in vinum ante consecrationem convertitur in vinum, & tamen aqua non efficit illam conversionem, sed vini accidentia, neque substantia panis convertitur in vermes, cùm ibi nulla panis substantia sit post consecrationem. Insuper ferrum candens introducit formam ignis in stupam sibi approximatam, & ex motione rotæ currus accenditur rota, sive currus ligneus, & ex putrefactione tritici generantur fruges, & alia hujus modi, ubi nullum est agens, à quo possit talis forma substantialis introduci: Ergo dicendum est, quòd ab accidentibus forma generetur: Ergo &c.

1006. Respondeo, ut dixi supra num. 986. quòd in his omnibus eventibus recurrendum est ad Deum authorem naturæ, qui supplet defectum agentis substantialis creati, ex pacto, & lege præfixa, & negando quod motus currus rotarum sit causa per se ignis generationis, sed per accidens, & dispositiva. Idem dico de ferro candente in stupam immisso, & de aquæ gutta immersa in vino, quia calor vini, sive accidentia destruunt accidentia aquæ conservativa, & illis destructis introducitur in materia aquæ forma vini, vel ab ipsa forma substantiali vini, vel à Deo authore naturæ. Alia minoris notæ argumenta omitto apud authores videnda. Et dicta pro hac celeberrima difficultate sint satis, ut ad alia transeamus.

ARTICULUS TERTIUS,

Appendix, ubi aliqua enodantur dubia, ut clarius, quæ in superioribus diximus, appareant.

1007. Dubitabis primò: utrùm forma substantialis ignis v. g. si esset à materia prima separata posset generare alium ignem naturaliter? Respondeo ex *Scoto in 4. dist. 12. q. 3. §. ad tertium. n. 39.* quòd problematicè potest sustineri. Pro parte affirmativa hæc est ratio; quòd sicut qualitas est totale principium alterandi; ita forma substantialis est totale principium generandi; sed calor v. g. si esset separatus, posset producere calorem in passo sibi approximato capaci: Ergo forma substantialis ignis si esset ita separata à materia posset in materia introducere formam aliam substantialem ignis: Ergo &c.

1008. Ne-

1008. Neque obstat, quòd *Philosophus asserat* 1. *Metaph.* quòd actiones sunt suppositorũ; sed forma substantialis separata à materia non est suppositum: Ergo nequit habere actionem: quia respondeo ex Scoto, quòd Philosophus non ait, quòd actio est suppositorum, sed quòd actio terminatur ad singulare, quia omne, quod producitur per aliquam actionem est singulare, sicut & principiũ, à quo talis nascitur actio. Et dato, quòd illa propositio esset Philosophi, sic est intelligenda; *actio est suppositi, ut ultimati denominati ab actione, sed non ut solius denominati ab ipsa.* Unde sic ex dictis exponenda est, actio est suppositi, vel alicujus habentis modum existendi suppositi, & cùm talis forma separata habeat modum existendi suppositi, siquidem per se existeret: hinc fit, quòd posset habere actionem, & generare aliquod suppositum.

1009. Sed contra dices ex *Philosopho* 1. *de generatione text.* 87. ubi ait: *oportet agens, & patiens communicari in materia*: Ergo ex mente Philosophi illa forma, quæ non communicat in materia, sive non est in materia, nequit generare compositum, quod essentialiter constat ex materia. Respondeo explicando authoritatem Philosophi: oportet agens communicari in materia actualiter, nego: aptitudinaliter, concedo. Unde sufficit, quòd illa forma generans sit apta nata esse in materia, ad hoc quòd possit actualiter generare in materia formam. Sed contra dices: *Philosophus* 9. *Metaph. text.* 85. arguit contra Platonem, ex eo quod ponebat Plato ideas, quæ erant principium generationis, tanquam formas separatas: Ergo forma separata nequit ex Philosopho generare. Respondeo, quòd Philosophus non arguit contra Platonẽ, quia posuit formas separatas, quas vocabat ideas, generare composita, sed quia Plato ajebat, quòd tales formæ separatæ erant spirituales omninò, & generabant composita corporea, quod spiritui repugnat, non quatenùs forma est, sed quatenùs spiritualis.

1010. Pro parte negativa militant rationes suprà factæ ex authoritate Philosophi, & hæc similiter ratio: ad hoc ut agens agat, necesse est, quòd sit sub modo convenienti ad agendum, sed modus conveniens formæ est, quòd forma sit in materia: Ergo necessariò requiritur, quòd forma ignis sit in materia, ad hoc quod possit ignem generare: Ergo si forma est separata, nequit compositum generare. Ad affirmativam partem magis inclinatur Scotus, sed quia ille problematicè respondet, idem judico respondendum ex ejus doctrina; idem dicimus de forma substantiali separata respectu formarum accidentalium, quas propria virtute valet generare, sive producere.

1011. Secundò dubitabis: an formæ accidentales activæ, ut calor, & frigiditas v. g. & hujus modi aliæ si sint separatæ, possint causare similes qualitates in subjecto, quas poterant causare quando erant conjunctæ cum suis formis substantialibus, quibus erant connaturales?

1012. Respondet *Scotus in* 4. *dist.* 12. *q.* 3. *§. ad aliud dubium. num.* 20 primò negativè, probabiliter, & opinativè his verbis: *uno modo breviter potest dici, quòd qualitas est principium actionis in passum habens contrarium, & hoc secundùm quemlibet gradum, secundum quem prius, & hoc quantum est ex parte qualitatis activæ, sed propter subjectum, in quo est*

 contra-

contrarium, quod determinat sibi aliquem gradum magis quàm alium, poßibile est, quòd non poßit in omnem gradum contrarii in quantum contrarium est in tali subjecto eodem modo, quo prius potuit. Vult dicere Scotus, quòd si calor ut octo v. g. conjunctus cum substantia ignis potens erat expellere frigiditatem ut octo ab aqua, idem calor manens, si separetur, non poterit expellere illam frigiditatem, quam antea erat potens destruere, non defectu caloris, sed defectu subjecti caloris, & ratione subjecti, in quo est frigiditas aquæ videlicet.

1013. Unde sub num. 22. ait Scotus: *ad primum concedo, quòd si tota substantia ignis in sphæra sua destrueretur, & manerent ibi omnia accidentia* (calor ignis videlicet, & siccitas) *gutta aquæ ibi apposita nunquam destrueretur ab illis:* quia ut ait Scotus antea sub num. 21. *dico ergo, quòd nulla substantia corrumpi potest, nisi à substantia.* Ex quibus verbis non attendendo utrùm sint de mente Scoti, vel non, Scotistæ supra citati num. 1001. de quibus irrisoriè egimus num. 1002. sumpserunt fundamentum ad stabiliendam doctrinam ibi impugnatam.

1014. Quos ulterius interrogo; est idem quærere, utrùm accidens simul cum substantia, calor v. g. simul cum igne possit generare, vel corrumpere substantiam aquæ, ac quærere utrùm calor separatus ab igne, immò & igne destructo possit corrumpere aquam? Profectò minimè, cùm ipse Scotus in verbis supra citatis num. 1012. quòd concedit accidenti conjuncto (data hypothesi, quòd verba prædicta sint genuina de mente Scoti, cùm satis ex his constet oppositum, cùm non utatur Scotus verbis affirmativis, qualia sunt dico, assero, vel hujus modi alia, sed verbis permissivis, qualia sunt potest dici) negat ipsi ut separato, idem habet *Scotus num. 23. 24. 25. 26. & 30*: Ergo de accidenti separato alia est difficultas, & quæstio, quod sic per evidentiam ostendo: hæc argumentatio ex verbis ipsis Scoti non tenet: calor separatus ab igne nequit corrumpere ultimum gradum frigiditatis, quam vindicat aqua: Ergo nec calor conjunctus cum igne non tenet, quia ut ait Scotus ubi supra: possibile est, quòd non possit in omnem gradum contrarii, in quantum contrarium est in tali subjecto, eodem modo, quo prius potuit: quia arguitur de accidenti prout extra subjectum ad ipsum prout in subjecto, quia Scotus non intendit ibi probare, quòd accidens neque in virtute substantiæ, neque ut substantiæ instrumentum potest attingere substantiam; quod de accidente à substantia separato, & agente propria virtute ipsi contrariæ sententiæ authores fatentur. Unde nihil faceret argumentum circa illos.

1015. Sed ne alicui scandalum pariant verba nostra irrisoria de gutta aquæ applicata toti Sphæræ caloris, audite verba magis ponderativa ipsius Scoti, quæ esse de ejus genuina mente ipsa verba præ se ferunt; ipse enim subtilis Doctor immediatè post illa verba de tota Sphæra caloris separati, & aquæ gutta sibi approximata, quæ permissiva sunt, & opinativa, ex eo forte, quòd aliquis Doctor illius temporis illam autumavit doctrinam, ait sub ipso num. 22. *ne tamen nimis absurdum dicatur hoc* (pensate verba: Ergo nimis absurda potest prædicta

solutio

ſolutio haberi (*& contra ſenſum, dico, quòd ſi accidentia aliqua activa* eſſent ſine ſubjecto, ſubſtantia quanta, & *qualis approximata eis corrumperetur, ſed non ab eis, immò ab agente univerſali cauſato, ſcilicet cœlo, ad quod eſt fuga naturalium, præcipuè cùm forma hic inducenda ſit imperfecta.*

1016. Et paulò infra: *& ſi eſſet aliqua forma, ad quam inducendam cœlum non ſufficeret, oporteret fugere ad primam cauſam ſimpliciter, quia hic induceret illam formam, ad quam agens naturale* (accidentia videlicet illa ſeparata, de quibus ibi loquitur) *diſponit; nec hoc eſt fugere ad miraculum, quia regulariter omnem impotentiam totius naturæ creatæ Deus ſupplet, ut patet in animatione corporis organici, ubi non ponitur miraculum; & ideo natura diſponente ad eam ultimata diſpoſitione Deus regulariter ſuppleret impotentiam naturæ.* Ecce quomodò ex mente Scoti, accidentia licèt non per ſe, & immediatè, ſed diſpoſitivè poſſunt etiam ſeparata ponere ultimam diſpoſitionem ad generationem alicujus formæ, quam non poſſunt ipſa accidentia generare, & ſimiliter ad corruptionem alterius, quam non poſſunt niſi diſpoſitivè corrumpere, qua ultimata diſpoſitione poſita ponitur forma, vel à cœlo, vel à Deo authore naturæ, & hoc ſine miraculo, quia homo non ponit niſi ultimam diſpoſitionem ad animam rationalem, & ea poſita anima introducitur in corpore organico, & tamen ſine miraculo.

1017. Vult ergo dicere Scotus, quòd & ſi accidens poſſit alterare ſubſtantiam inducendo in illam aliquem gradum incompoſibilem cum gradu qualitatis, quam ſibi neceſſariò vindicat, exempli gratia, ſi calor poteſt inducere calorem in aqua, & deſtruere ultimum gradum frigiditatis, quam ſibi poſtulat neceſſariò aqua ad ſui conſervationem, tamen non propter hoc eſt dicendum, quòd accidens caloris corrumpat aquam, quia forma ſubſtantialis aquæ non corrumpitur, niſi diſpoſitivè à calore, & immediatè ab agente introducente formam ſubſtantialem novam, quæ forma nova aliam præexiſtentem in genere formæ expellit, & agens talem formam novam effectivè cauſans, formam corrumpendam etiam effectivè expellit, ita ut ſemper ſit ſtandum in hoc, quòd ſubſtantia non niſi à ſubſtantia per ſe generetur, aut corrumpatur, & ab accidente merè diſpoſitivè.

1018. Habemus ergo ex Scoto, quòd calor v. g. ſeparatus poteſt cauſare calorem in paſſum ſibi approximatum, quod patet in accidentibus ſeparatis Euchariſticis, in quibus idem calor, odor, & ſapor reperitur, in tantùm quòd ſi vinum conſecratum frigeſiat, connotat experientia, quòd labia, lingua, os, ſive manus illud attingens frigeſcit, & tamen ibi nulla eſt ſubſtantia vini, nec panis, à qua hæc accidentia poſſint cauſari, ſed ſolùm accidentia ſeparata: Ergo ab illis poſſunt alia ejuſdem rationis accidentia generari.

1019. Tertiò dubitabis, utrùm ex ſuppoſitione quòd calor ut octo v. g. ſeparatus poſſet corrumpere frigiditatem, etiam ſeparatam, ut octo; poſſit idem calor ſeparatus eamdemmet corrumpere frigiditatem, exiſtentem in ſubjecto, taliter quòd per hoc, quòd calor ſit extra ſubjectum, non minuatur ejus virtus ad agendum, nec per

hoc

hoc quòd frigiditas sit in subjecto, acquirat novas vires ad resistendum calori.

1020. Respondo dupliciter; primo affirmativè ex Scoto citato n.1015. quia cùm calor non dependet à subjecto in agendo, si quandò est in subjecto potest corrumpere frigiditatem, etiam existentem in subjecto, si separetur calor à subjecto eandem potest frigiditatem vincere, & superare usq; ad ultimum gradum. Secundò respondeo negativè ex *Scoto n. 23. & 31. §. ad secundum dico.* & n.25. & eodem §. v. ad primum: & ratio est, quia frigiditas existens in subjecto, in aqua v. g. conservatur ab ipsa aquæ substantia, quæ habet majores vires ad conservandam frigiditatem, quàm calor separatus ad illam corrumpere, ita quòd licèt calor separatus potest corrumpere gradus frigiditatis, qui sunt in aqua, non necessarii simpliciter ad esse aquæ, tamen illos gradus, quos necessariò petit aqua ad sui conservationem, non poterit idem calor destruere, nisi ponatur magnus excessus ex parte caloris separati, ratione cujus excessus talis possit calor vincere virtutem conservativam frigiditatis in aqua, & ejus vires restituere, ut patet in illo exemplo de tota sphæra caloris juxta guttam aquæ.

1021. Probatur ratione, qua eam probat Scotus: comparando activum ad activum simpliciter perfectius secundùm entitatem, est simpliciter perfectius secundùm virtutem; sed substantia habet virtutem activam respectu qualitatis consequentis eam (v. g. aqua respectu frigiditatis) & qualitas contraria habet virtutem activam ad corrumpendam ipsam, simpliciter autem substantia est perfectior qualitate contraria: Ergo virtus substantiæ simpliciter est major in resistendo; quàm virtus qualitatis contrariæ in corrumpendo: Ergo calor separatus non est potens corrumpere eandem frigiditatem in subjecto conservante ipsam frigiditatem ad sui esse, quàm separatam valebat corrumpere.

1022. Sed contra dices: gratia separata, seu charitas nequit producere actum amoris, nec similiter quilibet habitus à potentia disjunctus: idem dico de specie impressa tam intellectiva, quàm sensitiva separata à potentia, cujus est species: Ergo accidens separatum non potest causare simile accidens, ac conjunctum. Respondeo concedendo antecedens, & distinguendo consequens: accidens separatum, quod est principium partiale alterius accidentis, qualia sunt assignata, quæ solùm ut concausæ partiales simul cum potentia causant, concedo: accidens, quod est principium totale alterius accidentis, qualis est calor, frigiditas, siccitas, & alia, quæ non petunt potentiam aliquam determinatam subjecti, nego. Et de istis loquimur impræsentiarùm, non verò de illis. Qui plura de hac re desideraverit, authores consulat. Hîc solet dubitari, an sicut anima v. g. mediis potentiis ab illa formaliter distinctis intellectus.

QUÆSTIO TERTIA,

De causalitate, sive influxu causæ efficientis.

POstquàm quæstione præcedenti statutum extat causam efficientem substantialem immediatè per suammet substantiam, & non mediis accidentibus producere suum substantialem effectum, sicut calor immediatè

mediatè per se ipsum producit alium calorem, nunc in præsenti quæstione agendum extat, per quid causa substantialis (idem inquirimus de accidenti) constituatur in actu secundo causans; pro cujus majori intelligentia aliqua præmittenda fore judicavi, quapropter sit

ARTICULUS PRIMUS,

Ubi aliqua ad intelligentiam quæstionis præmittuntur.

1023. PRimò est notandum, quòd sicut diximus supra dist. 3. hujus q. 1. art. 1. n. 895. & sequentibus, hic non quærimus impræsentiarùm, per quid constituatur causa efficiens in actu primo potens causare, sive producere effectum, quia certum est, quòd ignis v. g. à sua intrinseca virtute, & natura habet hoc, quod est posse alium ignem generare, & similiter homo à sua intrinseca natura habet hoc, quod est posse generare alium hominem, & sic de aliis; sed inquirimus modò, quid sit illa causalitas, per quam in actu secundo, & actuali virtutis exercitio constituitur causa efficiens actualiter causans; utrum sit ipsamet virtus absoluta, & intrinseca causæ, vel aliquid medians inter causam, & effectum, quo se habeat tanquàm via ad terminum, & hoc utrum absolutum, vel relativum, substantia, vel accidens sit, vel potius ipsemet effectus à causa procedens.

1024. Secundò est notandum, quòd hoc nomen actio, causalitas, sive fluxus (nam hæc omnia licèt sint diversa, tamen sæpissime pro eodem usurpantur) multipliciter sumitur ex *Scoto in 4. dist. 13. q. 1. §. ex dictis. num. 12.* primò sumitur actio pro operatione potentiæ intellectivæ, vel volitivæ, sive cujuscumque aliæ vitalis potentiæ; in quo sensu intellectio dicitur actio intellectiva, & volitio actio volitiva nuncupatur, & auditio actio auditiva, & sic de aliis, cùm tamen revera neque intellectio, neque volitio sint actiones, immò qualitates absolutæ, sive actus illarum potentiarum, qui media actione aguntur, sive causantur.

1025. Secundò sumitur actio pro respectu fundato in agente ad suum terminum, & cùm in quolibet agente naturali creato multiplex inveniatur respectus, multipliciter solet actio similiter usurpari. Primò sumitur pro illo respectu, quo agens, quatenùs producens refertur ad productum, quæ dicitur actio, sive productio activa, media qua denominatur causa, sive agens formaliter producens; cui ex parte effectus, sive compositi, quod est, quod producitur, correspondet alia relatio passiva, qua denominatur formaliter productum, sive causatum, & refertur ad producens, sive causans, & hæc relatio est prædicamentalis, quæ posito termino, & fundamento necessariò consurgit, supponitque necessariò ad sui esse tam esse fundamenti, quod est causa, quàm esse termini, qui est effectus.

1026. Tertiò sumitur actio pro respectu educentis ad eductum, qui est relatio fundata in ipso agente, & terminata ad formam, quæ est, quæ de potentia materiæ educitur; & ex parte formæ correspondet alia relatio passiva, quæ denominatur relatio educti terminata ad ipsum agens, quatenùs educens, sive quatenus de potentia materiæ illam formam educit; & hæc similiter est relatio prædicamentalis intrinsecus adveniens, quæ necessario ad sui esse petit

formam eductam, ad quam terminetur, & agens illam educens, in quo fundatur.

1027. Quartò accipitur actio pro respectu inducentis ad inductum: est relatio, media qua agens quatenùs formam jam à se eductam de potentia materiæ, illam in materia inducit, sive introducit, inducens formaliter denominatur, quæ inductio terminatur ad formam inductam, sive introductam in materia, cui ex parte formæ inductæ in materia correspondet alia relatio; quæ dicitur inductio passiva, qua formaliter forma inducta denominatur, quæ terminatur ad agens, quatenùs inducens illam formam in illa materia, & hæc etiam relatio est intrinsecus adveniens supponens ad sui esse fundamentum, in quo est, videlicet agens inducens, & formam inductam, ad quam terminetur.

1028. Quintò accipitur actio pro respectu transmutantis ad transmutatum, & est relatio fundata in agente, & terminata ad materiam, quæ est, quæ transmutatur per formam, media qua agens transmutans formaliter denominatur, cui ex parte materiæ transmutatæ correspondet similiter alia relatio terminata ad agens, qua denominatur formaliter materia transmutata ab illo agente per formam ab ipso introductam; & in hac acceptione actio transmutantis ad transmutatum est, quæ formalissimè constituit prædicamentum actionis, & relatio transmutati, sive materiæ ad agens prædicamentum passionis, & hæc relatio non intrinsecùs, sed extrinsecùs adveniens est, cùm possit dari idemmet agens in rerum natura, & idemmet transmutatum passum sive materia, sine eo quòd detur talis actio; sed ultrà requirit, quòd illud passum ab illo agente per formam à se productam transmutetur, ad hoc quod resultet illa relatio.

1029. Sextò accipitur actio pro re acta, sive pro ipso effectu, prout dicit esse ab alio, scilicet à causa; in qua acceptione actio idem est, ac forma fluens; sive forma in fieri, quatenùs nascitur à causa, & tendit in factum esse; sed hæc acceptio actionis non est acceptio formalis, sed materialis, sive fundamentalis, quia forma in fieri non constituit, sive per se pertinet ad aliquod peculiare prædicamentum, sed illius prædicamenti, & speciei est, cujus est effectus ipse, qui producitur. Unde si forma in fieri est de specie ignis, actio sumpta pro re acta ejusdem speciei est, & sic de aliis.

ARTICULUS SECUNDUS;

Ubi ad quæsitum per conclusiones fit satis.

1030. DICO primam conclusionem: actio sive causalitas, sive influxus, quo causa efficiens constituitur in actu secundo causans, sive dans esse effectui fundamentaliter, non est ratio sumpta pro respectu, sive relatione producentis ad productum, sive causantis ad causatum. Hæc conclusio expresè habetur à Scoto loco supra citato. Probatur: relatio producentis ad productum est prædicamentalis intrinsecùs adveniens necessariò supponens in esse simpliciter producens, in quo fundatur, & productum ad quod terminatur: Ergo relatio producentis ad productum non est, qua in actu secundo causa efficiens constituitur dans esse effectui.

1031. Dico secundam conclusionem: actio

actio sumpta pro relatione educentis ad eductum, & producentis ad productum non est causalitas causæ efficientis. Probatur: quia prima supponit formam eductam, ad quam terminatur, & secunda supponit formam inductam in materia, ad quam refertur: utraque siquidem est relatio intrinsecùs adveniens, supponens necessariò in esse simpliciter fundamentum, & terminum; sed terminus primæ est forma educta de potentia materiæ: Ergo jam supponitur forma educta, antequam sit relatio: & similiter terminus secundæ est forma inducta, sive introducta in materia: Ergo jam supponitur forma, antequàm detur relatio inducentis ad inductum. Præterea potest dari vera causa efficiens, sive causans effectum Physicum, & realem sine relatione inducentis ad inductum, & educentis ad eductum: Ergo istæ relationes non sunt ipsæ causæ efficientis causalitas. Antecedens patet, nam si Deus crearet compositum ipsum quidem produceret concreando simul materiam, & formam sine eductione formæ à materia, neque inductione: Ergo &c.

1032. Dico tertiam conclusionem: actio propriè dicta de genere actionis, sumpta pro relatione transmutantis ad transmutatum non est causalitas causæ efficientis. Probatur, quia hæc actio terminatur ad materiam transmutatam per formam: Ergo jam supponit formam productam in esse simpliciter: Ergo non est ratio formalis producendi formam, immò neque compositum, quia non ad compositum, sed ad materiam terminatur.

1033. Dico quartam conclusionem: nulla relatio potest esse causalitas media, qua causa efficiens in actu secundo constituatur causans, sive dans esse effectui, non reduplicativè, sed specificativè. Hæc conclusio expressè habetur *à Scoto in 4. citato, & 5. Metaph. q. 9. §. relatio. sub num. 12.* ubi ait: *relatio non est quo agens agit, nec quo habens potentiam est potens, nec quo receptivum recipit, nec quo objectum est objectum.* Idem habet *in 3. dist. 15. 1. §. aliter potest. num. 8. & in 2. dist. 1. q. 2. §. quantum ad istum articulum. num. 7. & infra:* sed eodem prorsus modo philosophandum est de causa efficiente, ac philosophavimus de materia prima dist. 2. ex 1. lib. num. 422. & sequentibus, & sicut diximus ibi, quòd materia immediatè per suammet essentiam, & entitatem recipit formam, ita hîc dicendum est, quòd causa efficiens per eandemmet absolutam virtutem, qua erat potens causare, causat in actu secundo, nulla interveniente actione, sive causatione, quæ mediet inter ipsam causam, & in effectum, distinctam ab effectu, & causa.

1034. Probatur conclusio authoritatibus Doctoris Subtilis, ipse enim Subtilis Doctor *in 2. citato.* v. *& quando arguitur, num.* 8. ait: *dico, sicut dictum est aliàs frequenter quòd ad absolutum in causa immediatè sequitur absolutum in effectu, & in effectu primo consequitur respectus ad causam, & tunc si aliquis est respectus causæ ad effectum, est ultimus, & aliquando nullus.* Et v. *ad primum argumentum. sub num. 7. dico, quòd causa potest primò, & immediatè aliquem effectum novum producere absque omni novitate in ipsa.* Et v. *dico. sub num. 8. illud enim idem absolutum, quod in causa præcessit, tam natura quàm duratione ipsum effectum, vel*

causatum est etiam in ea in illo instanti prius naturaliter, quàm causet, & secundùm illud absolutum, secundùm quod prius fuit causativum, & nunc causans, & non secundùm aliquid additum, neque absolutum, neque respectivum. Idem docet 9. Metaph. q. 5. 6. & infra.

1035. Probatur secundò ratione, qua eam probat Scotus in 5. Metaph. citato: *eodem est potens agere*, quo agit; sed causa efficiens potens est agere à sua intrinseca, & absoluta virtute: Ergo eadem virtute absoluta, & intrinseca agit, sive causat, quando causat. Major probatur: quia si Sóli, qui semper est luminosus, applicetur aliquod corpus perspicuum, sive diaphanum capax luminis, evidens est, quòd de novo illuminabitur illud tale corpus à Sole, sine eo quòd ponatur aliquid novum ex parte Solis, ad hoc quod sit illa nova illuminatio ab illo: Ergo ab eodem, quo erat Sol antea potens illuminare, nunc in tali positione de novo illuminat absque aliqua novitate in Sole: Ergo eodem modo philosophabitur de aliis.

1036. Tertiò probatur: omnis relatio necessariò supponit fundamentum, & terminum: ergo necessariò supponitur, & est prius fundamentum, & terminus, antequàm sit relatio: ergo relatio non potest esse actio media, qua accipiat esse terminus, sive effectus, Probatur consequentia: quia si relatio esset media qua acciperet esse effectus à causa, illa relatio esset essentialiter prior ipso effectu; patet, quia illud, quod dat esse alteri, est essentialiter prius illo altero: Ergo si relatio est media, qua accipit esse effectus, relatio est prior effectu: Ergo in illo priori erit relatio sine termino, quod est impossibile, cùm essentialiter relatio supponat fundamentum, & terminum in aliqua prioritate: Ergo nulla relatio formalis producendi datur.

1037. Dico quintam conclusionem: licèt relatio producentis ad productum (& idem dico de aliis) non sit ratio formalis producendi in causa, est tamen forma relativa, à qua denominatur causa formaliter causans, non quia talis relatio sit nec ratio producendi, immò neque conditio ad causandum, quia si per impossibile non resultaret talis relatio, nihilominus verè causa eodem modo produceret, cùm productio effectus sit prior, immò & ipse effectus productus prior est illa relatione, utpotè ejus terminus. Probatur: illa est ratio formalis denominandi causam causantem formaliter, à qua constituitur causa in esse causæ formaliter, hoc est in ordine ad effectum; sed à relatione producentis ad productum constituitur causa in ordine ad effectum formaliter: Ergo talis relatio est ratio formalis denominandi causam, & idem dico de aliis relationibus, & de actione de genere actionis, quæ non est ratio formalis producendi, sive agendi, sed denominandi agens.

1038. Dico sextam conclusionem: actio sumpta pro re acta, sive pro ipso effectu, sive forma in fieri est causalitas causæ efficientis, quatenùs concipitur ut fluens, & nascens à causa sine aliqua media actione. Hæc conclusio habetur expressè à *Scoto in 4. cit. num.* 13. *&* 14. Probatur: illa est causalitas causæ efficientis, per quam virtus causativa talis causæ reducitur ad actum, sed effectus in fieri, quatenùs tendit in

in factum esse, reducitur ad actum virtus causativa causæ efficientis: Ergo &c. Minor probatur: quia per hoc, quod intelligatur effectus in fieri fluens à causa, intelligitur causa fundamentaliter causans, & dans esse effectui: Ergo per effectum in fieri constituitur in actu secundo causans.

1039. Et confirmatur: inter causam primam, & effectum non mediat neque absolutum, neq; respectivum: ergo non inter causam secundam, & effectum. Patet, quia quanto ordinatum ad finem, tanto immediatius attingit finem, tantò majoris nobilitatis est; sed substantia creata ordinatur ad finem: Ergo quanto &c. sed hoc est, si subs immediatè per se, & non medio aliquo accidente realiter distincto, operatur, & agit: Ergo hoc quod est producere effectum sine aliqua media actione distincta ab effectu est concedendum substantiæ. Patet; quia natura in omnibus est dignificanda, quæ secum non involvunt aliquam repugnantiam, hoc nullam involvit: Ergo &c.

Argumenta contra dicta.

PRimò arguitur contra nostram quartam conclusionem, in eo quod asserit; quòd causa immediatè per suam substantiam, & essentiam dat esse effectui absque aliqua actione media: agere per se, & suam essentiam soli Deo conceditur: Ergo agere, sivè producere per suammet substantiam, & essentiam substantiæ creatæ, sive causæ est denegandum. Antecedens est certum; solus enim Deus est prima causa per essentiam agens, & omnis creatura non per essentiam agit: ergo per accidens agit: Ergo debet mediare aliquod accidens, medio quo causa agat, & producat suos effectus.

1041. Respondeo ex *Scoto in 4. dist. 16. q. 1. §. rationes. num.* 10. quòd agere per essentiam stat dupliciter: uno modo idem est, ac in agendo non dependere ab alio, & non habere essentiam per participationem ab alio, sed à se, & ex se, & in hoc sensu verum est quod agere per essentiam soli Deo conceditur, quia ipse solùm est primum independens in essendo, & operando: alio modo agere per essentiam idem est ac non per accidens superadditum, licèt tamen à prima causa dependenter, sed per suam substantiam immediatè, & in hoc sensu falsum est, quòd hoc modo agere soli Deo conveniat, cùm substantiæ creatæ, sive accidenti conveniat immediatè per seipsum dare esse effectui, undè nego consequentiam argumenti, ex quo nihil contra nos.

1042. Secundò arguitur: causare in causa realiter distinguitur ab esse causæ causatio: Ergo non ab eodem constituitur causa in esse causantis in actu secundo, ac constituitur in esse causativa in actu primo. Antecedens probatur: causare in causa, sive actualis causatio causæ potest separari ab esse causæ causativè: Ergo &c. Antecedens probatur: quia priùs essentialiter est, quod causa sit causativa, quàm causet in actu secundo, taliter quòd potest dari ignis cremativus in actu primo, sine eo quod in actu secundo cremet: Ergo nequit ab eodem constitui causa in actu primo potens, à quo constituitur in actu secundo causans. Probo consequentiã: illa, quæ realiter, & separabiliter possunt inveniri, nequeunt idem constitutivũ habere; sed posse causare potest separari ab actuali

causatione: Ergo posse causare, & actualiter causare nequeunt ab eodem constitui: Ergo essentialiter ab alio constituitur causa in esse causantis, à quo in esse causativæ non constituitur.

1043. Respondeo negando antecedens, & ad ejus probationem distinguo antecedens: prius est, quòd causa sit causativa, quàm quòd causet, id est, quàm sit effectus causatus, concedo: quàm quod causa causet activè, nego. Quia cùm secundùm idem sit causa causativa, & causet, & non secundùm aliquid sibi additum, non prius convenit causæ esse causativam, quàm quod causet activè; *fallitur autem imaginatio* (ait Scotus in 2. cit. v. dico. sub num. 8.) *quia semper videtur, quòd causa sit indeterminata usque ad illud causat, & tunc quòd aliqua relatio determinans ipsam ad effectum, primò requiratur à parte ejus, quod falsum, secundùm illud enim absolutum, secundùm quod priùs fuit causativum, est nunc causans* &c.

1044. Quod exemplo confirmo: ponatur ergo calor, & non sit aliquod corpus ipsi approximatum, quod à calore calefiat: interrogo: tunc calor calefacit, vel non? Dicas, quòd non, non ratione sui, quia ex se calefactivus est, sed defectu subjecti in quo causat calorem, approximetur igni aliquod corpus, quod calefiat per talem approximationem, ponitur aliquod novum in igni? Minimè quidem; quid ergo ponitur ad hoc quod ignis calefaciat? Nihil profectò, sed ab eademmet virtute, qua antea erat calefactivus, est nunc calefaciens sine aliqua novitate intrinseca ex parte ignis: idem dico de aliis causis.

1045. Sed contra dices, & est tertium argumentum: non potest fieri transitus de contradictorio extremo ad extremum contradictorium sine aliqua mutatione, sive novitate se tenente ex parte illius extremi, quod transit; sed causa efficiens, ignis v. g. transit de non cremare ad cremare, & calor de non calefacere ad calefacere: Ergo per aliquam mutationem. Major probatur: non potest paries v. g. transire de non esse album ad esse album, sine eo quòd habeat albedinem, quam antea non habebat: Ergo non potest causa transire de non causare ad causare sine eo quòd habeat aliquid, quod antea non habebat; sed mutari est aliter se habere: Ergo si causa, quando causat, aliter se habet, quàm prius, mutatur: Ergo per causationem mutatur, sive per aliquid additum causæ, quod antea non erat in ipsa.

1046. Respondeo distinguendo majorem: non potest fieri transitus de contradictorio in contradictorium sine aliqua mutatione intrinseca, vel extrinseca, concedo: sine mutatione intrinseca, nego. Sinister enim paries transit ad dextrum parietem sine aliqua mutatione in pariete existente, solùm per mutationem illius, respectu cujus dicitur dexter, vel sinister: & paries de non esse visi transit ad esse visum per mutationem solam in oculo existentem: idem dico de causa: causa transit, ignis v. g. de non cremare ad cremare per hoc solùm, quòd applicetur sibi passum, quod antea non habebat, absque aliqua mutatione se tenente ex parte causæ, quia ipsa quantum est ex se semper est causans, quod si non apparet, sive causatur effectus, non est defectu sui, sed defectu passi, vel alterius extrinseci.

1047. Sed

1047. Sed contra quartò : applicatio passi ad ignem v. g. est conditio prævia requisita ad causandum, & prius ipsa causatione: Ergo per hoc, quod applicetur passum, non ponitur formalissimè causatio: Ergo aliquid aliud requiritur ex parte ignis v. g. ad cremandum præter approximationem. Et confirmatur: potest dari saltem per divinam potentiam, quòd lignum sit igni approximatum, & quòd non detur crematio: Ergo crematio distincta est ab ignis approximatione. Antecedens patet in pueris existentibus in Babylonica fornace: Ergo &c.

1048. Respondeo distinguendo antecedens: approximatio ligni ad passum est prior ipsa crematione, hoc est ipso effectu in fieri, & prout fluens à causa, concedo: ipsa activa causatione, nego: quia causatio activa fundamentaliter nihil aliud est, quàm virtus absoluta cremativa ignis, quæ prior essentialiter est quacumque conditione ad causandum. Ad consequens eodem modo distinguendum est, & licèt verum sit, quòd approximatio sit necessaria ad fieri effectus, non tamen est necessaria ad causare activè causæ, quia vel approximetur, vel non approximetur, semper causa causat, hoc est, habet virtutem causativam ad dare esse effectui. Unde prius debet dici approximatio conditio ad fieri effectus, quàm ad causare causæ, cùm causare nihil addat, vel dicat supra esse causativum.

1049. Sed contra quintò : quia causa dat esse, ideo effectus accipit esse : Ergo prius est, quòd causa det esse actualiter effectui, quàm quòd effectus actualiter accipiat esse à causa: Ergo ante fieri effectus necessariò requiritur aliquid novum se tenens ex parte causæ dans esse effectui.

1050. Respondeo ex *Scoto* ibidem. *v. cum igitur dicis : sub num.* 8. distinguendo antecedens: quia causa dat esse, hoc est, quia habet virtutem intrinsecam causativam, ideo à tali virtute immediatè ponitur effectus in esse, concedo antecedens: quia causa dat esse, hoc est, quia ponitur aliqua ratio nova in causa, quæ sit ratio dandi esse, ideo effectus accipit esse, nego: quia ab eadem intrinseca, & absoluta virtute, a qua causa fuit potens dare esse, dat esse in actu secundo effectui, absque aliqua ex parte causæ mutatione, vel novitate, ut sæpè dictum est.

1051. Sextò arguitur: hæc est vera propositio, causa causatione causat; & hæc similiter, agens actione agit: Ergo ex parte causæ datur causatio media, qua dat esse effectui, & ex parte agentis datur actio media, qua agit, & producit effectum. Respondeo distinguendo antecedens: causa causatione causat, hoc est, media relatione causationis, sive causantis denominatur formaliter causans, concedo: & agens similiter actione agit, hoc est denominatur agens formaliter ab actione de genere actionis: media causatione, & actione dat esse effectui, nego: quia licèt actio sit ratio formalis denominandi, non tamen est ratio formalis agendi, sive producendi, nisi denominativè.

1053. Septimò arguitur: ex parte materiæ datur unio media, qua formæ unitur, & ex parte formæ alia unio media, qua unitur materiæ: Ergo ex parte causæ datur relatio, quæ sit ratio formalis producendi, sive

sive actio productiva. Patet consequentia, quia sicut unio est relatio, & formalis ratio uniendi, ita actio est ratio formalis agendi: Ergo sicut datur unio, quæ est relatio, ita debet dari actio, quæ sit relatio.

1053. Respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam; & ad ejus probationem nego antecedens; & ratio disparitatis est per se nota, quia unio præsupponit in esse materiam, & formam, quas tanquàm nexus, & vinculum unit; at verò illa relatio, quæ esset ratio formalis producendi, debebat saltèm esse aliqua prioritate prior termino producto, ad quam terminatur, & implicat, quòd aliqua prioritate sit relatio sine termino; cæterùm non implicat, quòd si terminus est, ad illum detur relatio. Hic etiam adduci solent quàm plures authoritates ex Scoto, ubi videtur asserere actionem propriè dictam de genere actionis esse rationem formalem producendi in causa. Sed facilis extat solutio ex dictis, dicendo, quòd loquatur Scotus de actione fundamentali, sive de virtute absoluta causæ, à qua causatur effectus, non verò de actione formali. Vel si loquitur de actione formali, loquitur arguendo contra adversarios ex eorundem fundamentis. Qui plura de hac celebri difficultate desideraverit, authores consulat.

QUÆSTIO QUARTA,

De dependentia causæ secundæ à prima.

POstquàm in superioribus docuimus substantiam creatam habere virtutem intrinsecam ad producendum immediatè aliam substantiam sine aliquo accidenti medio, immo sine aliqua media actione distincta à causa, & effectu; restat nunc agere, utrum taliter substantia creata, ignis v. g. habeat virtutem adæquatam ad producendum aliquem ignem, ut sine concursu Dei, & sine ejus adjuvamine valeat ignem alium producere? Et idem quærimus de aliis causis creatis, quapropter sit

ARTICULUS PRIMUS,

Utrum omnis causa efficiens creata, vel alia quæcumque causa dependeat à Deo in causando, sive operando?

1054. CIrca hanc difficultatem prima sententia est Durandi in 2. dist. 1. q. 5. asserentis nullatenùs Deum immediatè per se influere ad effectum creaturarum, sed eatenùs dicitur Deus ad effectus creaturarum concurrere, quatenùs conservat virtutem causativam, quam Deus indidit rebus in sui conditione prima. Unde idem est dicere (ait Durandus) Deus concurrit cum igne ad producendum alium ignem, ac dicere Deus conservat virtutem, quam dedit igni, quando ignis producit alium ignem, & sic de aliis causis esse philosophandum. Sed hæc sententia, tanquàm errori proxima, & parùm tuta in fide communiter ab omnibus rejicitur, & ab Scholis jacet relegata.

1055. Secunda sententia affirmat, quòd Deus concurrit cum causa secunda non solùm conservando ejus causativam virtutem, sed simul ad ejus effectum influendo, taliter quòd si Deus non influeret, etiamsi virtutem causativam causæ secundæ conservaret, nihil omninò causarent causæ secundæ, cùm necessariò primæ causæ adjutorio indigeant ad causandum. Hæc conclusio jam apud omnes

omnes est maximè recepta, illamque habet expresse Doctor subtilis in 2. dist. 37. q. 2. §. si hæc via, & infra num. 6. & 8. & 2. Report. dist. 1. q.3. §. dico. v. illud probo. sub num. 8. & sæpissimè passim in ejus doctrina hæc veritas supponitur.

1056. Probatur conclusio ex Sacra Scriptura: Joannis enim cap. 1. dicit: *ipsa veritas Christus. Pater meus usque modò operatur, & ego operor*: quod communiter Patres intelligunt de simultaneo concursu, quo causam creatam in suis operationibus adjuvat. Et Isaiæ cap. 26. *omnia opera nostra operatus est in nobis Dominus.* Et Joannis 16. *sine me nihil potestis facere.* Et Actorum 16. constat *quòd in ipso vivimus, movemur, & sumus.* Ubi per ly *sumus*, denotatur dependentia creaturæ à Deo quoad esse; per ly *vivimus* dependentia quoad potentias proximas, & vitales; & per ly *movemur* dependentia quoad ipsas operationes.

1057. Probatur ratione: omnis creatura essentialiter dependet à Deo, & ipsi subordinatur quoad esse: Ergo & quoad operari. Antecedens est certum, consequentia probatur: sicut res se habet ad esse ita ad operari; sed omnis causa creata quoad esse dependet immediatè, & essentialiter à Deo: Ergo & quoad operari ab illo eodem modo dependet. Et confirmatur: ille modus causandi Deo est tribuendus, quo magis ejus virtus infinita, potestas, dominium plenum, & authoritas relucet; sed ex simultaneo concursu, sive causalitate, & influentia ad omnem effectum creatum magis relucet, & splendet virtus Dei infinita, plenum dominium in creaturis, potestas, & imperium, quàm ex negatione talis concursus: Ergo concursus simultaneus, sive causalitas respectu cujuscumque effectus creaturarum est Deo tribuendus.

1058. Et roboratur ex *Scoto in 2. dist. 37. q. 2. §. contra istam opinionem. num. 8.* quia ex opposito sequeretur, quòd Deus non esset omnipotens. Probatur: quidquid omnipotens vult, hoc fit pro eodem instanti, & sub illis circumstantiis, quæ sibi placent: Ergo si aliquis effectus creatus totaliter, & absque dependentia ab omnipotentia esset in potestate causæ creatæ, talis effectus non possit à Deo impediri, quominùs fieret, & per consequens non esset Deus omnipotens. Probatur consequentia: illud, quod in fieri non dependet à Deo, non potest ejus fieri à Deo impediri: ergo si aliquis effectus esset totaliter intra virtutem, & sphæram causæ creatæ sine dependentia à Deo non posset impediri. Et roboratur: quia non aliter potest Deus impedire effectum creatum cujuslibet causæ, nisi substrahendo concursum, & influentiam, quam habet Deus ad fieri talis effectus: ergo si Deus nullum concursum, & influentiam habet ad fieri alicujus effectus, nequit fieri talis impediri à Deo: Ergo non esset omnipotens, siquidem esset aliquod, quod ab illo pro suo libito, & voluntate impediri non posset. Alias rationes omitto apud authores videndas.

Argumenta contra dicta.

1059. PRimò arguitur contra nostram conclusionem ex sententia Gabrielis Biel supra hac eadem dist. n. 951. & 966. negat causam creatam aliquid producere, sed quod Deus ad creaturarum præsentiam omnia causat, sic: perfectissimus modus

 agendi,

agendi, sive operandi est Deo tribuendus; sed major perfectio refunditur in Deum, ex eo quòd omnia ipse solus agat, & causet, quàm ex eo quòd ponamus simultaneum concursum, & influentiam ejus ad omnes effectus creaturarum: Ergo hic modus agendi Deo non est denegandus, sed est illi tribuendus. Major est certa; quidquid enim majoris perfectionis est, perfectissimo est tribuendum: minor probatur: major virtus, & magis dilatatum imperium, & dominium creaturarum ponitur in Deo, ex eo quòd ipse solus omnia operetur, & agat, quàm ex eo quòd simul omnia à Deo, & creatura fiant: Ergo &c.

1060. Respondeo concedendo majorem, & distinguendo minorem: major perfectio refunditur in Deum, ex eo quòd solus agat, quàm ex simultaneo ejus concursu, si solùm poneretur simultaneus Dei concursus ad effectus creatarum causarum ex inopia, & indigentia, quia Deus per se solus non posset illos effectus producere, concedo minorem: si ponatur, ut de facto ponitur talis simultaneus Dei concursus, non quia ipse solus non possit, sed ex mirabili ejus dispositione, & providentia, nego. Nam licèt Rex, si imperator posset per seipsum quidquid ex potestate ab illo participata facit minister ejus, tamen non faceret per se immediatè, quod facit medio ministro, non derogat ejus potestatem, & regale dominium, immò magis ejus relucet authoritas, & potestas. Ita similiter Deus licèt possit per seipsum sine causa creata causare, & efficere quidquid in genere efficientis fit à causa creata, tamen dare virtutem causativam causis creatis, quia causent, & efficiant ab ipso dependenter suos effectus, non derogat ejus virtutem, immò magis super exaltatur ejus imperium, & dignitas. Unde Augustinus 7. de civitate Dei cap. 2. ait: *sic Deus res, quas condidit, administrat, ut eas agere proprios motus sinat.* Et ad ejus probationem eódem modo respondeo.

1061. Secundò arguitur pro opinione Durandi authoritate Divi Anselmi lib. de concordia præcepti, & gratiæ, ut videre licet ex Scoto supra citato in 2. dist. 37. q. 2. num. 5. dicentis: *Deus facit omnes actiones, & omnes motus, quia ipse facit res, à quibus, & in quibus, & ex quibus fiunt, & nulla res habet ullam potestatem volendi, aut faciendi nisi ipso dante:* Ergo ex mente Divi Anselmi Deus dicitur facere omnes actiones, & motus creaturarum, quia fecit res ipsas, à quibus fiunt tales actiones, & motus, & non quia ipse immediatè habeat concursum in talium motus, & actiones.

1062. Respondeo concedendo authoritatem Sancti, & negando consequentiam: nam verba Anselmi potiùs sunt pro nostra sententia, quàm contra nos: nam ex eo probat Sanctus, quòd Deus simul cum creatura concausat effectus omnes creaturarum, quia causat entitatem, sive virtutem absolutam, à qua procedunt tales effectus; ac si diceret, Deus causat omnem causam secundam, & ab illo omnis virtus causativa dependet: Ergo etiam ab illo dependet omnis effectus creatus, sive motus, qui à tali causatur virtute, quia non est major ratio, quare immediatè dependeat à Deo virtus causativa causarum secundarum, & non dependeat immediatè omnis operatio earum, tanquàm à causa prima, à qua cau-

causatur, & hoc potiùs est pro nobis, quàm contra nos.

1063. Tertiò arguitur: creatura in omnibus est dignificanda, quæ secum non afferunt repugnationem aliquam, sed causam creatam se solâ, & sine indigentia concursus causæ primæ suos efficere effectus non affert secum aliquam repugnantiam: hoc ergo est concedendum causis creatis. Major probatur ex Divo Thoma 1. part. q. 47. dicente Augustino & Philosopho: *natura fecit, quod melius est, multò magis Deus.* Et ex Augustino lib. 3. de libero arbitrio cap. 5. *quidquid tibi vera ratione melius occurrerit, hoc scias fuisse Deum tanquàm bonorum omnium conditorem.* Et lib. 1. contra adversarios legis, cap. 14. *usque à Deo desipiendum est, ut homo videat, melius fieri debuisse, & Deum credat facere noluisse?* Sed melius est, quòd natura sit dignificata in omnibus, quæ secum non involvunt repugnantiam, quàm quòd non sit dignificata: Ergo naturam taliter esse dignificatam est credendum, Deum fecisse potius, quàm non fecisse. Minor probabur: per hoc, quod ignis v. g. immediatè sine indigentia divini concursus sit causa totalis alterius ignis, non extrahitur à ratione creaturæ, neque à ratione dependentis à prima causa, cùm semper sit sub potenti manu Dei, ut possit illum ignem causantem destruere, vel ejus causationem, & effectum: Ergo nullam involvit repugnantiam esse creaturam, & esse causam totalem sine indigentia concursus divini.

1064. Respondeo concedendo majorem, & omnes authoritates pro illa adductas admittendo, & negando minorem; & ad ejus probationem nego antecedens: per hoc enim quòd ignis v. g. possit esse totalis causa sine indigentia concursus divini alterius ignis, sequeretur maximam implicationem, & repugnantiam involvere prædicta, videlicet, quod ignis esset creatura, & non esset creatura, quòd esset dependens, & non esset dependens, quòd esset creatura, & dependens, quia supponitur; & quòd non esset creatura, quia in ejus fieri non terminaret creatoris actionem, per quod omnis creatura in esse talis constituitur, cùm sine actione fieret creatoris; & quòd esset independens, quia fieri effectus non dependeret à Deo, cùm sine illo concursu valeret fieri, & cùm in operando ejus causa non dependenter à prima, vel independenter causaret; quæ omnia ex se manifestam involvunt contradictionem, & repugnantiam.

1065. Quartò arguitur: ille effectus totaliter produci potest ab aliqua causa, qui non excedit perfectionem, & virtutem activam talis causæ; sed calor *A*, v. g. ut quatuor non excedit virtutem, & activitatem alterius caloris ut quatuor, nec unus homo excedit alterius hominis perfectionem, nec unus ignis alterius ignis, & sic de aliis: Ergo calor ut quatuor potest totaliter causari ab alio calore ut quatuor, & idem dico de aliis. Major probatur: qui si ob aliquam rationem ignis, sive calor ut quatuor indigeret concursu simultaneo divino ad producendum alium calorem ut quatuor, maximè quia in illo non daretur sufficiens virtus productiva ad talem effectum, & idem dico de aliis. Patet; quia ideo Petrus

dicitur impotens ad levandum pondus ut octo, quia tale pondus excedit vires Petri, sed calor ut quatuor non excedit vires alterius caloris ut quatuor, neque ejus exuperat perfectionem, & idem dico de aliis: Ergo ex nullo capite repugnat quòd sit causa totalis illius sine indigentia concursus divini. Quod ulterius confirmo; quia si nulla creatura sine divino adjuvamine posset se sola producere effectum totaliter: Ergo nulla esset causa totalis, sed partialis sui effectus, cum à Deo, & creatura partialiter fieret.

1066. Respondeo distinguendo majorem: ille effectus totaliter potest produci ab aliqua causa, qui non excedit virtutem causativam illius in eo ordine, & sphæra, quo est causa, concedo: in tota latitudine causarum, nego. Unde licèt calor ut quatuor, non excedat virtutem, & activitatem alterius caloris ut quatuor, & sic de aliis est intra sphæram, & ordinem causæ secundæ, & creaturæ; & cum causa secunda eò quòd creatura essentialiter in essendo, & operando dependeat à Deo tanquàm à causa prima, hinc fit, quod &c. Ad ejus probationem respondeo distinguendo majorem: si ob aliquam rationem maximè, quia in calore ut quatuor non daretur sufficiens virtus, & activitas creata, nego: quia ex hoc capite bene æquiparantur calor ut quatuor ut causa, & calor ut quatuor ut effectus, quia non haberet sufficientem virtutem causativam secundam, concedo. Quia cum calor sit à causa secunda, licèt in suo ordine causæ secundæ sit completa, quia secunda est, impotens censetur ad effectum sine prima. Ad illud exemplum de pondere non tenet, quia Petrus non potest illud levare in casu posito; tum quia dependenter à Deo illud elevaret, dato quod elevaret, tum quia extra sphæram suarum virium est tale pondus. Ad illud quòd creatura esset causa partialis, & non totalis, nego; quia solùm illa censetur causa partialis, quæ in ea linea, qua est causa, indiget alterius causæ ejusdem ordinis adjuvamine; at cùm creatura calor v. g. ut quatuor non indigeat alterius caloris adjuvamine ad producendum alium calorem ut quatuor, sed adjuvamine divino, quod alterius ordinis est, hinc fit, quod non causa partialis, sed totalis sit, totalis in ordine causæ secundæ in tota latitudine omnis causæ.

1067. Sed contra, & sit quintum argumentum: si calor ut quatuor esset causa totalis, & non partialis in genere efficientis alterius caloris ut quatuor, & idem dico de aliis; Ergo calor ut quatuor totaliter esset productus ab alio calore ut quatuor. Patet; quia illa est causa totalis in aliquo genere, à qua totaliter producitur ejus effectus: Ergo nihil de tali effectu relinquitur Deo causandum in eodem genere efficientis: Ergo Deus non concurrit effectivè ad talem effectum.

1068. Respondeo distinguendo consequens: Ergo totaliter esset ille calor ut quatuor ab alio calore ut quatuor productus in genere efficientis secundi, sive creati, concedo: in genere efficientis creati, & increati, nego. Unde nego, quod nihil de tali effectu Deo relinquatur causandum, immo totus effectus simul causatur totaliter à Deo, & totaliter à creatura, in diverso

tamen

tamen ordine, à Deo tanquàm à prima causa, & efficiente primo, à creatura verò tanquàm à causa secunda; & nullum est inconveniens, immò est necessarium, quòd ita fiat, cum creatura sit essentialiter causa secunda, & primæ subordinata in ejus causatione, à quibus totaliter in diverso ordine causæ, videlicet primæ, & secundæ idem effectus secundum se totus essentialiter dependet, cum ab utraq; per eandem indivisibilem actionem idem producatur effectus.

1069. Sextò arguitur: si voluntas creata v.g. quæ est causa suorum actuum, non esset causa totalis suorum actuum sine indigentia adjuvaminis divini, sequeretur, quòd non esset plenè liberata; hoc est contra fidem: Ergo & illud ex quo sequitur: ergo aliqua causa creata datur, quæ suos valeat producere effectus totaliter sine causæ primæ adjuvamine. Probatur sequela: illa enim non est causa libera respectu sui effectus, quæ non habet plenum dominium, & potestatem adæquatam ex omni parte in talem effectum, hujus modi esset creata voluntas, si divino indigeret adjuvamine: Ergo &c. Probatur major: quod non habet in sua potestate totum effectum, ita ut pro suo libito independenter à quocumque alio possit illum causare, non habet in illum plenum dominium: Ergo non habet plenam potestatem, & libertatem.

1070. Probo antecedens: quod habet effectum dependenter à causalitate alterius causæ, quæ quidem causa, & causalitas ejus non est in sua potestate, non habet plenum dominium in talem effectum; sed voluntas creata producit suos actus dependenter à causalitate divina, quæ divina causalitas non est in potestate voluntatis creatæ: Ergo non habet voluntas plenum ex omni parte dominium in suo effectu; sed quidquid non habet plenum dominium, non est plenè liberum: Ergo si voluntas creata non habet plenum dominium, plenè libera dicenda non est. Et confirmatur: si Petrus subditus nequit tale facere, vel tale, puta egredi è domo, vel aliquid tale sine permissu, & jussu sui superioris, nequit dici, quod plenè in potestate libera Petri est è domo egredi, vel illud tale: Ergo si voluntas creata, quæ Deo superiori subdita est, nequit suos actus elicere sine permissu, jussu, & coadjuvamine Dei, nequit dici, quod plenè liberè tales elicit operationes, sive operatur.

1071. Respondeo negando majorem, & ad ejus probationem distinguo majorem: illa non est causa libera respectu alicujus effectus, quæ non habet plenum dominium, & potestatem adæquatam in talem effectum ex omni parte intra suos limites, & sphæram, concedo: extra suam sphæram, nego. Nam ad hoc quòd voluntas creata plenè liberè dicatur, & habens potestatem plenam, & dominium in suos actus non requiritur, quòd non indigeat divino adjuvamine ad illos producendos, cum expresè suæ naturæ, eò quòd creata sit, repugnet; sed quòd intra sphæram, & limites creaturæ liberæ ab alia libera creatura dependeat, cum ipsa sit causa adæquata in ordine causæ creatæ, & liberæ, cum quo stat, quòd talis actus liber habeat ab objecto, & objecti propositione, dependentiam, tanquàm à conditione, vel extrinseco determinante; quia ut Aristoteles ait: nihil volitum quin præ-

præcognitum; & ſicut objectum eſſe neceſſariò præcognitum, ad hoc quod ametur, non tollit libertatem, ita quòd dependenter à Deo operetur voluntas creata non minuit ejus libertatem, cùm nulla neceſſitate antecedenter ad actum neceſſitetur voluntas ad eliciendum actum, immò pro ſuo libito elicit, & operatur utendo divino concurſu in actus elicitione, vel non utendo in ejus ſuſpenſione, quando voluntas ſuſpenſa pro ſuo libito jacit nullum actum eliciendo.

1072. Et ad ejus confirmationem reſpondeo diſtinguendo majorem: quòd non poteſt elicere effectum, niſi dependenter à cauſalitate alterius cauſæ ejuſdem ordinis, & ſphæræ, quæ cauſa, & cauſalitas ejus non eſt in ejus libera poteſtate non habet plenum dominium in talem effectum, concedo majorem: nam cauſa ut liberè plena ſit, & plenè habens in ſuos actus dominium, neceſſe eſt, quòd ab alia creata cauſa ejuſdem ordinis nullam habeat dependentiam: quòd elicit effectum dependenter à cauſalitate alterius cauſæ altioris ordinis, & ſphæræ, cui ſubditur, & ſubordinatur ex ſua intrinſeca ratione non habet plenum dominium in talem effectum, nego. Unde concedo antecedens de Petro ſubdito, cui liberè plenè non eſt egredi è domo, vel aliquid tale ſine ſuperioris juſſu, licentia, ſivè permiſſu, & nego conſequentiam de voluntate creata, quæ Deo ex ſua intrinſeca ratione ſubjicitur. Et ratio diſparitatis ex ſe patet, quæ maximè notanda eſt, nam voluntas Prælati, ſive ſuperioris non ſemper in omnibus ſe attemperat, & accommodat voluntati inferiorum, quod paſſim, & frequenter enim ſe opponant prædictorum voluntates nolendo unus, quod vult alter, vel è contra. At verò Deus taliter ſua admirabili, & incomprehenſibili ſapientia; *qua fortiter, & ſuaviter attingit à fine, uſque ad finem*; ut ait Paulus, & ſe accommodat voluntati creatæ ad ſuos eliciendos actus, ut poſſimus dicere, quòd voluntas creata ſemper, & quomodo vult, utitur voluntate divina, taliter quòd elicere actum *A*, vel actum *B*, ſemper, & pro ſemper eſt in pleno dominio, & poteſtate voluntatis creatæ, licèt dependenter à prima, quia Deus ſemper, & pro ſemper paratus eſt ad concurrere cum illa ad tales actus eliciendos ut Hiſpano poſſimus dicere ſermone: *hace la voluntad criada todo quanto quiere en orden à ſus actos internos, tan independentemente, que ſi bien neceßita de la avida divina, parece que no neceſſita de ella, porque nunca Dios da lugar à que neceßite, o careſca deel, pues ſiempre eſta apare jado para ajudar ala criatura.*

1073. Septimò arguitur, & eſt validiſſimum argumentum, quod contra hanc noſtram concluſionem efformatur: Deus concurrit cum voluntate creata ad omnes ſuos actus immediatè in illos influendo: Ergo Deus eſt cauſa omnium actuum, qui à voluntate creata procedunt: Ergo eſt cauſa peccati, ſive actus peccaminoſi. Probo conſequentiam: illa formaliſſima eſt cauſa peccati, quæ influit immediatè in ipſum peccatum; ſed Deus immediatè ex ſupra data doctrina

influit v. g. in odium Dei, & in alios actus, qui formalissimè peccata sunt: Ergo est causa peccati: Ergo non est major ratio, quare peccatum tribuatur creaturæ, & non tribuatur Deo; hoc est blasphemum, & contra fidem: Ergo & illud ex quo sequitur.

1074. Respondeo concedendo antecedens, & similiter primam ejus consequentiam, & distinguendo alteram consequentiam: Ergo est Deus caussa peccati, sive actus peccaminosi, distinguo: quoad materiale, & Physicum actus, concedo: quoad formale, & monstruositatem illius, qua in esse peccati formaliter constituitur, nego: quia deformitas, & monstruositas actus non à Deo, sed à creatura est. Et ad ejus probationem distinguo majorem: illa formalissimè est causa peccati, quæ influit immediatè in ipsum peccatum quoad materiale, & formale peccati, concedo: quoad materiale solùm, nego: sed Deus concurrit, sive influit immediatè in peccatum, sive actum peccaminosum, distinguo; quoad Physicum, & materiale peccati, concedo: quoad formale monstruositatis, in qua formalissimè stat ratio peccati, nego. Itaque in actu peccaminoso duo reperiuntur, & materiale, sive Physicum actus, quod habet rationem boni Physici, & formale peccati, quod est quædam monstruositas, sive deformitas, sive privatio debitæ rectitudinis in esse actui; ad Physicam entitatem actus quæ est peccati substractum concurrit Deus, eò quòd in tali substracto nulla sit ratio malitiæ; ad formale verò, sive ad illam monstruositatem solùm concurrit creatura, & non Deus, quia talis monstruositas potius habet rationem defectus, quam effectus, & sic nullum est inconveniens, quòd talis defectus soli creaturæ adscribatur, immò est necessarium, quòd non adscribatur Deo. Longiorem petit argumentum discussionem, quæ metas nostri instituti transgreditur, pro nunc satis est aliqualem notitiam tradere; qui plura de hoc argumento, & quæstione desideraverit, authores consulat.

ARTICULUS SECUNDUS,

Ubi aliqua enodantur dubia pro majori intelligentia quæsiti.

1075. PRimò dubitabis: utrùm ex eo quòd dicamus, quòd Deus totum producat effectum creaturarum, & creatura similiter, taliter quòd à Deo, & à creatura idem producatur totaliter effectus, ut diximus num. 1062. deficiente altera causarum per possibile, vel impossibile, & altera solùm remanente, ab illa posset produci idem effectus, si daretur ex parte ejus eadem actio, quam antea habebat in consortio alterius causæ, quando videlicet ab utraque producebatur effectus?

1076. Respondeo, quòd si ignis v. g. qui producit totum alium ignem separaretur à simultaneo Dei concursu, nullatenùs produceret alium ignem, non solùm quia dependenter à Deo producit, quia jam admittimus casum impossibilem, quòd videlicet non dependeret, sed quia illa actio, qua alium ignem producit simul cum Deo esset insufficiens ad dare esse effectui, nisi major adhiberetur

retur concursus; & idem dico de concursu simultaneo divino, quo ignem adjuvat ad alterius ignis productionem, qui quidem concursus si esset per se solitariè sine concursu ignis, non esset sufficiens dare esse alteri igni, quia licet utraque causa totalis dicatur, est tamen in diverso ordine una ac est alia, nisi ponatur major influxus, non poneretur ab illa effectus, & sic &c.

1077. Secundò dubitabis; utrum talis concursus simultaneus se tenens ex parte Dei, quo coadjuvat creaturam ad suas operationes, sit aliquid receptum in ipsa creatura, & influens per modum principii in ejus actionem, vel potius sit aliquid per modum actionis se tenens ex parte Dei? Respondeo, quòd licet aliquando Deus coadjuvet creaturam influendo aliquid in ipsa, quod sit comprincipium alicujus operationis creatæ, ut patet de gratia, fide, spe, & charitate, qui sunt quidam habitus in anima à Deo infusi, ut illam coadjuvent ad actus eliciendos fidei, spei, & charitatis, tamen ad actualem elicitionem actus præter habitus prædictos, qui dantur per modum auxilii habitualis, requiritur ex parte Dei concursus simultaneus per modum actionis, qui non recipitur in creatura, sed per modum fluxus fluit à Deo, & terminatur ad effectum, qui accipit esse per talem actionem, quia cum tales habitus auxiliantes etiam creaturæ sint, indigent simultaneo Dei concursu ad eliciendos suos effectus. Unde concursus ut talis Dei non est aliquid receptum in creatura, sed actio divina se tenens ex parte creatoris.

1078. Tertiò dubitabis: utrum concursus Dei, quo coadjuvat creaturam, sit eademmet actio se tenens ex parte creaturæ, ita ut effectus creaturæ à Deo & à creatura per eandem indibilem actionem causetur? Respondeo, quòd si sermo sit de actione formali propriè dicta, nego suppositum: quòd causa creata det esse effectui per aliquam talem actionem, ut diximus num. 1033. at verò si sit de actione fundamentali, sive ipso effectu in fieri per eandem, & indistinctam actionem concurrit Deus, ac concurrit creatura, quia cum hæc sit ipse effectus in fieri prout fluens à Deo dicitur actio divina & prout fluens à creatura dicitur creata.

1079. Quartò dubitabis: utrum actio, sive concursus causæ primæ sit prior aliqua prioritate concursu causæ secundæ? Et ratio dubitandi est communis modus, & maximè usitatus loquendo, quo dicitur causa prima prius agit, quàm secunda, & causalitas causæ primæ prior est causalitate causæ secundæ. Respondeo cum Scoto in 2. cit. dist. 37. q. 2. §. ad solutionem. num. 15. quòd talis modus loquendi est intelligendus sic, quòd causa prima prius agit, quàm secunda prioritate perfectionis, ex eo quòd causa prima magis perfecta sit, quàm secunda in essendo, & in operando, & idem dico de causalitate unius, & alterius, quia eadem indivisibilis actio sit, ut dixi num. præcedenti, tamen hæc actio eadem prout fluens à Deo dicitur magis perfecta, quàm seipsa prout fluens à creatura; non verò quia in aliqua prioritate naturæ causet causa prima, & in aliquo naturæ posteriori causet secunda, quia cum

cum idem sit utriusque effectus, nequit produci ab una, & postea ab alia, sed simul, & semel ab una causatur, & ab alia.

1080. Quintò dubitabis: utrum Deus concurrat cum creatura ad suos producendos effectus immediatione suppositi? Pro cujus responsione nota, quod agere immediatione suppositi, est agere immediatè per virtutem existentem in ipso supposito, taliter quòd inter suppositum, sive singulare, quod producit, & effectum, qui producitur, non mediet aliud suppositum; à quo immediatiùs attingatur effectus, ut evenit in artifice lignario, qui media securi, sive serra scindit lignum. Agere verò non immediatione suppositi, sed virtutis est agere per virtutem existentem in alio, licèt à se causatam; ut ignis v. g. dicitur calefacere hominem, qui est juxta ignem medio calore recepto in aëre, qui mediat inter ignem, & hominem, qui quidem calor est causatus immediatè immediatione suppositi in aëre ipso ab igne; at calor, qui causatur in homine, non causatur in mediatione virtutis, quia à calore causato in aëre proximo causatur.

1081. Nunc respondeo, quòd utroque modo Deus concurrit ad effectum creaturarum. Quod concurrat in mediatione suppositi probatur: quia illud agens dicitur agere immediatione suppositi, quod agit immediatè per virtutem intrinsecam existentem in ipso agente, sive supposito; sed Deus causat, & producit effectum creaturarum per suam virtutem infinitam, quæ quidem infinita virtus in ipso solo existit, & non in alio: Ergo agit immediatione suppositi. Quòd etiam immediatione virtutis agat, probatur: quia illud agens agit immediatione virtutis, quod agit per virtutem à se causatam in alio; sed Deus causat per virtutem causatam in creatura, quia omnis virtus, quæ est in creatura, est à Deo participata: Ergo agit etiam Deus immediatione virtutis.

1082. Sextò dubitabis: utrum ad hoc quod Deus agat in mediatione suppositi aliquem effectum, necessariò requiratur, quòd Deus sit præsens immediatè per suppositum divinum, sive substantiam passo, in quo introducenda est forma? Et idem inquirimus de agente creato, & ratio dubitandi est, quia *Philosophus 7. Physic. à text. 10. usque ad 13.* & passim in ejus invenitur doctrina, ubi ait: *quòd movens, & motum debent esse simul*: Ergo &c. Omissa sententia Divi Thomæ 1. pt. q. 8. art. 1. & 2. & aliorum, respondeo negativè cum *Scoto in 1. dist. 37. q. unica. num. 4.* & ratio est, quia ad hoc quòd agens agat immediatione suppositi, solùm requiritur, quòd agat per virtutem intrinsecam ipsi supposito, & non per virtutem existentem in alio; sed Deus agit per virtutem suam infinitam, quæ ipsi solùm intrinseca est, & non in alio accepta, neque communicata: Ergo &c.

1083. Ex quibus sequitur corollarium, quòd si Deus per impossibile non esset immensus, & per suam immensitatem non esset intimè præsens omnibus rebus, sed esset absens, & distans localiter ab aliqua re, nihilominus posset in tali subjecto formam introducere, probatur: quia etiamsi Sol sit absens, & non præsens localiter

cavernis terræ, nihilominus in ipsis, & terræ visceribus generat aurum immediatione suppositi, & similiter pisciculus, qui vocatur Torpedo à piscatore captus laqueo, sive illo instrumento, quod Hispanè vocatur *Anzuelo* per venenum, quod habet manum piscatoris mortificat, arundine non mortificata, vel reti, sive hamo: Ergo etiamsi Deus esset distans localiter, posset ibi producere. Nec valet responsio Cajetani, quòd Sol medio accidente, sive calore à se producto producit aurum in terræ visceribus, quia hoc est jam impugnatum supra q. 2. hujus art. 2. num. 971.

1084. Ex quibus infertur, quòd illa maxima communiter recepta, videlicet *agens naturale non potest agere in distans, quin agat in propinquum*; sic debet exponi, quando propinquum est ejusdem rationis capax, ac est distans, quia si propinquum non est capax, & distans sit, bene potest agere in distans, quin in propinquum agat, ut patet in exemplo allato, nam Sol producit aurum in visceribus terræ, & illud non producit in aëre, etsi propinquiori, quia aër non est capax transmutandi à forma auri, terra verò sic.

1085. Sequitur etiam aliud ex dictis corollarium, quod non rectè in doctrina Divi Thomæ infertur, immensitas Dei, sive ubiquitas, quæ est immensitas, actus secundus ex operatione Dei in rebus, cum posset Deus operari sine eo quòd esset ipsis præsens; quod sic ulteriùs probatur: prius est, quòd aliqua res sit, quàm quod præsens localiter, vel distans sit, patet; quia præsentia localis est accidens fundatum in re, quæ præsens denominatur: Ergo priùs fuit, quòd Deus produceret cœlum, & terram in principio, & quòd cœlum, & terra haberent esse, quàm quod Deus esset illis intimè præsens ratione immensitatis: Ergo in illo primo signo, in quo productum fuit cœlum, non erat Deus illis præsens, nec cœlum Deo, & nihilominùs valuit illud producere: Ergo non benè infertur: Deus producit, & operatur hic: Ergo hic est, sed ex alio capite debet probari. Sed hæc difficultas non est nostri instituti, largiùs disputari, & sic illam omittimus.

ARTICULUS TERTIUS,

Utrùm Deus concurrat immediatè cum omni causa creata tam efficienti, quàm finali, materiali, & formali?

1086. CUM ex antecedentibus constet Deum immediatè concurrere ad effectum creatum causæ efficientis, merito nunc ventilamus, utrum idem de causalitate, sive effectu omnis causæ creatæ tam intrinsecæ, quam extrinsecæ sit dicendum? Pro cujus solutione dico, quòd de causalitate causæ finalis nullum est dubium, quin Deus concurrat, vel realiter, si ejus causalitas sit realis, & finis ex natura rei, sive Metaphoricè, si sit ejus causalitas Metaphorica; de quo non disputo modò, & potest eisdem rationibus probari, quibus nostram conclusionem supra num. 1083. & sequentibus probavimus.

1087. De causis intrinsecis, materiali videlicet, & formali est major difficultas. Pro quarum causalitate, sive effectu dico,

dico, quòd effectus causæ materialis, sive causalitas, quam habet respectu formæ, quatenùs forma educitur de potentia materiæ, est immediatè dependens à Deo, vel primam conclusionem; & Deus ad ipsum immediatè influit, & concurrit, & hoc tam respectu formæ substantialis, quàm respectu formæ accidentalis, & talis concursus in genere efficientis est. Hæc conclusio satis patet ex dictis dist. 3. hujus num. 933. & probatur: omnis perfectio reperta in creaturis seclusis imperfectionibus, quibus est admixta, ponenda est in Deo; sed producere, sive influere subjectum in formam est perfectio, quæ reperitur in creatura: Ergo seclusa à Deo imperfectione essendi subjectum talis formæ ponenda est in Deo. Idem dico de causalitate materiæ, & formæ respectu compositi, ad quam Deus immediatè, & per se ipsum concurrit in genere efficientis, ut patet ibi ex dictis num. 935. & dist. 2. de materia num. 424. & 425. videte ibi dicta, ne idem bis repetamus.

1088. Dico secundam conclusionem: ad receptionem formæ in materia, & ad informationem materiæ à forma, quatenùs receptio dicit se per modum subjecti exhibere formæ, ad hoc, quòd ab ipsa forma actuetur, & perficiatur subjectum, & forma informet, & actuet ipsum, non concurrit Deus immediatè, sed mediatè conservando entitatem materiæ, & formæ ad suos præstandos effectus. Probatur, quia ad illum effectum Deus non concurrit immediatè per se, qui involvit ab intrinseco imperfectionem; hujus modi sunt informatio, & receptio formæ: Ergo ad informationem, & receptionem in sensu explicato non concurrit Deus, nisi quatenùs ipsam entitatem recipientem, & informantem conservat. Vide quæ dixi ibidem num. 934.

1089. Sed contra primam nostram conclusionem objicies: materia per receptionem passivam formæ dat esse composito, & forma per receptionem materiæ idem compositum causat, nulla alia actione intellecta ex dictis ibidem dist. 3. num. 918. & ex dictis hac eadem dist. n. 1078. dubio 5. per eandemmet indivisibilem actionem fundamentalem Deus concurrit cum creatura ad producendum effectum, & ex dictis §. præcedenti informatio, & receptio dicunt ab intrinseco imperfectionem, quam dicunt: Ergo causalitas, quæ fit per informationem, & receptionem, non est in Deo ponenda; hujus modi est causalitas materiæ, & formæ respectu compositi: Ergo non est ponenda in Deo: Ergo malè sibi cohærent ibi dicta cum his, quæ hîc docemus.

1090. Respondeo concedendo de novo, quæ simul ubi supra concessimus, & distinguendo primum in forma antecedens: informatio, & receptio ab intrinseco dicit imperfectionem respectu compartis, hoc est termini secundarii, materiæ videlicet, & formæ, concedo: quatenùs dicunt dare esse composito, quod neque forma per modum formæ informat, neque materia per modum subjecti recipit, nego. Vide, quæ docui num. 975. & sequentibus. Respondeo ad argumenta de causalitate materialis, & formalis causæ; & ratio est conspicua, quia ex parte causæ efficientis, in qua major

militat ratio, non ponitur actio media, qua causa efficiens det esse effectui, ut diximus num. 1033. & sequentibus hujus, quare ex parte materiæ, & formæ concedenda est actio, sive causalitas, qua dent esse composito? Unde illud, quod habet imperfectionis causa materialis, quod est recipere formam, secludimus à Deo, sicut illud, quod imperfectionem involvit forma respectu materiæ, quod est illam actuare, & reddere talem per informationem, & sui intrinsecam exhibitionem Deo negamus; at verò illud, quod perfectionis est, quod est causare compositum, & ad illud influere non negamus, immò de facto Deo concedimus.

1091. Unde licèt materia, & forma media informatione, & receptione dent esse composito, tamen Deus non media receptione, & informatione, sed medio influxu, sive simultaneo concursu in compositum influit, non quia alia distincta actione concurrat Deus ad compositum, ac concurrit materia, & forma, sed quia eadem informatio, quæ prout se tenet ex parte formæ dicitur informatio, prout se tenet ex parte Dei dicitur influxus, & idem dico de receptione, ita quod in genere quasi efficientis Deus concurrit, & non per modum formæ, neque materiæ, quia licèt Deus concurrat cum materia, & forma, non tamen in genere formæ, & materiæ, sed in genere efficientis, quia concurrere per modum materiæ, & formæ involvit saltem imperfectionem partis respectu compositi, quod Deo repugnat; at concurrere in genere efficientis nullam involvit implicationem, sive imperfectionem, & nullum est inconveniens, quòd eadem informatio, quatenùs dicit dare esse composito, ponatur in Deo, & dicatur influxus, sive concursus Dei, & quatenùs dicit informare, sive dare esse per modum partis secludatur à Deo, quia semper perfectio, quæ est in creatura seclusis imperfectionibus, quibus est admixta, ponenda est in Deo, quia si Deus in genere efficientis non concurrit cum materia, & forma ad dare esse composito, non posset Deus impedire causalitatem materiæ, & formæ, & esset aliqua entitas in rerum natura, ad quam Deus immediatè non concurrit, quod est impossibile.

1092. Sed contra & est argumentum, quod etiam militat contra secundam nostram conclusionem: Deus non concurrit ad receptionem se tenentem ex parte materiæ, quatenùs receptio dicit recipere in se formam, nisi conservando entitatem materiæ, neque ad informationem se tenentem ex parte formæ ad materiam, quatenùs dicit informare, & actuare materiam, nisi conservando entitatem formæ: Ergo jam datur aliquis effectus in rerum natura, ad quem immediatè Deus non concurrit: Ergo idem dicendum est de causalitate, quam habet respectu compositi.

1093. Respondeo concedendo antecedens, & distinguendo consequens: Ergo jam datur aliquis effectus, ad quem immediatè Deus non concurrat, ob defectum virtutis, sive perfectionis in Deo, nego: ob imperfectionem, quam importat ipse effectus, concedo: quia cum tales effectus ab intrinseco imperfectionem involvant, nequeunt fieri à Deo, ex quo nulla Deo irroga-

rogatur injuria, immò magis ejus ſplendeſcit perfectio, ut non minuitur aliquid de ſua infinita perfectione, ex eo quòd non concurrat ad formale, ſive monſtruoſitatem peccati, propter imperfectionem, quam involvit peccatum: & nego, quòd idem ſit dicendum de cauſalitate materiæ, & formæ reſpectu compoſiti, quia in cauſare compoſitum nulla involvitur imperfectio, cùm talis cauſalitas non ponatur per modum actus, & potentiæ, ſed per modum influxus, ſive extrinſecè influentis. Qui plura de hac cauſalitate, ſive influxu deſideraverit, authores conſulat.

QUÆSTIO QUINTA,

Utrùm Deus præmoveat, ſive prædeterminet cauſam ſecundam ad operandum?

1094. DOcuimus quæſtione præcedenti Deum cum cauſis ſecundis ad eorum effectus producendos concurrere; nunc quærimus impræſentiarùm, utrùm Deus ante productionem actualem prædeterminet cauſam ſecundam ad ipſam actualem productionem, taliter quòd cauſa ſecunda, niſi prædeterminetur à prima per aliquod in ipſa cauſa ſecunda receptum, vel per modum comprincipii, vel per modum conditionis, cauſa ſecunda non valeat ex ſe prorumpere in actum. Pro cujus difficultatis ſolutione ſit

ARTICULUS PRIMUS,

Ubi aliorum ſententiæ referuntur, & ſimul refelluntur, & Doctoris ſubtilis ſententia ſtabilitur.

1095. CIrca hanc difficultatem duplex verſatur oppoſita ſententia: prima eſt Divi Thomæ prima ſecundæ q. 110. art. 2. quem ſequuntur ferè omnes Thomiſtæ, qui ſuadet, quòd antequàm cauſa prorumpat in actualem effectus cauſationem, neceſſe eſt, quòd prædeterminetur à prima per aliquam qualitatem in cauſa ſecunda receptam, & à prima cauſatam, quæ quidem qualitas communiter appellatur præmotio Phyſica. Cujus fundamentum eſt, quod ſicut potentia paſſiva, materia prima v. g. intelligitur in potentia remota ad cauſandum compoſitum, donec prædeterminetur à forma Phyſica ſubſtantiali, qua informata, & prædeterminata infallibiliter cauſat, & conſtituit compoſitum, ſic potentia activa creata cujuſcumque ordinis ſit, vel naturalis, vel libera, ad hoc, quod intelligatur proximè potens cauſare, neceſſe eſt, quòd aliqua Phyſica præmotione, ſive qualitate antecedenti prædeterminetur, qua poſita infallibiliter cauſa ſecunda operabitur, & qua ablata minimè operabitur, quia antequàm operetur, neceſſe eſt, quòd determinetur ad operandum, quam ponunt Thomiſtæ, ut cauſa ſecunda determinetur, ut ejus virtus in actu primo compleatur, & ut magis ſubordinetur in ſua cauſatione cauſæ primæ.

 1096. Secun-

1096. Secunda ſententia huic oppoſita ex diametro affirmat non ſolùm prædictam Phyſicam præmotionem non dari, neque aliquam eſſe neceſſitatem ponendi illam, ſed omninò impoſſibilem eſſe, & ſic nullatenùs eſſe admittendam, ſed ſufficienter ſalvari omnia, ad quæ ponitur talis Phyſica præmotio per ſimultaneum concurſum, quo cauſa ſecunda ad ſuorum effectuum productionem coadjuvatur à prima modò ſupra explicato. Hæc concluſio expreſsè habetur à *Scoto in 4. diſt. 1. q. 1. propè finem. v. ad ultimum. num. 34.* ubi ait: *cauſam etiam ſecundam, id eſt, quæ habet formam activam in eſſe quieto agere in virtute alterius* (id eſt Dei) *non eſt recipere tunc aliquid ab illo altero; ſed tantum habere ordinem inferiorem ad illud alterum agens in ſuo ordine ſimul.* Et paucis interjectis: *ex hoc patet, quod cauſæ primæ in cauſam ſecundam propriè dictam, quando ſimiliter agunt, nòn eſt influentia nova, quæ ſit creatio alicujus inhærentis cauſæ ſecundæ, ſed influentia ſibi eſt determinatus ordo iſtarum cauſarum in agendo effectum communem.* Idem habet in eodem 4. diſt. 43. q. 3. §. tertia opinio. eſt contra reſponſionem argumenti ſecundi. & 1. diſt. 3. q. 9. & in 2. diſt. 9. q. 2. §. ad argumenta ſecundæ quæſtionis. v. & cum addis, quòd unum agit in virtute alterius & in eodem 2. diſt. 1. q. 2. num. 8.

1097. *Etiam in 1. diſt. 7. q. 1. §. contra num. 4.* ubi ait: *indeterminatio eſt duplex, quædam eſt potentiæ paſſivæ, ut indeterminatio materiæ, & quædam potentiæ activæ illimitatæ ad plures effectus, ſicut Sol eſt indeterminatus ad producendum multa animalia, non quòd aliquam formam recipiat, ut agat, ſed quia habet virtutem activam illimitatam. Quod autem eſt indeterminatum in determinatione materiæ, oportet, quod recipiat aliquam formam, ad hoc ut agat, quia non eſt in actu ſufficiente ad agendum. Sed quod eſt indeterminatum in determinatione potentiæ activæ eſt ex ſe ſufficienter determinatum ad operandum quemcumque iſtorum effectuum, & hoc ſi paſſum diſpoſitum ſit approximatum, ubi requiritur paſſum, vel ex ſeipſo ubi non requiritur paſſum.* Hæc Scotus.

1098. Probatur ergo concluſio: cauſam eſſe determinatam ad producendum aliquem effectum, nihil aliud eſt, quam habere formam, qua poſſit cauſare, ſive virtutem cauſativam intrinſecam, qua poſſit in talem effectum; hæc probatio expreſsè habetur à Scoto in 2. diſt. & q. 2. num. 9. ſed ignis v. g. ex ſe habet ſufficientem virtutem, ut poſſit medio divino concurſu producere alium ignem: Ergo cauſa prima non determinat cauſam ſecundam per aliquid intrinſecum, quod illi infundat: Ergo ipſa cauſa ſecunda ex ſe, & à ſua virtute eſt ſufficienter determinata.

1099. Et roboratur: quia ſi eſſet neceſſaria prædicta Phyſica præmotio, ſive qualitas ante actualem cauſationem cauſæ ſecundæ, maximè ut virtus cauſativa cauſæ ſecundæ compleretur, & eſſet effectus proportionata; ſed quælibet cauſa naturalis in eo ordine, & linea, qua eſt cauſa, ſufficienter eſt completa à ſua cauſativa virtute, & ex ſe ſuo effectui proportionata: Ergo ſuperfluit illa Phyſica præmotio. Probatur minor: & imprimis illa Phyſica præmotio nequit eſſe completiva virtutis ſubſtantialis, neque ſubſtantiæ productæ comprincipium,

cipium, ut satis patet ex dictis num. 969. hujus distinctionis, & per totam quæstionem secundam: Ergo causa naturalis substantialis ex se sufficienter est suo substantiali effectui proportionata, & completa in sua linea: Ergo non indiget complemento alio, & maximè accidentali, quale est illa Physica præmotio.

1100. Et confirmatur: quia proportio, quæ reperitur inter causam naturalem, & ejus effectum est, quòd effectus, si à causa univoca est, sit ejusdem perfectionis, & naturæ cum ipsa causa, & quòd ejus activitatem non excedat, sed ignis v. g. ut quatuor, qui ab alio igne ut quatuor producitur ejusdem speciei, & perfectionis est cum sua causa, & ejus vires, sive activitatem non excedit: Ergo non requiritur ex parte talis ignis producentis aliqua alia proportio, nisi sua intrinseca, & cremativa virtus, à qua immediatè ponitur ejus effectus in esse positis omnibus requisitis, & conditionibus præviis ad causandum, ut approximatio passi, & impedimentis ablatis: Ergo à tali virtute medio divino concursu, & quolibet circunscripto alio ponitur sufficienter ejus virtus: Ergo superfluit illa Physica præmotio, & quid aliud ponatut.

1101. Secundò probatur ex impugnatione doctrinæ contrariæ: nam major dependentia arguit agere dependenter à causæ primæ concursu simultaneo, quàm agere dependenter ab illa Physica præmotione: ergo prædicta Physica præmotio non est admittenda ob majorem subordinationem, & dependentiam causæ secundæ à prima. Antecedens probatur: major dependentia est actualis dependentia, quàm habitualis, & per modum principii; sed dependentia à simultaneo Dei concursu est dependentia effectus actualis, & dependentia à tali Physica præmotione est dependentia habitualis, & non actualis; sed dependentia tanquàm ab altero comprincipio in actu primo: Ergo major dependentia est, qua effectus dependet ab actuali Dei concursu, quàm illa, qua dependet effectus ab illa Physica præmotione, tanquàm ab altero sui comprincipio. Et confirmatur: major dependentia est illa, quæ à solo Deo terminatur, quàm quæ terminatur à creatura, sed dependentia ab influxu, sive simultaneo concursu Dei à solo Deo influente, sive concurrente terminatur, & dependentia ab illa Physica qualitate terminatur à creatura, nam qualitas illa quid creatum est: Ergo &c.

1102. Tertiò impugnatur: prædicta Physica præmotio ratione peculiari de causa libera, ex positione hujus modi Physicæ præmotionis in voluntate antecedenter ad actum liberum voluntatis aufertur, sive tollitur libertas ipsius voluntatis in operando; sed hoc non est dicendum, quia contra fidem: Ergo neque est talis Physica præmotio admittenda, saltèm in causa libera. Major probatur: posita hac Physica præmotione in voluntate antecedenter ad actum taliter voluntas manet determinata ad eliciendum actum, quòd non est in ejus libera potestate, illum non elicere; sed operari taliter, quòd non sit in potestate operantis non operari est non operari liberè sed necessariò & per modum naturæ: Ergo posita tali Physica præmotione tollitur libertas in operando causæ liberæ. Major hujus probationis est ipsa Thomistica doctrina, nam ad

ad hoc ponunt talem Physicam præmotionem ut causa secunda, quæ antea erat indeterminata ad producendum hunc effectum *A*, v. g. potiùs quàm effectum *B*: determinata maneat ad effectum *A* producendum taliter, quòd posita illa præmotione Physica infallibiliter illa causa operatur, taliter quòd non possit non operari.

1103. Huic nostræ impugnationi respondent communiter Thomistæ, quòd voluntas potest considerari dupliciter, vel in sensu diviso, quatenùs videlicet voluntas consideratur prout præscindit ab illa Physica præmotione, & ab illa dividitur, sivè præscinditur: vel in sensu composito, quatenùs voluntas componitur cum tali Physica præmotione, & Physicè ab illa præmota intelligitur.

1104. Hoc supposito ad argumentum respondent distinguendo majorem: expositione talis Physicæ præmotionis voluntas necessitata manet, & non libera in sensu composito, & prout voluntas præmota constituitur, sive conjungitur cum illa Physica præmotione concedunt; nam voluntas prout sub illa præmotione jacet, jam non liberè, sed necessariò infallibiliter operatur. In sensu diviso, & prout voluntas ab illa præmotione præscindit, & solitariè secundùm se consideratur, nego: & nullum est inconveniens, quòd voluntas ex suppositione talis Physicæ præmotionis operetur non liberè, sed necessariò, quia talis necessitas est necessitas consequentis, ex suppositione, & secundum quid; dummodò voluntas secundum se, & in sensu divino libera maneat.

1105. Sed hæc argumenti tergiversatio potiùs, quàm solutio est, & sic contra illos insurgo impugnatione, quam in Hispalensi Collegio, sive universitate quondàm proposui prædictum dicendi modum impugnando, cujus solutionem usque in hodiernum diem exspecto; est enim, si mea non fallit sententia, evidentissima demonstratio concludens oppositum, quæ talis est: voluntas ex suppositione talis Physicæ præmotionis existens in voluntate per modum cujusdam intrinseci determinativi necessariò operatur, taliter quòd nequit non operari: Ergo absolutè, & simpliciter necessariò operatur, & non liberè. Probo consequentiam: tunc voluntas, sive aliquod quodcumque principium operatur absolutè, & simpliciter necessariò, & non liberè, ex suppositione alicujus conditionis, quæ non est in ejus libera potestate; sed ex suppositione Physicæ præmotionis, quæ in ejus libera potestate non est, per vos operatur necessariò voluntas, & non liberè, taliter quòd non potest non operari: Ergo absolutè, & simpliciter necessariò operatur, & non secundùm quid, sive ex suppositione.

1106. Major probatur: quia si ex suppositione quòd Petrus moveat manum, Paulus deambularet necessariò, taliter quòd non posset non ambulare, & non esset in potestate libera Pauli, quòd Petrus moveret, vel non moveret manum: Ergo absolutè, & simpliciter Paulus necessariò ambularet. Si ex suppositione quòd applicetur lignum ignis cremat naturaliter, taliter quòd non est in libera potestate ligni applicari ad ignem, vel non applicari: Ergo non est in ejus libera potestate cremari ab igne, vel non cremari. Si ex suppositione quòd Sol

Sol oriatur, dies est necessariò, & non est in mea potestate, quòd Sol oriatur, vel non oriatur: Ergo non est in mea potestate, quòd dies sit, vel non sit. Minor patet, quòd videlicet illa Physica præmotio, sive qualitas non est in libera potestate voluntatis, taliter quòd illam habere, vel non habere non pendet à voluntate, quia antecedenter ad omnem actum voluntatis liberè infunditur à Deo in voluntate ipsa, & quòd à Deo infundatur, vel non infundatur, non dependet à voluntate creata, sed à voluntate divina liberè illam causante: consequentia est legitima: Ergo &c. Hoc opus, hic labor est, videant Thomistæ quam solutionem huic argumento præstabunt.

1107. Quartò impugnatur admittendo exercitii forma, quòd voluntas ex se est indeterminata ante illam Physicam præmotionem, & quòd per illam determinatur ad eliciendum actum *A*, potiùs quàm actum *B*, cùm utraque intra sphæram suarum virium contineatur, & hanc illationem deduco: Ergo ideo voluntas determinatur ad actum *A*, sive elicit actum *A*, determinatè, & non alium, quia antecedenter ad illum fuit determinata à Deo per illam Physicam præmotionem; concedunt Thomistæ consequentiam, cùm sit ejus expressa doctrina; tunc sic: Ergo ideo voluntas elicit actum odii Dei v. g. & non actum amoris, quia à Deo fuit prædeterminata per illam Physicam præmotionem ad actum odii Dei, & non ad actum amoris: Ergo vel homo non peccat eliciendo talem actum odii Dei, vel si peccat, & ei imputatur talis actus ad culpam justè potest conqueri de Deo, dicendo: tu Domine meam liberam voluntatem determinasti ad istum actum odii Dei, & non ad actum amoris taliter quòd postea antecedenter tua determinatione, sive Physica præmotione non potui illum actum non elicere: si ergo non in mea, sed in tua potestate fuit illam determinationem habere, qua compulsus sum operari illum actum, quare debeo luere pœnas pro illo? Cur mihi imputatur ad culpam, & ad pœnam, quòd ego actum elicui, ad quem tu me determinasti? Absit à Deo talis impietas, non enim esset Deus, si voluntatem creatam puniret pro actu, ad quem ab ipso fuit prædeterminata totaliter, quòd non potuit illum non elicere actum, sed necessariò illum ex suppositione suæ divinæ determinationis elicuit; qui plura desideraverit, authores consulat.

Argumenta contra dicta.

1108. PRimo objiciunt contra nos adversarii quàm plura ex sacra Scriptura testimonia, quibus videtur comprobari non solùm Deum concurrere cum causis secundis, sed etiam illas ad agendum præmovere, ut illud Proverb. cap. 21. *cor Regis in manu Dei:* ubi Sancti, & Ecclesiæ Patres communiter interpretantur, quòd sicut illud, quod habemus in manu, huc, illucque movemus pro nostro libito, ita cor, id est hominis voluntas est in manu Dei, quòd ab illa huc, illucque movetur pro suo libito, & alia quam plura hujus modi. Item in Arauxicano concilio definitur de fide can. 22. quòd *multa bona fiunt in homine, quæ non facit ipse homo*: quod commu-

niter intelligunt Patres, immò & ipsum explicat concilium de gratia præveniente, qua homo prævenitur ut à somno excitetur peccati, & de his conteratur peccatis: Ergo ex concilio ante actum conterendi, sive pœnitendi homo excitatur aliqua prævia qualitate, sive præmotione, quæ à Deo fit in homine sine homine, qua à Deo vocatur juxta illud Apocalypsis cap. 5. *ecce sto ad ostium, & pulso.*

1109. Item lumen Ecclesiæ Augustinus lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 17. ait: *Deus ut velimus in nobis sine nobis operatur, cum autem volumus, ut faciamus cooperatur; tamen sine ipso operante, ut velimus, vel cooperatur, cum velimus ad bona pietatis opera nihil omninò valemus*: Ergo ex mente Sanctorum Patrum, conciliorum, & Scripturæ datur Physica præmotio, qua voluntas ut vel determinatur à Deo.

1110. Ad has, & similes authoritates respondeo concedendo, quòd verum est, quòd Concilia, & Patres asserunt, videlicet quòd homo excitatur à Deo, ut à somno pecati resurgat per aliquam Physicam entitatem, sive qualitatem, quæ gratia præveniens nuncupatur à Patribus, sed quod falsum est, quòd tali Physica qualitate supposita, sive vocatione per modum inspirationis, sive illustrationis non possit homo pro suo libito operari, vel non operari, quia nos non negamus, quòd ad actus bonos, & meritorios non præviatur homo à Deo, sed quod negamus est, quòd detur aliqua Physica præmotio, qua determinetur ad talem actum, taliter quòd non possit illum actum non elicere, quod quid distinctum est. Ad illud de corde Regis Proverb. 21. respondeo, quòd illa interpretatio expositorum, & Patrum est intelligenda moraliter, non Physicè rigorosè, ita quòd voluntas, quasi inamine quoddã se habeat ad motum divinæ voluntatis se movendo, sed quòd taliter nostra voluntas dependeat à Deo in sua operatione, & à simultaneo ejus concursu, quòd sicut quod est in manu non potest moveri sine eo quod moveatur manus, ita voluntas creata non potest elicere actum, sine eo quod coadjuvetur à simultaneo Dei concursu; Ex quo nihil contra nos.

1111. Secundò arguitur adducendo quàm plures ex Philosopho authoritates, immò & ipsius Scoti, in quo passim invenitur, quòd *causa secunda agit, in quantum movetur à prima*: Ergo in tantum agit causa secunda, in quantum à prima movetur ad agendum; Ergo priùs causa secunda à prima movetur, quàm actualiter causet; patet; quia agens, quod non agit nisi prout motum, prius est quod moveatur, quàm quod agat; sed causa secunda non agit nisi prout mota à prima: Ergo prius est, quod moveatur, quam quod agit: Ergo ex mente Philosophi, & Scoti admittenda est talis Physica præmotio.

1112. Respondeo, quòd quando Philosophus, vel Scotus dicunt quòd causa secunda agit prout mota, non debet intelligi quòd causa secunda recipiat tunc, quando movetur aliquid à causa prima, quo moveatur ad hoc quod causet, ut ait ipse *Scotus in 4. dist. 43. q. 3. §. tertia opinio. v. præterea. num.* 11. his verbis: *influentia illa non est aliquid absolutum receptum in causa secunda, quia tunc causa secunda per illud receptum posset agere sine prima, cujus influentiam recipit* &c.

&c. ſed cauſam agere motam à prima nihil aliud eſt, quàm agere ſubordinatam ad primam, & ab illa coadjuta per ſimultaneum ejus concurſum, & non per aliquid ſibi impreſſum antecedenter ad actualem operationem, ut patet ex locis ſupra citatis num. ex quo nihil facit argumentum contra nos.

1113. Tertiò arguitur: ſi cauſa ſecunda non promoveretur à prima aliqua Phyſica præmotione antecedenter ad actualem cauſationem, ſequeretur, quòd per accidens conjungeretur cauſa ſecunda cum prima, & è contra ad actualem cauſationem; ſed hoc non eſt dicendum, cum eſſentialiter, & per ſe conjungantur ad cauſandum effectum, quarum neutra ex vi talis influxus non cauſaret, ut diximus num. 1076. Ergo admittenda eſt talis Phyſica præmotio. Probatur ſequela: illa cauſa conjungitur per accidens cum alia ad cauſandum, quæ nihil influit, ſive cauſat in illa alia: Ergo ſi cauſa prima nihil agit in ſecunda antecedenter ad operationem: Ergo per accidens conjunguntur ad cauſandum. Antecedens probatur: nam ideo duo lapidem portantes dicuntur per accidens conjungi ad portandum lapidem, quia neuter influit in alium, etiamſi uterque influat in effectum, ſcilicet ponderis portationem, ſive elevationem: Ergo &c.

1114. Reſpondeo negando ſequelam antecedentis, & ad ejus probationem diſtinguo antecedens: illa conjungitur per accidens cum alia, quæ nihil recipit ab illa alia ante actualem cauſationem, neque habet virtutem ab illa alia participatam, & dependenter in operando, concedo: quæ nihil recipit in ſigno immediatè antequàm cauſet præcisè, nego. Nam ſolùm illa cauſa per accidens conjungitur cum alia, quæ ab illa alia, neque in eſſendo, neque in operando dependet, ut ſunt duo portantes pondus, quorum neuter ab alio dependet; at cùm cauſa ſecunda habet virtutem cauſandi dependenter à prima, à cujus ſimultaneo concurſu, ſivè influxu dependet in ſua cauſatione, hinc fit, quòd non per accicidens, ſed eſſentialiter, & per ſubordinationem ad aliam cauſet.

1115. Quartò arguitur: cauſa ſecunda neceſſariò debet determinari à prima ad cauſandum, ſed non poteſt determinari, niſi per aliquid receptum in ipſa ſecunda cauſa, quæ Phyſicè præmoveatur: Ergo Phyſica præmotio neceſſariò eſt admittenda. Probo majorem: quia ſi cauſa ſecunda non determinatur à prima, cùm in ipſa cauſæ ſecundæ virtute plures effectus contineantur, non eſſet major ratio, quare unus produceretur effectus, potiùs quàm alius. Patet; nam hìc ignis *A*, v. g. qui eſt cauſa univoca, habet virtutem ad cauſandum plures numero ignes, & idem calor ad producendos plures numero calores; quare ergo producit iſtum numero calorem, & non alium, cùm uterque in ejus virtute contineatur? Idem dico de cauſa æquivoca, quæ talis virtutis, & naturæ eſt, quod poteſt producere plures effectus ſpecie diverſos: Ergo ex ſe nulla eſt ratio, quare hunc producat, & non alium, cùm omnes in

in ejus contineantur virtute: Ergo necesse est, quòd ejus indeterminatio ad hunc effectum potiùs, quàm ad alium determinetur ab alio; non ab alio, quàm à Deo: Ergo necessariò petit causa secunda à Deo determinari: Ergo per aliquid intrinsecum in causa secunda receptum, quo ejus indeterminatio determinetur: Ergo per Physicam præmotionem.

1116. Respondeo ad argumentum dupliciter, primò negando antecedens; de ratione enim causæ secundæ non est à prima determinari, sed à prima coadjuvari, & ab illa causare dependenter; & ad ejus probationem respondeo negando antecedens; ignis enim ex se determinatam habet virtutem, ratione cujus alium ignem potest causare, & non aquam, & calor similiter ex sua ratione specifica alium potest producere calorem, & non frigiditatem, quia cum virtus causativa sit de intrinseca ratione naturæ, ab illo à quo accipit causa creata naturam in tali determinata specie, accipit virtutem causandi effectum ejusdem speciei. Quòd si plures ejusdem speciei effectus continentur in causa, & causatur unus potiùs, quàm alius, non est quia à Deo prædeterminatur talis effectus, & non alius, sed quia ratione loci, temporis, approximationis passi, & aliarum circumstantiarum producitur talis numero effectus potiùs, quàm alius. Idem dico de causa æquivoca, quæ ratione distinctarum dispositionum causat hìc effectum specie distinctum, quàm causat ibi, vel propter diversitatem passi, ut patet de cera, & luto; nam cera à Solis calore rarefit, & liquescit, & lutum durescit, & comprimitur, vel ob alias circumstantias; at verò si causa est libera, dicit istum actum, tam quoad speciem, quàm quoad individuum, nempè quòd sit talis numero amor, & non alius ob eminentiam, & dominium plenum, quod habet voluntas in suos actus ratione suæ libertatis, & sic elicit istum actum, & non alium, quia vult istum, & non alium.

1117. Secundò respondeo, quòd quælibet causa univoca habet virtutem univocam ad causandum ejus naturæ specificæ effectum, taliter quòd ignis non nisi ignem potest generare, & calor calorem, & frigiditas frigiditatem, & sic quoad specificum effectum ex se est determinata, taliter quòd non solùm non determinatur à Deo, immò ignis determinat concursum generalem Dei, qui ex se quasi indifferens est ad producendum ignem, vel alium effectum, ad hoc, quod cum igne producat ignem, & non alium effectum; at quoad rationem numericam effectus, videlicet quod à calore producatur calor *A*, & non calor *B*, determinatur à Deo, non quia aliquid recipiat, medio quo determinatur, sed quia concursus divinus determinatè voluit dare esse huic calori, & non alteri. Et idem dico de eodem patre, qui plures potest generare filios; at quòd talis sit prior, & non talis, à libera Dei voluntate dependet, quia applicavit Deus suum concursum ad istum, & non alium.

1118. Idem dico de causa æquivoca, quæ ex se habet virtutem illimitatam, in determinata tamen sphæra, à qua potest in tales effectus, & non tales, quæ quidem causa ut Sol v. g. ex se determinatus est ad producendos tales effectus, & positis omnibus requisitis illos producit; at quòd talis

numero

numero effectus producatur, & non alter, à Deo ratione suæ liberæ voluntatis dependet, non quia ut dictum est, recipiat aliquid, quo determinatur causa secunda à prima, sed quia influit causa prima ad hunc effectum numero pro suo libito, & non ad alium; ita quòd causa secunda, & prima se invicem determinent; causa secunda determinat primam quoad specificum effectus, quia ex se talis naturæ est; causa verò determinat secundam quoad individuationem effectus, & hoc sine eo quòd causa prima causet aliquid in secunda, quo determinetur, neque secunda in prima. Qui plura desideraverit, authores consulat.

QUÆSTIO SEXTA,

De causa instrumentali.

POstquàm quæstione præcedenti docuimus causam secundam necessariò dependere à prima in sua causatione, non tamen ab illa Physicè præmoveri aliqua Physica præmotione; at cum sæpè sæpiùs causa creata causæ primæ instrumentum appelletur à Patribus, meritò impræsentiarùm quærimus, quid causa instrumentalis sit, & per quid à causa principali distinguatur; quapropter sit

ARTICULUS UNICUS,

Ubi quid sit causa instrumentalis ostenditur, & per quid à causa principali distinguatur, demonstratur.

1119. PRO hujus quæsiti intelligentia suppono, quòd instrumentum multipliciter dicitur, ut constat ex *Scoto in 4. dist. 1. q. 5. §. ad primum. num. 14.* Primò sumitur instrumentum pro causa, quæ agit alteri subordinata causæ, etiamsi ex se habeat virtutem ad influendum in talem effectum, sed hæc acceptio instrumenti, nimis lata est, in ea siquidem omnis creatura dicitur Dei instrumentum, cùm ei subordinetur in sui effectus productione. Secundò dicitur instrumentum causa disponens subjectum ad alicujus formæ introductionem; in quo sensu omnis qualitas, sive accidens, quod disponit ad introductionem formæ substantialis instrumentum substantiæ nuncupatur. Tertiò sumitur instrumentum pro organo, medio quo aliqua exercetur vitalis operatio, in qua acceptione potentia visiva dicitur instrumentum animæ, & idem dico de aliis potentiis organicis. Quartò sumitur pro instrumento artis, ut serra dicitur artificis lignarii instrumentum.

1120. Secundò suppono cum *Scoto in 4. dist. 1. q. 1. §. ad quæstionem. num. 26.* quòd causa principalis operatur per virtutem intrinsecam, quam antequàm cremet, habet à sua intrinseca natura virtutem cremativam, quæ potest cremare; instrumentum verò, sive causa instrumentalis est illa, quæ in esse quieto nullam habet virtutem intrinsecam respectu effectus, quam causat, sed solùm illam recipit à principali agente in ipsa motione actuali, quando videlicet utitur illo instrumento ad suum producendum effectum, ita quòd instrumentum in virtute agentis superioris

ris principalis, à quo movetur, causat effectum se nobiliorem; causa verò principalis minimè, sed semper est, vel nobilior suo effectu, si est causa æquivoca, vel æquè nobilis cum illa si est univoca.

1121. His præjactis dico primam conclusionem: causa instrumentalis est illa, quæ non gaudet virtute in actu primo ad producendum aliquem effectum, & tamen illum effectum in virtute agentis superioris, cujus est instrumentum, attingit. Probatur: omnis causa, quæ habet virtutem, licèt partialem in actu primo ad producendum aliquem effectum non est instrumentalis, sed principalis, licèt sit partialis, & non totalis: Ergo illa causa erit instrumentalis, quæ nulla gaudet in actu primo virtute. Ita *Scotus expreßè in* 4. *dist.* 6. *q.* 5. *§. sed istæ rationes. num.* 9. Probatur insuper: quia si instrumentum ut tale gauderet propria virtute nulla esset distinctio illius, & causæ principalis; sed non est alia assignanda, nisi prædicta; Ergo &c.

1122. Ex quibus deducitur corollarium, quòd cum omnis causa, quæ Physicè influit in effectum necessariò supponit virtutem in actu primo, qua possit Physicè in talem effectum influere, nullum datur Physicum instrumentum, quod Physicè attingat effectum, quem causat, sed solùm instrumentum rigorosè; vel est moralis, qualia sunt sacramenta, in quibus nulla datur virtus Physica gratiæ productiva, quæ est eorum effectus, vel artificialis ut serra, quæ non media aliqua activitate effectiva dividit lignum, sed per incomposibilitatem unius corporis cum alio dividit unam partem ligni continui ab alia.

1123. Deducitur secundò, quòd quando dicimus, quòd instrumentum in virtute agentis superioris efficit, & producit effectum se perfectiorem, non debet intelligi, quòd aliquid causetur in instrumento ab agente superiori, medio quo possit instrumentum in talem effectum; quia nihil causatur à Deo in aqua Baptismali, quòd sit gratiæ productivum; sed sic debet intelligi, quod instrumentum ut causa moralis moraliter influit, & attingit talem effectum, qui ab agente principali attingitur effectivè.

1124. Sed contra dices: Deus potest elevare calorem ut quatuor v. g. ad hoc ut producat calorem ut octo, & ignem ad hoc ut producat se perfectiorem: Ergo nulla est implicatio, quòd aqua Baptismalis v. g. elevetur ad hoc quod producat Physicè gratiam. Antecedens probatur: plus potest causa creata virtute divina, quàm propria; sed calor propria virtute potest producere alium calorem ut quatuor: Ergo si à virtute divina elevetur, potest effectum perfectiorem producere.

1125. Respondeo negando antecedens; nam causa, quæ ex se habet sphæram determinatam intra latitudinem cujus potest operari, si à tali sphæra abstrahatur, sive talis sphæræ limites transgrediatur, nequit ibi operari, ut v. g. sphæra determinata ad agendum, sive operandum potentiæ visivæ est objectum coloratum, intra latitudinem sui colorati objecti benè poterit talis visiva potentia elevari à Deo, ut perfectius, & perfectius operetur; at poterit ne potentia visiva extrahi à latitudine suæ sphæræ, ita ut virtute divina possit videre

dere objectum non coloratum? Minimè, quia nulla potentia extra latitudinem sui objecti operatur. Idem dico de igne, si ignis habeat solùm virtutem producendi ignem ut quatuor quantumcumque elevetur à Deo non poterit producere nisi ut quatuor, quòd si aliquando contingat quòd effectus ut octo producatur, ille excessus se tenens ex parte effectus non correspondet igni, ut causæ, sed virtuti divinæ, ita ut nostro modo intelligendi dicitur, quod quatuor gradus solùm fuerunt ab igne ut quatuor producti in effectu, & gradus ulteriores non ab igne, sed à Deo producti fuere.

1126. Unde cum totum, quod in sacramentis reperitur, sit de ordine naturali corporeo, & verba, quibus tanquàm forma conficitur, sint accidentale quid, & ordinis inferioris, nequeunt attingere gratiam, quæ ordinis supernaturalis altioris est, & sic solùm sunt causæ instrumentales, non Physicæ, sed morales. Ad ejus probationem respondeo distinguendo majorem: plus potest causa creata agere virtute divina, quàm in virtute propria, & præcisa, & circumscripta à divina, nego suppositum, quòd causa creata prout à divino adjuvamine præscindit, possit nec minus, nec plus, cùm essentialiter in operando ab illa dependeat, plus potest cum divino adjuvamine intra latitudinem suæ sphæræ, si plus à Deo adjuvetur, concedo: extra suam sphæram, nego: ex quo nihil contra nos. Qui plura desideraverit de causa instrumentali, authores consulat.

QUÆSTIO SEPTIMA,

Et ultima in hac distinctione de causa conservativa.

CUM postquàm effectus in re productus est, sequatur ejus persistentia, & in eodem esse conservatio, meritò postquàm de causa efficienti egimus, quæ dat esse effectui, de talis effectus causa conservativa agere decrevi, quapropter sit

ARTICULUS PRIMUS,

Quid sit causa conservativa, & quomodo à prima productiva distinguatur.

1127. PRimò est notandum, quòd licèt aliquando materia dicatur formæ substantialis conservativa, & forma conservativa materiæ, & finis similiter dicatur causa conservativa eorum, quæ sunt ad finem. Hæc tamen acceptio causæ conservativæ nimis lata est, quia conservare propriè solùm causæ efficienti convenit. Unde omissis aliis causis conservativis de causa effectivè conservante agemus, licèt nonnulla de istis adjiciam.

1128. Secundò est notandum, quòd causa conservativa est duplex, per se, & per accidens: causa conservativa per accidens est illa, quæ non per se immediatè influit in rei conservationem, sed solùm removendo contraria, & illis resistendo conservat, ut sal dicitur conservare carnes, quia removet illa, quæ carnes possunt corrumpere; cinis dicitur causa conservativa ignis, quia ignis à cinere involuto ab aëre, qui illum posset destruere, conservatur; domus di-

citur causa conservativa, quia removet aëra, & pluvias, quibus salus posset periclitari &c. Causa conservativa per se est illa, quæ in suo influxu immediato facit persistere rem in suo esse, taliter quòd si illa non influeret conservando effectus, sive res, in nihilum, sive in corruptionem abirent, & de hac causa conservativa est nobis hîc agendum.

1129. Conservatio igitur *est verus, & realis influxus, ex vi cujus effectus jam productus persistit in re*: prima particula scilicet *est verus, & realis influxus*, est ratio generica proxima, in qua conveniunt actio productiva, & conservativa; *ex vi cujus effectus jam productus persistit*, est differentia, quæ versatur inter actionem primò productivam, quia hæc ad primum esse rei terminatur; actio verò conservativa, non ad dare esse primò rei, sed ad esse jam ex vi primæ productionis productum, & existens conservandum terminatur, & in hoc ferè nulla est controversia.

1130. Ad secundam partem quæsiti deveniendo, dico, quòd aliqua sunt, quæ ab eadem causa, à qua producuntur, conservantur, ut lux, quæ à Sole oritur, & ab ipso immediatè conservatur; actus intellectus, qui ab intellectu producitur, & ab illo conservatur; quantitas, quæ ab eodem subjecto, à quo producitur, conservatur, & hujusmodi alia. Alia verò sunt, quæ à diversa causa conservantur, ac producuntur, ut sunt formæ corporeæ, ignis v. g. & homo, quorum primus ab altero igne, & secundus ab altero homine producitur, & à solo Deo conservatur, cujus non est assignare rationem, nisi quia hoc talis naturæ est, quòd possit ab eadem causa conservari, à qua producitur, ut ex varietate ista magis pulchritudo universi, & ejus authoris mirabilis providentia undequaque explendescat.

1131. Sit prima conclusio: quandocumquè effectus ab eadem causa, à qua primò producitur, conservatur in esse jam producto, & causa eodem modo se habeat ad effectum talem, tunc actio primò productiva, & conservativa eadem indistincta actio est; unde eadem est actio, qua Deus creavit animam, sive Angelum, ac illa, à qua conservatur: Probatur: omnis actio specificatur à termino, & à modo tendendi: Ergo actio conservativa, & primò productiva animæ v. g. se tenens ex parte Dei eundem habet terminum indistinctum, scilicet eandem animam, & eundem modum tendendi, quia per primam actionem tendit Deus ad dare esse animæ, & per eandemmet actionem perseverantem tendit ad idem esse animæ conservare, quod est idem, ac illud esse per æquivalentiam producere, & ex parte principii idem est agens, Deus optimus, maximus videlicet: Ergo actio primò productiva, & conservativa animæ eadem est, quia ex nullo quod potest excogitari distinctio unius ab alia datur.

1132. Dico secundam conclusionem: quotiescumque conservatur effectus diverso modo, ac producitur, puta si forma substantialis, vel accidentalis dependenter à subjecto producatur, & postea à subjecto separata conservetur; vel si calor, sive qualitas intensibilis, & remissibilis, illa videlicet, quæ habet latitudinem gradualem, vel quodlibet accidens, sive substantia, quod

gaudet

gaudet latitudine partium, producatur per motum successivum, sive fluxum partis, post partem, & postea totus simul effectus per simultaneum concursum conservatur, in tali casu non est eademmet actio talis rei productiva, & conservativa, sed specie distincta est actio conservativa à productiva. Probatur: quia illa actio specificè distinguitur ab alia, quæ habet modum diversum tendendi specificè distinctum; sed istæ actiones sic se habent: Ergo &c. minor probatur: quia motus successivus, & instantaneus vel simultaneus modi sunt specie diversi: Ergo &c.

1133. Sed contra dices: actio primò productiva terminatur ad primum esse rei connotando ejus non esse, tanquàm terminum, à quo accipit res esse per talem actionem; actio verò conservativa non ad primum esse, cui immediatè præcessit ejus non esse, sed ad esse jam habitum: Ergo non est eademmet actio una, ac est alia. Probatur: terminus actionis primò productivæ connotat essentialiter non esse ejusdem termini, nam actio primò productiva est, per quam transit talis res, quæ producitur, de non esse, tanquam ad terminum ad *quem*, taliter quòd si non connotaret ipsum rei non esse, non esset primò productiva. Actio verò conservativa essentialiter connotat esse rei, quæ conservatur jam per actionem productivam habituum, nam conservatio rei supponit esse ejusdem rei: Ergo essentialiter una actio non est alia. Patet, quia illa actio, quæ essentialiter connotat non esse rei, nequit esse illa, quæ essentialiter esse rei connotat; sed actio primò productiva essentialiter connotat non esse rei, quæ producitur, & actio conservativa essentialiter connotat, & supponit esse rei, quæ conservatur: Ergo essentialiter una non est altera.

1134. Respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam, & ad ejus probationem concedo antecedens, & nego consequentiam. Ad secundam confirmationem distinguo majorem: illa actio, quæ essentialiter connotat non esse rei, nequit esse eadem actio, ac illa, quæ connotat esse rei quoad connotationem, concedo: quoad illud, quod dicit actio in se, nego. Nam licèt primò productiva supponat non esse rei, quæ producitur, & prout conservativa supponat esse rei, quam conservat, cùm tamen terminus ad quem unius, & alterius sit idem, eadem est similiter actio, quia actio non à termino à *quo*, quem connotat, sed à termino ad *quem* terminatur, sumit specificationem; & sicut res, quæ in instanti *A* producitur, in primo sui esse illud connotat, & in secundo instanti connotat instans *B*: & in tertio C, & nihilominùs eadem res indistincta est, etiamsi instantia, quæ connotant, sint diversa, ita licèt una actio primò productiva videlicet connotet non esse, & secunda connotet esse; & esse, & non esse essentialiter distinguantur, tamen actio eadem est, & si aliqua est distinctio, est distinctio eorum, quæ connotantur, non autem actionis. Ita Scotus q. 11. quodlibet. art. 3. num. 19.

1135. Secundò arguitur, actio conservativa non est rei productiva, actio verò, qua res primò producitur, pro-

ductiva essentialiter est, sed actio productiva, & non productiva essentialiter distinguuntur: Ergo &c. Respondeo negando majorem: nam actio conservativa productiva est, si non primò, secundò saltem, & per æquivalentiam; taliter quòd si jam per illam ut primò productivam res non esset producta, ab illa produceretur; ex quo &c.

ARTICULUS SECUNDUS,

Utrùm tanta virtus requiratur ad conservandum, quanta ad primò producendum?

1136. Quærimus impræsentiarùm, utrùm tanta virtus, & conatus requiratur ex parte causæ ad conservandum effectum, quando contingit videlicet quod ab eadem causa primò producatur effectus, & conservetur, ac requiritur in ejus prima productione? A qua difficultate faciliter me expediam hac unica conclusione: proportionaliter loquendo, quando cætera formaliter sunt paria, eadem virtus influxus, sive conatus requiritur ex parte causæ ad conservandum effectum, ac ad primò producendum. Probatur ex dictis num. 1131. eademmet actio est rei productiva, & conservativa: Ergo idem requiritur influxus, & conatus ad primò producendum, ac ad conservandum. Secundò probatur: quia ad eundem terminum eadem requiritur actio, & idem ex parte causæ conatus; sed terminus actionis primò productivæ, & conservativæ idemmet est: Ergo &c. Rursus: actio conservativa talis naturæ est, quòd si res, quæ conservatur, non esset producta per illam produceretur: Ergo eadem virtus requiritur ad producendum, ac ad conservandum.

1137. Dixi consultò, si cætera sint paria, & proportione servata, quia evidens est, quòd si in ligno v. g. sit humiditas ut quatuor, quod requiritur saltèm siccitas ut quatuor ex parte agentis, vel major ad hoc quòd possit illam vincere humiditatem, & illa victa, & superata potest agens illam formam ligni expellere, sive corrumpere, & introducere aliam, ad quam conservandam, cùm subjectum jam nullum habeat contrarium, cum quò pugnet, non requiritur ex parte agentis tanta virtus ad illam formam conservandam, quàm contraria non impugnare, ac requisita fuit ad vincenda contraria, & illam introducendam; quod patet de auro, sive ferro, in quo difficilius introducitur forma, sive figura imaginis, quàm destruitur, si semel sit introducta propter majorem resistentiam, quam præbet tale metallum ad talis figuræ receptionem. Item in ponderis elevatione, quòd quia agens non bene applicatur difficilius elevatur, quàm jam elevatum sustinetur. Argumenta, quæ contra hanc conclusionem possunt objici, facilè solventur attendendo semper, quòd ex aliquo capite datur disquiparantia, quando plus requiritur ad conservandum, quàm ad producendum, vel è contra, quia omnium exempla non possumus adducere. Et dicta pro hac distinctione, & quæstione sint satis, ut ad alia transeamus.

DISTIN-

DISTINCTIO QUINTA,

De causa finali, & de aliis ad ipsam exspectantibus.

QUamquàm ex à nobis dictis dist. 2. de causis ut sic num. 794. & 803. causa finalis sit prior aliis causis tam in essendo, quàm in operando, nec non & in perfectione, nihilominùs ultimum obtinet locum ob majorem difficultatem quam sibi vindicat, quia ut ait Philosophus semper à facilioribus est incipiendum, ut postea difficiliora intelligamus.

QUÆSTIO OCTAVA,

Quid, & quotuplex causa finalis sit?

SUpponimus impræsentiarùm dari causam finalem ex Philosopho, & communi Patrum sententia, & sic quæstione an sit? omissa, quærimus, quid sit, & quotuplex?

ARTICULUS PRIMUS,

Quid sit causa finalis ostenditur, & quotuplex sit demonstratur?

1138. CAusa finalis sic à *Philosopho 2. Physic. text. 29. & 5. Metaph. summæ unitæ, cap. 2. text. & comm. 2. finis est, cujus gratia aliquid fit.* Hoc est finis illud, quod amamus, & desideramus primò, & per se, & quia ipsum amamus, propter ejus amorem aliqua alia facimus, ut v. g. infirmus amat, & desiderat sibi salutem, tanquam finem, & ex amore salutis assumit potionem amaram, & facit alia, quæ ad salutis consequutionem ordinantur. Hæc definitio communiter ab omnibus amplectitur, & præcipuè à *Scoto* supra textum ex *Philosopho cit. & in* 2. dist. 6. q. unica. num. 7. in fine & in hoc 2. q. 9. & alibi.

1139. Supposita finis definitione dividitur finis in finem cujus, & in finem cui. Ita *Scotus in 2. cit. & 12. Metaph.* in textus expositione summa 2. cap. 2. v. removet. num. 39. finis cujus est illud, cujus gratia, sive propter cujus consequutionem applicantur, & eliguntur media, ut sanitas in supra allato exemplo, propter quam consequendam infirmus sumit potionem amaram, dat locum effusionis sanguinis &c. finis cui est ille, cui finem cujus, vel qui desideramus, ut infirmus ipse, cui desideramus salutem, quia ipsum amamus, ita ut finis cujus, vel qui sit ipsum bonum, quod appetimus; at finis cui est ille, cui tale bonum desideramus, ut ego desidero Episcopatum Petro, Episcopatus est finis cujus, vel qui, & Petrus finis cui Episcopatum desidero.

1140. Rursùs finis dividitur in objectivum, & formalem: finis objectivus est ipsa res, quæ tanquàm objectum desideratur, ut est Deus, qui noster finis objectivus est. Finis formalis est actus, quo talem finem objectivum consequimur, sive obtinemus, qui etiam solet appellari finis quo, quod patet exemplo: nostra beatitudo objectiva Deus est, qui est objectum, sive finis, quem desideramus; beatitudo verò formalis est, quæ est actus, sive intellectus, sive voluntatis pro diversitate opinantium, medio quo tenemus, sive apprehendimus Deum, est finis formalis, sive finis quo. Quod autem finis formalis, sive finis quo habet vere rationem finis, & cau-

causæ finalis inde patet, quia habet in se rationem boni potentis allicere, & movere voluntatem ad sui amorem, nam ex desiderio videndi, sive amandi Deum, bene movetur, & excitatur voluntas ad aliqua cruciamenta, sive labores aliquos sustinendos.

1141. Sed dubitabis: supposito quòd finis dividatur in finem cujus, & finem cui, in quorum ex istis verius ratio finis inveniatur? Respondeo, quòd in utroque tota ratio, & integra finis reperitur; & ratio est, quia uterque habet sufficientem rationem boni, ut alliciat, & moveat voluntatem ad sui amorem, & ad alia facienda propter sui consequutionem. Quòd si ulteriùs inquiras, utrùm unus sit altero nobilior? Respondeo, quòd si finis *cujus*, vel *qui* sit ratio quasi deserviens ad finem *cui*, ut est salus, quæ deservit ad esse naturale infirmi, tunc finis *cujus*, vel *qui*, sive salus ipsa minoris perfectionis est, ac finis *cui*, ita ut magis ametur finis *cui*, qui est infirmus, cui salutem desideramus, quàm ipsam salutem, quæ est finis *cujus*; at verò si finis *cujus*, sive *qui*, sit quid non deserviens, sed quid altioris ordinis, & elevativum ad sphæram superiorem finis *cui*, tunc finis *cujus*, vel *qui* nobilior est; hujus modi est Deus optimus maximus, qui ex eo à nobis desideratur, non quia nobis deservit, sed quia habet in se omnem rationem boni, in quo ultimò potest noster satiari appetitus, tam in ordine naturæ, quam in ordine supernaturali gratiæ.

1142. Insuper dividitur finis in finem operis facti, finem operantis, & finem operationis; finis operis facti est illud, ad quod opus factum ordinatur, ut v.g. domus, quæ est opus factum, habitatio quia ad habitudinem facta, & operata fuit domus; unde ipsa habitatio domus dicitur finis operis, id est ædificii facti: finis operantis est illud, ad quod operans pro suo libito potest intendere ex sua operatione, ut occidens, qui aliquando pro vindicta sumenda occidit, aliquando pro ferenda pecunia, & qui ambulat, ut videatur, vel ut habet occasionem ingrediendi domum ad luxuriandum.

1143. Ulteriùs dividitur finis in ultimum, & non ultimum: finis ultimus, & hoc sive ex natura rei, sive ex intentione operantis. Finis ultimus ex natura rei est ille, ad quem omnia ordinantur, ipse vero ad nullum, & hujus modi finis, solus Deus est, ad quem tanquàm ad ultimum finem cætera omnia immò & finis omnis ordinatur. Finis ultimus ex natura rei dividitur ulteriùs in finem in determinato ordine, & in finem supra omnem ordinem: finis supra omnem ordinem est Deus, qui finis finium denominatur: finis ultimus in determinato ordine, ut homo, qui hujus fabricæ mundalis finis existit; ut Psalmista ait: *omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Finis verò non ultimus ex ultimi negatione dignoscitur. Finis ultimus non ex natura rei, sed ex intentione operantis, ut v. g. infirmus salutem desiderat, ut possit Deo vacare, sive operam liberis dare, in quo ipsum Deo vacare, vel dare operam liberis est finis ex voluntate operantis, ob quem salutem

lutem desiderat, & ipsa salus est finis non ultimus, quia ad ulteriorem finem ordinatur. Qui plures divisiones finis desideraverit, consulat *Scotum* in 4. dist. 6. q. 5. & alios authores.

ARTICULUS SECUNDUS,

Per quid constituatur causa finalis in actu primo potens causare, & in qua ejus causalitas constituenda sit?

1144. Circa præsentem difficultatem plures versantur sententiæ, quarum prima affirmat, quòd virtus penès quam finis, sive causa finalis constituitur in actu primo potens finalizare, sive causare, est quædam ratio communis ad bonum, & malum, quia sicut bonitas potest movere agens ad agendum, ita & malum, cùm tam bonum, quàm malum rationem finis possit sortiri, & sic quandam superiorem rationem ad bonum, & malum esse rationem constitutivam finis ut sic in esse potentis causare. Ita Carmelitani, Nominales, & eorum Princeps Ochamus in 3. dist. 13. dub. 3. pro qua solet etiam Scotus noster citari.

1145. Secunda sententia affirmat, quòd bonitas objectiva est ratio formalis causativa finis, nam cùm finis sit, *cujus gratia aliquid fit*, ut diximus num. 1138. necesse est, quòd finis habeat rationem amabilis, sive quod idem est rationem bonitatis ad hoc quod propter ejus amorem fiant cætera, quæ ad finem ordinantur; in hac tamen sententia adhuc ipsi, qui illam sequuntur, dissentiunt, nam aliqui affirmant, quòd si finis est realis ipsa bonitas realis, & intrinseca finis est ratio causativa ejusdem finis, si finis autem non est realis, sed imaginatus, sive apparens cognitio talis bonitatis apparentis intrat rationem formalem causativam finis. Alii è contra affirmant, quòd sive finis sit realis, sive intentionalis, verus, sive fictus, semper debet finis cognosci ad hoc ut in actu primo sit potens movere, sive finalizare, taliter quòd ex bonitare finis, & ejus cognitione quoad integratur, & efficitur adæquata ratio causativa finis. Hanc patrocinantur sententiam Avicenna 7. Metaph. cap. 5. Medina prima secundæ q. 1. art. 1. Gabriel, Henricus, & alii.

1146. Sit tamen nostra prima conclusio negativa: cognitio finis non intrat rationem formalem finis causativam, sed solum est conditio, ad hoc quod finis finalizet, sive causet. Ita *Scotus expreßè in* 1. *dist.* 2. *q.* 4. *& in* 2. *dist.* 2. *quæst. unica*, & sæpissimè in ejus invenitur doctrina, quam jam hac nostra tempestate paucissimi sunt, qui non sequuntur. Pro qua suppono, quòd finis non aliter causat, nisi movendo, sive excitando voluntatem ad sui amorem, ratione cujus cætera, quæ ad ipsum ordinantur, amantur, & cùm voluntas sit potentia cœca non potest amare, nisi percipiens cognoscat objectum amandum, quia nihil volitum, quin præcognitum.

1147. Probatur: si cognitio esset ratio formalis sub qua finis moveret: Ergo variata cognitione variantur actus vo-

luntatis, qui sunt finis effectus; patet, quia variata specificè causa variatur effectus; sed variata specificè cognitione non variatur actus voluntatis; signum ergo est, quòd cognitio non intrat rationem formalem causativam finis. Minor probatur: quia actus charitatis in via, & in patria ejusdem sunt infimæ speciei; sed ad actum charitatis in via necessariò prærequiritur cognitio per fidem de Deo, & ad actum charitatis in patria cognitio, quæ Dei clara visio nuncupatur, qui actus ut ex se patet alterius, & alterius sunt speciei: Ergo cognitio non intrat rationem formalem causativam finis. Patet, quia illa non est ratio formalis causativa causæ, qua variata non variatur effectus; sed sic se habet cognitio respectu finis: Ergo &c. Et roboratur: quia actus, sive cognitio intuitiva, & abstractiva sunt alterius speciei, & tamen amor ex cognitione intuitiva idemmet amor est: Ergo cognitio non est causa amoris, sive ratio causandi in fine.

1148. Sit secunda conclusio affirmativa: ratio formalis causativa in fine, sive virtus penès quam est finis potens finalizare est bonitas objecti prout abstrahit à vera, & reali, & à bonitate intentionali apparenti, sive non apparenti. Ita Scotus ubi supra, estque in his tempestatibus maximè recepta sententia: probatur: illa est ratio præcisa causativa finis, secundùm quam est finis in actu primo potens allicere, & movere voluntatem ad sui assequutionem; sed bonitas objectiva prout abstrahit à vera, & apparenti sic se habet: Ergo bonitas objectiva in illa communi ratione sumpta est ratio formalis causativa finis. Major est certa, & minor probatur: illa est ratio movendi voluntatem in fine, quæ amatur ab ipsa voluntate, & qua consequuta voluntas quiescit, & gaudet in sui finis possessione; sed finis amatur à voluntate secundùm rationem bonitatis, quæ est in ipso fine, & non secundùm finis cognitionem, & assequuta bonitate objectiva finis voluntas gaudet, & conquiescit, & assequuta finis cognitione non gaudet: patet; quia nullus gaudet, & quiescit, quia habet cognitionem boni, sed quia ipsum bonum possidet, & assequitur: Ergo bonitas objectiva est ratio se sola causandi in fine. Et roboratur: quia qui salutem desiderat, non quiescit, nec congaudet per possessionem cognitionis sanitatis, sed per ipsam sanitatem, quæ est bona sibi, cognitio enim sanitatis non est bona infirmo ad hoc ut specialiter ab illo appetatur ipsa bonitas sanitatis secundùm se: Ergo &c.

1149. Sit tertia conclusio: nec malum ut tale, neque aliquid superius ad bonum, & malum est ratio causandi in fine, sed præcisè ratio boni. Ita Aristoteles expressè 1. Ethic. cap. 2. in principio: *si igitur quispiam rerum agendarum est finis, qui movet nos propter seipsum, cætera autem propter hunc volumus, constat hunc talem finem summum bonum esse*: & in hoc 2. text. 31. *quædam autem causæ sunt, ut finis, bonumque aliorum, id enim cujus gratia cætera fiunt, optimum esse solet, ac finis illorum.* Item Anselmus lib. de concordia liberi arbitrii, & prædestinationis: *nihil voluntas nisi commoditatem, aut rectitudinem vult; & ad has etiam fallitur, putat se referre quod vult:* vult dicere Sanctus, quòd si aliquando homo

mo desperat, & laqueo se suspendit, hoc etiam quod voluntas facit, facit sub aliqua specie boni, vel propter bonum vindictæ, ex eo quòd in se velit vindicari, quod fecit, vel propter bonum libertatis, ex eo quòd velit, si libertate utitur, vel propter aliquam rationem boni, honesti, utilis, vel delectabilis, quam falsò apprehendit in illa suffocatione, & desperatione, quia ut ait Dionysius de divinis nominibus, & est commune Theologorum axioma: *nullus intendens ad malum operatur*. Et Damascenus lib. 2. de fide cap. 22. *voluntas fertur ad agendum in illis rebus, quæ naturæ consentanea sunt*. Et Aristoteles 8. Ethic. cap. 5. text. 21. *nunquam natura videtur molesta fugere, oblectamenta autem sectari*. Et Seneca lib. 4. de beneficiis cap. 17. nemo tantum à naturali discernit, & hominem exuit, ut animi causa malus sit.

1150. Ad secundam partem quæsiti deveniendo, quòd causalitas in actu secundo finis est quædam motio metaphorica, qua allicit, excitat, & movet voluntatem ad sui amorem, v. g, sanitas proponitur infirmo, qua apprehensa per intellectum cognoscit infirmus sanitatem esse bonam sibi, & à bonitate ipsius sanitatis movetur, & excitatur infirmus ad amandam sanitatem, & ejus amore sumit amaram potionem, facitque alia ad assequutionem salutis, quam esse sibi bonam apprehendit. Ita Scotus in 1. dist. 1. q. 4. num. 22. v. vel aliter. ubi ait: *ille enim finis, qui movet necessariò efficiens, puta agens naturale, movet necessariò metaphoricè, quia necessariò amatur, vel appetitur naturaliter*; qui autem movet efficiens contingenter, movet contingenter metaphoricè, hic autem efficiens contingenter efficit, & finis contingenter metaphoricè movetur.

1151. Probatur: finis est cujus gratia cætera fiunt, sive ob cujus amorem movetur agens ad agendum, & applicanda media ad sui assequutionem; sed non aliter potest movere, nisi metaphoricè alliciendo, & quasi invitando voluntatem, ad hoc ut applicet media ad sui assequutionem: Ergo in hac metaphorica allectione, sive motione salvatur causalitas in actu secundo finis. Major est finis definitio, minor probatur: quia sanitas apprehensa v. g. non potest realiter Physicè movere infirmum, cùm ipsa non quid reale existentiale, sed intentionale, & rationis est, & tamen movet ad alia facienda, quæ sunt ad finis assequutionem necessaria: Ergo non realiter, sed metaphoricè movet. Et confirmatur: quia si infirmus interrogetur, quare assumat potionem amaram? Rectè respondebit, quia sanitas, quam esse mihi bonam prænovi, me allicit, & excitat, atque movet ad præparanda media ad sui assequutionem. Rursùs multoties contingit, quòd bonum apparens movet agens ad agendum; sed quod solùm apparens est, & non Physicum, & reale, neque realiter Physicè causare, restat: Ergo quod solùm metaphoricè moveat. Alias probationes omitto apud authores videndas.

Argumenta contra dicta.

1152. PRimo arguitur pro prima sententia supra relata num. 1144. ex *Scoto in 1. dist. 1. q. 1. §. ad argumenta. & q. 4.*

& q. 4. *num.* 22. *& in* 2. *dist.* 43. *q.* 2. & aliis in locis, voluntas potest amare malum sub ratione mali ad aliquid faciendum ex talis mali amore: Ergo ratio finis causativa aliquid prout à bono, & malo abstrahit, potest assignari. Probatur consequentia: illa est potentia essentialiter ab intrinseco libera, quæ à nullo extrinseco potest necessitari; sed voluntas est hujus modi, & objectum quid extrinsecum ipsi: Ergo nequit ab illo necessitari ad eliciendum actum amoris, vel odii, quod ipsa pro suo libito potest istum, vel alterum elicere actum. Et roboratur: quia si voluntas ab objecto posset necessitari, taliter quòd sibi objecto bono proposito non posset pro suo libito illud objectum odisse, non esset plenè ex omni capite libera, siquidem non posset pro suo libito odisse, & amare; hoc non est dicendum: Ergo neque illud ex quo sequitur: Ergo objectum voluntatis, quod est finis, essentialiter est quid abstrahens à bono, & malo, cum circa utrumque possit voluntas versari.

1153. Respondeo, quòd Scotus problematicus defendit istam quæstionem, & magis se inclinat ad oppositam, ut patet in ipso *Scoto* in 3. dist. 27. q. unica. §. quantum ad istum articulum. num. 7. ubi probat Deum sub ratione bonitatis essentialis esse objectum charitatis, ex eo quòd voluntatis objectum sit bonum sub ratione boni, & quod perfectissimum est sub ratione communi boni debet esse objectum charitatis. *Et in* 1. *dist.* 1. *q.* 1. *art.* 2. *& dist.* 3. *q.* 3. *lit. D. & quodlibet.* 14. *art.* 2. Et ibidem Tataretus, Leuchetus, & alii fideles Scotistæ. Ad formam argumenti concedo antecedens, & nego consequentiam, & ad ejus probationem distinguo majorem: illa est potentia libera, quæ à nullo extrinseco potest necessitari quoad exercitium, concedo: quoad specificationem, nego. Pro cujus intelligentia nota, quòd voluntas licèt non possit necessitari quoad exercitium, hoc est, quoad elicere actum necessariò, cùm etiam objecto proposito possit non elicere, potest tamen quoad specificationem necessitari, ita quòd proposito sibi bono, si aliquem actum circa illum elicitura est, talis actus sit amoris, & non odii, ex quo nulla irrogatur injuria voluntati, cùm possit non elicere actum talem amoris: & eadem distinctione ad minorem respondeo, & nego consequentiam.

1154. Ad confirmationem autem argumenti respondeo distinguendo majorem: non maneret adæquatè ex omni capite libera libertate contradictionis, & contrarietatis, concedo: libertate contradictionis præcisè, nego: ex quo &c.

1155. Secundò arguitur pro secunda sententia num. 1145. relata: illa est ratio formalis causandi in fine, qua ablata, sive variata ejus variatur effectus; sed variata cognitione, & eadem bonitate intrinseca finis manente causalitas finis variatur: Ergo cognitio finis, & non ejus objectiva bonitas, est ratio causativa in fine, sive in causa finali. Major est principium, quo nostram probavimus conclusionem num. 1147. minor probatur: quia si aliquis apprehendit cibum tanquam malum, etiamsi in re bonus sit, illum non amat, immò fugit, & multoties ei nocet; & si ex opposito apprehendit cibum esse bonum, etiamsi in re malus sit, voluntas

tas illum amat: Ergo signum evidens est, quòd voluntas non à bonitate objectiva finis, seu objecti, sed à cognitione ejus movetur ad amandum, vel operandum; & idem dico de bonitate apparenti.

1156. Respondeo concedendo majorem, & negando minorem, & ad ejus probationem respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam, vel ipsam distinguendo: ergo voluntas in tali casu non à bonitate objectiva movetur; à bonitate objectiva reali, quæ est in ipso fine, concedo: quod non movetur à bonitate objectiva finis, quam fingit intellectus esse in cibo, nego: quia qui movetur à bonitate cibi, quam falsò judicat cibo inesse, ab illa bonitate falsa, chimerica, & apparenti, quæ objectivè excogitatur in cibo movetur, non à cognitione talis bonitatis, quia licèt cognitio falsa sit causa illius falsæ, & apparentis bonitatis, quam fingit, ibi nulla bonitas est; tamen voluntas non à cognitione movetur, sed ab illa bonitate falsa, quam falsò excogitat ibi.

1157. Tertiò arguitur contra nostram præcipuam conclusionem: malum ut tale nullum claudens in se rationem boni potest appeti, immò de facto appetitur à voluntate: Ergo bonitas non est ratio causativa in fine. Antecedens probatur: damnati, qui in ignibus cruciantur, appetunt non esse, ita quod potius non esse eligerent, quàm esse, & ibi cruciari carnaliter; sed in non esse nulla ratio bonitatis invenitur, immò majus malum est, quod potest excogitari: Ergo &c. Respondeo negando antecedens, & ad ejus probationem nego antecedens: quòd damnati appetant sic non esse, cum non esse majus malum sit, quàm esse, & torqueri, nam ut vulgare Hispanum axioma ait: *Y viva la gallina, y viva con su pepita.* Cum si velis dicere cum Sancto Thoma, quòd appetunt sic non esse, dicito, quòd apprehendunt falsò in sui non esse quamdam rationem boni privativam, qualis est carentia cruciamentorum, & ideo sub ratione boni saltem negativi appetunt sui non esse. Qui plura desideraverit, authores consulat.

ARTICULUS TERTIUS,

Circa quos actus, sive operationes finis suam exerceat causalitatem?

1158. PRO hujus difficultatis intelligentia nota, quòd plures sunt actus, qui versantur ex parte voluntatis circa finem. Primus vocatur amor inefficax, simplex voluntas, sive complacentia simplex, medio quo voluntas tendit in finem absque ordine, sive non curando de ejus assequutione, & talis actus potest versari circa rem impossibilem, quia ex se non petit existentiam finis, qui tali simplici complacentia desideratur. Secundus actus est amor efficax, qui vocatur *intentio*, qui versatur circa objectum apprehensum, ut consequibile per media proportionata, saltem in confuso cognita: & differt iste actus à primo ex parte objecti, quia hic actus semper tendit in rem possibilem cognitam; alter verò non, sed etiam in impossibilem potest tendere, & isti actus præcedunt ex sua natura finis assequutionem.

1159. Secundi ordinis actus sunt, qui tendunt ad finis assequutionem, & qui necessariò supponunt intentionem,

sive voluntatem efficacem consequendi finem, & sunt tres hoc ordine, quo hîc ponuntur. Primus pertinet ad intellectum, & dicitur mediorum *consultatio*, quia per istum actum cogitat intellectus de mediis necessariis ad assequutionem finis intenti, & ex his proponit intellectus voluntati ultima, sive quæ magis judicat proportionata. Secundus actus est voluntatis, qui dicitur *electio*, media qua eligit voluntas utiliora, sive quæ magis sibi placet ex mediis, quæ ab intellectu sibi proposita fuere per *consilium*. Electionem sequitur tertius actus ex parte voluntatis, qui dicitur *usus* exequens, sive executivus, & est actus medio quo voluntas mandat executioni media consultata, & electa ad assequutionem finis, qui actus solet etiam dici imperium, quia imperat alias potentias, vel ipsam voluntatem ad ponenda media in executione, ad hoc quòd finis assequatur.

1160. Tertii ordinis actus sunt illi actus, qui erga finem jam possessum versantur, quorum primus est actus quo finis assequitur, sive possidetur, & vocatur *tentio*, sive possessio; postea sequitur alius actus ex parte voluntatis, qui dicitur fruitio, quem concomitantur gaudium, & lætitia de re possessa, & de his longius in materia de beatitudine. Difficultas præsens quærit an circa omnes istos actus finis suam causalitatem exerceat, vel potius circa unos, & non circa alteros.

1161. Sit ergo nostra conclusio: finis solùm exercet suam causalitatem propriè, & rigorosè circa illos actus, qui tendunt, & respiciunt media, quibus finis est assequendus, & non circa alios. Ita *Scotus in* 1. *dist.* 1. *& q.* 4. *Prologi.* §. *aliter dicitur. num.* 11. ubi ait: *finis non est causa, nisi in quantum amatus, & desideratus movet efficiens ad efficiendum.* Et in 4. dist. 49. q. 8. §. secundo videndum. num. 7. *Deus est causa finalis omnium, & hoc non aliter, nisi sit propter quem amatæ sunt res.*

1162. Probo: finis non est causa nisi in quantum amatus, & desideratus movet efficiens ad efficiendum: Ergo prius est, quòd finis sit amatus, & desideratus, quàm quòd sit causa finalis: Ergo finis non exercet suam causalitatem circa sui amorem, cùm iste essentialiter supponatur ad hoc ut sit causa, ut ait Scotus, sed circa actus, qui respiciunt media, ad quæ mandanda executioni movetur agens, sive executiva potentia ab ipso fine.

1163. Sit secunda conclusio: effectus causæ finalis est idemmet effectus, qui effectivè à causa efficienti provenit. Probatur: quia omnia genera causarum ad eundem concurrunt effectum: Ergo causæ finalis, & efficientis idem est effectus. Quod si dicas, quòd effectus causæ efficientis est realis, & causæ finalis non. Respondeo, quòd effectus causæ finalis realis est, non prout est à fine, quia finis solùm Metaphysicè causat, & sic nullam realitatem tribuit objecto, & sic &c. Aliqua argumenta, quæ contra hanc nostram conclusionem objici possunt, Theologica sunt ad materiam de actibus humanis expectantia, sive ad materiam de beatitudine, & sic illuc relinquo videnda.

ARTI-

ARTICULUS QUARTUS,

Utrùm omni agenti conveniat operari propter finem?

1164. PRO hujus quæsiti enodatione præmitto, quòd agentia sunt in duplici differentia; naturalia, & libera: agens naturale est quod agit necessariò positis conditionibus requisitis ad agendum, ut ignis v. g. qui ligno approximato, & disposito necessariò cremat: soletque sic definiri: agens naturale est quod determinatur ab alio, hoc est, quod coadjuvatur ab alio, & ab illo necessitatur, quia semper tale agens coadjuvatur à passo, quod influit ad formæ eductionem, & ab eodem disposito necessitatur ad agendum, ita ut non possit non agere. Agens liberum est quod agit seipsum determinando supposita cognitione finis, hoc est, quod non ab alio necessitatur, sed à sua libertate determinatur pro libito ad agendum, vel non agendum, etiam positis omnibus requisitis ad agendum.

1165. Agens naturale rursùs est duplex, sive tripliciter dividitur; alia enim sunt agentia, quæ omninò carent intellectu, ut sunt ignis, arbor, aqua, terra, sol, plantæ &c. Alia sunt, quæ carent intellectu, & non sensu, qualia sunt bruta, ut leo, equus, canis, & omne animal irrationale. Alia sunt, quæ gaudent sensu, & intellectu, ut homines; & alia, quæ gaudent intellectu, & carent sensu, ut Angeli, Deus, & anima rationalis separata.

1166. Rursùs est præmittendum, quòd agere propter finem etiam stat tripliciter: Primò agere propter finem idem est ac agere, sive tendere in effectum determinatum, sive in terminum operationis; sed hæc acceptio finis latissima est, & in hac acceptione omnia agentia propter finem operari dicuntur, cùm omnia in actualem operationem, sive effectum tendant; sic lapis tendit propter finem ad centrum, & ignis cremat. Secundò sumitur finis minùs latè, & impropriè pro omni eo quod non solùm terminat operationem agentis, sive actionem, sed etiam movet agens ad agendum, sive ad hoc quod ipsum appetat media cognitione sui rationali, vel sensitiva, & in hac acceptione quæcumque agentia cognoscitiva, vel sensitiva, vel intellectiva dicuntur agere propter finem, & talis finis saltem materialiter participat rationem causæ finalis; hujus modi se habet cibus respectu bruti, qui ipsum allicit, & excitat, ut ipsum assequi intendat, & ubi periculum imminet, sive præcipitium, ipsum malum præcipitii per sensum apprehensum excitat brutum ad fugam. Tertiò sumitur finis pro illo objecto, quod movet voluntatem operantis, supposita cognitione de ejus bonitate, tanquàm quid bonum consequibile per media, & ut tale cognoscitur, & tale objectum induit verè rationem causæ finalis, & agens, quod hoc agendo amore finis operatur, propriè, & rigorosè dicitur propter finem agere.

1167. Dico primam conclusionem: agentia, quæ carent cognitione intellectiva, & sensitiva agere dicuntur propter finem, sive in prima acceptione accepto. Probatur: quia omne agens naturale habet determinatam inclinationem ad aliquos effectus, sive ad aliquos terminos, in qui-

bus ultimò quiescunt tanquàm in fine: Ergo agunt propter finem in prima illa acceptione. Antecedens patet, quia grave naturaliter inclinatur ad centrum, & ipso assequuto quiescit, & leve ad sursum inclinatur, & ignis habet propensionem ad alium ignem producendum: Ergo determinatè inclinatur ad talem determinatum effectum, tanquam effectum: Ergo &c.

1168. Dico secundam conclusionem: agentia naturalia, quæ gaudent cognitione sensitiva magis dicuntur agere propter finem secundo modo explicatum. Probatur; quia bruta sensitiva operatione percipiunt aliquam bonitatem in una herba, quam non percipiunt in alia, ratione cujus potius ad hanc, quàm ad illam inclinantur, percipiuntque bona delectabilia, à qua bonitate delectabili attrahuntur: Ergo &c.

1169. Dico tertiam conclusionem: propriissimè, & rigorosè solùm agentia intellectualia rationalia, ut homines, Angeli, & Deus dicuntur propter finem operari. Probo: quia solùm illud agens dicitur propriè, & rigorosè agere propter finem, quod cognita bonitate finis, & ab illa allectum, & excitatum consulit de mediis, & ad illa applicanda movetur ad sui finis assequutionem; sed hujus modi solùm sunt agentia intellectualia, rationalia: Ergo &c. Circa hanc difficultatem ferè nulla est controversia, & si aliqua est, illam apud authores videndam omittimus; & dicta pro hac distinctione de causa finali sint satis.

DISTINCTIO SEXTA;

De causa exemplari.

QUÆSTIO UNICA,

Quid & quotuplex sit causa exemplaris?

ARTICULUS PRIMUS,

Ubi ad quæsitum fit satis.

1170. Supponimus impræsentiarùm dari causam exemplarem ex communi Patrum, & expositorum consensu, cui hæc communiter definitio adaptatur: *exemplar est illud, à quo dirigitur agens intellectuale ad opus artificiosum faciendum*, ut v. g. descriptio Magistri, quæ communiter traditur parvulis, ut ejus litteras inspiciendo alias similes efforment, & similiter quando artifex vult ædificare domum, priùs ipsam intùs intra intellectum efformat, & ad similitudinem simulacri, sive idoli, quod habet in mente, illam extra efformat.

1171. Dividitur exemplar in formale, & objectivum: exemplar formale est actus intellectus, quo repræsentatur objectivum imitabile. Exemplar objectivum est illud objectum cognitum, ad cujus similitudinem res efformanda est; ut v. g. quando pictor vult depingere imaginem, prius intra intellectum format quoddam idolum, & simulacrum, à quo in talis imaginis delineatione dirigitur, quod idolum exemplar objectivum vocatur; actus verò, quo tale idolum cognoscitur, dicitur exemplar formale.

1172. Solet hîc dubitari, utrùm exemplari formali an potius objectivo esse propriè

priè

priè causam exemplarem conveniat? Thomistæ communiter affirmant cum suo Angelico præceptore, quòd exemplar formale est, cui propriè adaptatur munus causæ exemplaris: sit tamen nostra conclusio ex *Scoto in 1. dist. 35. q. unica. §. ad ista*: exemplari objectivo, & non formali convenit propriissimè esse exemplar. Probatur: illa propriè est causa exemplaris, à qua dirigitur artifex in suo opere artificioso; sed ab exemplari objectivo, & non formali dirigitur artifex in suo opere artificioso construendo: Ergo. Minor probatur; quia quando pictor v. g. vult depingere imaginem, illam depingit ad instar sui exemplaris objectivi, quod in mente formavit, & non ad instar actus intellectus, quo illud idolum intellectuale cognoscit: Ergo &c. Et confirmatur: quia illud est exemplar, ad quod opus exemplatum assimilatur, sed opus exemplatum assimilatur exemplari objectivo, & non actui formali, quo cognoscitur: Ergo &c.

1173. Probatur secundò conclusio authoritate Divi Augustini lib. 12. de civitate Dei, cap. 2. ubi ait: *exemplar est forma, quam effectus imitatur ex intentione agentis determinantis sibi finem*; sed forma ad quam effectus assimilatur ex intentione agentis, quod talem assimilationem attendit tanquàm finem est exemplar objectivum, & non formale, induit propriè & rigorosè munus causæ exemplaris. Probatur minor: quia si pictorem interrogemus, cui primò, & per se intendit assimilare imaginem nostri stigmatizati parentis, an actui intellectus, quo Patrem nostrum Seraphicum cognoscit, vel potius ejus objectivo exemplari, quod habet in mente? Rectè respondebit, quòd illi exemplari, in quo stigmata verè reperiuntur, sed in Patre nostro Francisco objectivè concepto, & non in actu illum cognoscente stigmata verè reperiuntur: Ergo exemplar objectivum est verè causa exemplaris, cui ex intentione agentis verè assimilatur effectus.

Argumenta contra dicta.

1174. PRimo arguitur: exemplar divinum est idea, quæ ut ait Augustinus lib. 83. quæstionum quæst. 46. *est ratio æterna in mente divina, secundùm quam aliquid est fabricabile ad extra, ut secundùm propriam rationem ejus*; sed hujus modi idea est quid divinum indistinctum ab actu intellectus divini: Ergo idea, sive exemplar creatum debet esse aliquid indistinctum ab intellectione. Minor patet ex ipso Augustino ibidem dicente: *siquidem in ideis tanta vis constituitur, ut nisi eis intellectis sapiens esse nemo posit*. Et ibidem: *istarum visione fit anima beatissima*. Et lib. 11. de civitate Dei cap. 29. idea creaturarum in Deo vivere vitâ ipsius Dei, sed nihil vivit vita Dei, nisi ipse Deus, neque fit anima beatissima, nisi visione divina, & omnium perfectionum essentialium: Ergo idea in mente divina quid indistinctum ab ipsa mente divina est; sed non aliud ab intellectione divina: Ergo &c. Consequentia probatur: quia sicut se habet exemplar in mente divina ad exemplatum ad extra, ita exemplar artificis creati ad opus artificiatum ad extra; sed

ſed idea, ſive exemplar in mente divina eſt quid indiſtinctum ab actu divinæ intellectionis: Ergo idea, ſive exemplar in mente artificis creati eſt aliquid indiſtinctum ab intellectione: Ergo &c.

1175. Reſpondeo admittendo primam authoritatem Auguſtini, quæ potiùs eſt pro nobis, quàm contra nos. Ad ſecundam explicando dico, quòd ſi artifex divinus non præneſceret ideas, non eſſet ſapiens infinitum extenſivè ſapiens, licèt eſſet intenſivè, quia nulla perfectio intenſiva, ſed ſolùm extenſiva accreſcit intellectui, & ſapientiæ divinæ idearum cognitio. Ad tertiam eodem modo reſpondeo, quòd idearum viſione fit anima beatiſſima extenſivè, non verò intenſivè, quia etiamſi illas anima non videret intenſivè, eſſet perfectiſſimè beata juxta illud, quod ipſe Doctor Sanctus ait 5. confeſſionum: *Beatus eſt qui te, & illa novit, ſed non propter illa beatior, niſi ſolùm extenſivè.* Ad quartam authoritatem reſpondeo, quòd idea nihil aliud eſt in mente divina, quàm quoddam idolum, & ſimulacrum creaturarum, quæ ad ejus exemplar ad extra producendæ ſunt, quæ creaturæ in eſſe cognito, ſive objectivo vocantur. Quod ſi dicitur, quòd vivunt vita ipſius Dei, debet intelligi radicaliter tanquàm in cauſa, non formaliter in ſe, ex quo nihil contra nos. Ad rationem argumenti reſpondeo concedendo majorem, & negando minorem: nam eodem prorſus modo exemplar in mente divina eſt quid diſtinctum ab actu intellectus divini, ſicut exemplar creatum eſt aliquid exiſtens in mente artificis creati diſtinctum ab ejus actu; ex quo &c.

1176. Sed contra dices: exemplar in mente divina eſt aliquid creatum: Ergo creatura; ſed Deus eſſentialiter dependet ab ideis in creaturarum mirabili opificio: Ergo pendet eſſentialiter à creaturis: ſed Deum pendere à creaturis ſonat imperfectionem maximam in Deo: Ergo &c. Reſpondeo concedendo antecedens, & primam conſequentiam, & diſtinguendo minorem: Deus eſſentialiter pendet ab ideis tanquàm ab aliquo, à quo accipit aliquam perfectionem intenſivam, & infinitam, nego: tanquàm à termino ſecundario, ſive divinæ intellectionis, concedo: Ergo pendet à creaturis, tanquàm à termino primario, nego: tanquàm à termino ſecundario, concedo: & nullum eſt inconveniens, quòd ſicut actio v. g. divina creaturæ pendeat à creatura, quæ creatur ex vi talis actionis, ſic cognitio divina pendeat tanquàm à termino ſecundario à creaturis, quæ accipiunt eſſe ex vi talis cognitionis; præterquàm quòd iſta non eſt dependentia, ſed coexigentia, & ex hoc nulla Deo irrogatur injuria, immò magis ſuperexaltatur ejus infinita perfectio; quod patet manifeſtiſſima inſtantia: relatio namque Domini terminatur ad ſervum, & ab illo dependet taliter, quod ſi non eſſet ſervus, non eſſet Dominus formaliter, & tamen nulla Domino irrogatur injuria, ex eo quòd à ſervo dependeat in ratione Dominii. Idem dicito in noſtro caſu. Alias rationes omitto ad Theologiam Sacram, in materia de ſcientia Dei videndas.

ARTICULUS SECUNDUS,

Ad quod genus causæ causa exemplaris reducatur.

1177. CUM ex dictis in his nostris commentariis distinct. 2. de causis q. 1. art. 2. num. 763. causa sufficienter dividatur in materialem, formalem, efficientem, & finalem, ita ut nulla alia causa sit, quæ sub aliqua istorum generum non contineatur, vel ad aliquam ex his reducatur, & causa exemplaris, ut ex dictis patet, nulla sit propriè, & formaliter ex assignatis, meritò inquirimus modò, ad quodnam genus causæ ex enumeratis reducatur.

1178. Pro cujus intelligentia nota, quòd sicut num. 1172. hujus distinctionis diximus, quòd exemplar est quoddam idolum, & simulacrum intentionale, quod formatur in mente artificis, quod esse cognitum nominamus num. 1171. evidens est, quòd causa exemplaris est, & non realis, quia simulacrum v. g. quod habet pictor in mente, à quo dirigitur in delineatione imaginis, non influit Physicè, & realiter in ipsam delineationem, sive picturam, sed solùm metaphoricè. Insuper nota, quod ut exemplaris definitione constat num. 1175. exemplar propriè non datur nisi in agente per intellectum artificiali, & solùm deservit ad opus artificiosum, licèt in Deo ad creaturarum omnium formationem deserviat, ex eo quòd tanta virtus est in ipso, ut possit res naturales efformare, secundùm exemplar, quod in mente habet, quod in nullo alio agente reperitur, cùm artifex per artem, ut constat ex dictis num. 750. distinctionis primæ hujus non valet efficere, nisi formas artificiales, & minimè naturales.

1179. Tertiò præmitto, quòd licèt causa exemplaris, sive exemplar sit metaphoricè causa, tamen non est mera conditio ad opus artificiosum exemplatum, sed causa per se verè, & propriè, licèt metaphoricè causet, quia artifex per exemplar constituitur in ratione causæ artificialis propriè & formaliter, prout condistinguitur à causa naturali, cujus effectus non opus artificiosum, sed quid naturale est. Et probatur: quia effectus causæ exemplaris ex vi actionis artificiosæ evadit similis suo exemplari: Ergo exemplar non conditio sine qua non, sed est verè, & propriè causa. Patet consequentia; quia illa est verè, & propriè causa, quæ ex vi suæ actionis assimilat sibi effectum; sed effectus causæ exemplaris, opus videlicèt artificiosum, evadit similis ex vi actionis artificiosæ exemplari: Ergo exemplar non conditio, sed verè, & propriè causa est, quia nunquàm effectus assimilatur conditioni, sed causæ ut talis.

1180. Circa hanc difficultatem prima sententia affirmat, quòd exemplar reducitur ad genus causæ formalis, ex eo quòd exemplar quædam forma intentionalis sit. Hanc patrocinantur sententiam Divus Thomas de veritate q. 3. art. 1. Durandus in 1. dist. 45. q. 4. Conimbricenses in hoc 2. cap. 7. q. 4. art. 2. & alii tam ex Thomistis, quam ex Jesuitis.

1181. Secunda sententia, quæ verior, & à nobis sequenda est, affirmat, quòd causa exemplaris reducitur ad genus causæ efficientis, & non ad aliud. Ita noster Doctor

ctor subtilis in 1. dist. 36. q. 1. §. contra ista num. 9. ubi ait: *non videtur probabile, quòd tribuatur alius effectus causæ exemplari, & alius efficienti, quia exemplaris non est, nisi quoddam efficiens; efficiens enim dividitur in efficiens per intellectum, sive propositum, & efficiens per naturam.* Ex Philosopho 1. Physic. text. 49. *sicut igitur naturaliter producens non est alia causa ab efficienti, ita neque exemplaris, neque exemplariter producens &c.*

1182. Probatur ratione ex verbis Scoti: sicut agens naturale constituitur agens, sive efficiens sua forma naturali, ita agens exemplariter, sive exemplar constituitur sua forma exemplari: Ergo sicut agens naturale media illa forma naturali effectivè influit in effectum, sic agens exemplariter media forma exemplari influit in exemplatum, sive effectum. Et confirmatur: illud est principium activum agendi in aliqua causa, in quo producens, & productum assimilantur, sed domus ad extra ab artifice constructa assimilatur artifici ad intra domus, sive in ejus exemplari quod habet in mente: Ergo exemplar domus, quod est in mente artificis est principium agendi activè exemplariter ipsam domum: Ergo &c.

1183. Probatur secundo: agens intellectuale, quod ex se insufficiens est ad opus artificiosum efficiendum completur ultimò, & efficitur proximè potens conferre opus artificiosum ab exemplari, quod habet in mente: Ergo causa exemplaris, quæ est in mente artificis, ad idem genus causæ expectat, ac pertinet, sive exemplans ipsum intellectuale efficiens; sed efficiens intellectuale ad genus causæ efficientis expectat: Ergo forma exemplaris, à qua ultimo completur virtus agentis intellectualis artificiosi, ad idem genus causæ debet expectare. Antecedens est certum, consequentia probatur: quod se habet, tanquam complementum, & ultimò determinativum virtutis alicujus causæ, ad idem genus causæ debet reduci, sed exemplar est completivum, & ultimò determinativum agentis intellectualis: Ergo ad genus agentis, sive efficientis debet reduci. Major probatur: quod se habet tanquàm determinativum, & completivum substantiæ debet reduci ad genus substantiæ: Ergo quod se habet tanquàm determinativum, & completivum efficientis, debet reduci ad genus efficientis; sic se habet exemplar: Ergo &c.

1184. Sed contra: exemplar, ut ex ejus definitione constat, & forma: Ergo in genere formæ concurrit ad suum exemplatum effectum. Probo consequentiam: in eo ordine, & linea, qua est causa, debet causare; sed exemplar est causa, quæ per esse formam definitur ex Augustino citato: Ergo in genere formæ debet causare: Ergo ad genus causæ formalis, , & non efficientis debet reduci. Respondeo distinguendo antecedens: exemplar est forma respectu mentis artificis, quam informat, concedo: respectu operis artificiosi exemplati, nego. Quia exemplar, quod est in mente artificis, non informat opus, quod ab ipso artifice fabricatur ad extra, sed ipsam mentem artificis constituendo illam potentem in tale opus artificiosum, ad quod effectivè concurrit, sicut & ipse artifex; sicut forma ignis

ignis non est forma informans materiam, & efficiens respectu alterius ignis, qui ab illa producitur.

1185. Secundò arguitur: exemplar solùm concurrit ad opus artificiosum dirigendo artificium, tanquam quid passivè imitabile; sed dirigere ut quid passivè imitabile non est efficere: Ergo exemplar non ad genus efficientis, sed ad aliud debet reduci. Major probatur: eodem prorsùs modo concurrit exemplar ad opus artificiosum, ac concurrit descriptio magistri, quæ traditur parvulo, ut ejus imitetur litteras, sed descriptio Magistri, quæ *Plana* Hispanè nominatur, non influit Physicè in similem descriptionem, sive efformationem litterarum, quæ fit à parvulo; ut ex se patet: Ergo neque concurrit ad opus artificiosum effectivè: Ergo &c.

1186. Respondeo negando majorem: nam exemplar non solùm quid passivè imitabile, sed constituit agens intellectuale in esse potentis ad opus artificiosum. Ad ejus confirmationem respondeo negando majorem: nam descriptio magistri, quæ traditur imitanda parvulo solùm passivè se habet dirigendo parvulum ad similes litteras efformandas; at verò exemplar, quod parvulus habet in mente earumdem litterarum, non ut quid passivè imitabile, sed ut quid effectivè metaphoricè concurrit cum parvulo ad similes litteras efformandas. Quod si supra num. 1170. exemplificavimus in hujus modi descriptione, non hoc fecimus, quia ex omni capite esset similitudo adæquata, sed ad explicandum exemplar, quod est in mente, apposuimus exemplum de illo exemplari, quod ad extra est passivè imitabile, quia ut ait Scotus, *quod ex omni parte simile est, idem est, non exemplum:* ex quo nihil contra nos. Et dicta pro hac sexta distinctione sint satis, ut ad alia transeamus.

DISTINCTIO SEPTIMA,

De causis ut sic inter se comparatis.

PRomisimus in præfatione, sive proœmio hujus 2. lib. in hac septima distinctione agere de causis in communi, facta comparatione inter sese, & cum suis effectibus, sed quia in 2. dist. jam à nobis est actum, quòd hîc contigerit desiderandum venire, faciliter ab hac distinctione me expediam per unicam distinctionem, & articulum, in quo solummodò ventilabimus utrùm causæ sibi invicem possint esse causæ? Ne hîc iterùm repetamus, quæ semel ibi pro nostro captu, & sufficientia disputavimus. Quapropter sit

QUÆSTIO UNICA,

Utrùm causæ possint esse sibi invicem causæ?

QUærit titulus utrùm causæ possint sibi invicem esse causæ? Hoc est supposito quòd quatuor genera causarum generalissima assignentur communiter, quæ necessariò concurrunt ad eundem naturalem effectum; ita ut una causa sine alia non possit causare, ex eo quòd mutuè ad suarum causalitatem coexiguntur, utrùm

utrùm quoad entitatem ipsarum, ita se mutuò coexigant ut finis v. g. sit causa efficientis, & efficiens finalis, & materia formæ, & forma materiæ, taliter quòd una causa ab alia essentialiter quoad entitatem dependeat: quapropter sit

ARTICULUS UNICUS,

Ubi ad quæsitum fit satis.

1187. DICO primam conclusionem: omnimodam involvit contradictionem, quòd causæ se invicem quoad entitatem causent neque in eodem, neque in diverso genere causandi, & hoc de causa totali est intelligendum. Ita *Scotus expressè in* 1. *dist.* 3. *q.* 7. *num.* 27. *& in* 2. *dist.* 2. *q.* 10. *§. ad primum. & dist.* 3. *q.* 8. *& dist.* 25. *q. unica, & in* 1. *dist.* 17. *q.* 3. *num.* 10. *& in Metaphysica lib.* 11. *q.* 14. *num.* 4. & 5. contra Sanctum Thomam, & ejus sequaces. Probatur: omnis causa essentialiter est prior natura suo effectu quoad entitatem causæ, ut patet ex dictis num. 778. distinctionis secundæ hujus; sed implicat contradictionem, quòd idem respectu ejusdem sit prius, & posterius: Ergo implicat contradictionem, quòd illud, quod est causa alterius secundùm entitatem, possit ab illo causari in sua entitate.

1188. Et confirmatur: effectus in sua entitate dependet à causa: Ergo entitas effectus est posterior ex sua natura entitate causæ: Ergo entitas effectus nequit causare entitatem causæ. Probo consequentiam: quod essentialiter est posterius, nequit esse causa sui prioris, entitas effectus essentialiter est posterior entitate causæ: Ergo entitatis effectus nequit esse causa entitatis causæ. Et roboratur: Omnis circulus essentialis ab intrinseco est impossibilis, sed si causa potest causari à suo effectu, daretur circulus essentialis prioris, & posterioris dependentis, & non dependentis: Ergo &c. Probo: quia impossibilis est circulatio, quæ secum affert contradictionem; sed si Petrus produceretur à Paulo, & Paulus rursùs produceretur à Petro, daretur circulatio cum contradictione. Patet; quia Petrus eò quòd à Paulo produceretur, essentialiter esset illo posterior, & ab illo dependens essentialiter: Ergo dependeret, & non dependeret, & esset prior, & non esset prior, quæ omnia manifestam involvunt contradictionem.

1189. Huic nostræ objectioni, seu potiùs evidentiæ solent communiter respondere Thomistæ, quod benè verum est, quòd causa efficiens non potest effectivè causari à suo effectu, quia ut argumentum probat: idem respectu ejusdem esset prius, & posterius in eodem genere efficientis, cæterùm quod non implicat, quòd illud quod est effectus unius causæ in aliquo genere, sit in alio genere causa suæ causæ, quod patet (ajunt ipsi) manifestissima instantia, nam substantia corporea producit ut causa totalis in seipsa quantitatem, qua quantitas in ratione effectus est posterior substantia corporea, à qua producitur, & quatenùs ipsa quantitas producta informat substantiam ipsam, à qua producitur, est ejus causa formalis, & prior illa, & sic distinguunt, idem respectu ejusdem nequit esse prius, & posterius in eodem genere, concedo: in diverso genere causæ, nego.

1190. Sed quis non videat hanc doctrinam

nam ex omni parte claudicare, & potiùs esse evasionem, quàm solutionem, quod si evidenter ostendo, interrogando ab ipsis, utrùm quantitas à substantia producta causet, & det esse entitativum substantiæ, à qua producitur, vel non? Non primum, quia illud, quod accipit esse, & entitatem ab alio, nequit dare esse, & entitatem illi alii. Si non dat esse entitativum, sed esse solùm quantitativum, formale, & secundùm quid, quod est ab ipsa substantia separabile: Ergo semper est standum in hoc, quòd causa, quæ dat esse simpliciter effectui, nequit ab illo effectu accipere esse simpliciter, quod nostra intendit conclusio.

1191. Secundò probatur conclusio: implicat, quòd idem, nec respectu ejusdem, nec respectu alterius sit causatum, & causabile secundùm eandemmet entitatem; sed causa est quid causatum in sua entitate, eò quòd sit quid creatum: Ergo implicat, quòd sit causa secundùm entitatem eandemmet absolutam, quid causabile: Ergo implicat, quòd causa, quæ habet verè esse, & reale extra causas sit ab alio, & maximè à suo effectu causabile secundùm entitatem eandem: Ergo nequit neque in eodem, neque in diverso genere causa à suo effectu causari.

1192. Dico secundam conclusionem: duæ causæ partiales æquivocæ alterius, & alterius speciei possunt esse sibi invicem causæ. Ita Scotus in 1. dist. 17. q. 3. §. ad argumenta, num. 10. ubi ait: *ad primum oportet negare majorem, quia oportet dicere, quòd duo distinctarum specierum possunt esse sibi invicem causæ æquivocæ partiales, licèt non totales:* patet, quia actus est causa partialis habitus, & similiter habitus est causa partialis actus: Ergo possunt sibi invicem esse causæ. Sed nota, quòd licèt habitus sit causa partialis habitus, tamen non est causa partialis ejusdem habitus gradualiter loquendo, à quo fuit genitus, sed est causa ulterioris gradus, qui junctus cum præcedentibus, à quibus fuit genitus, facit majorem intentionem in habitu; sed hujus nostri instituti ultra hic progredi expectat, nam hæc difficultas ad materiam de habitibus, & actibus in sacra Theologia, hanc tamen veritatem tanquàm primum fundamentum accipite, quo fulciti ad argumenta omnia facillimè respondebitis, quòd nulla causa, sive totalis, sive partialis in eodem, sive in diverso genere potest causari in esse entitativo, & essentiali eodem ab effectu, qui ab illa producitur. Et dicta pro hac distinctione sint satis, qui plura desideraverit, authores consulat.

DISTINCTIO OCTAVA

Et ultima in hoc secundo de causis per accidens, videlicet casu, fortuna, & fato.

POstquàm in superioribus egimus de causis per se, restat nunc de causis per accidens, aliqualiter agere, quapropter sit

QUÆSTIO UNICA,

Quid, & quotuplex sit causa per accidens?

ARTICULUS UNICUS,

Ubi ad quæsitum fit satis.

1193. SUpponimus impræsentiarùm cum communi consensu, & modo loquen-

quendi causas dari per accidens. Causa igitur per accidens, ut ex dictis num. 763. dist. 2. patet, sic definitur: causa per accidens est illa, cui non per se, in quantum talis correspondet effectus, & nihilominùs dicitur causa illius, vel propter connexionem, quam habet cum causa per se, vel quia effectus ipsius causæ per accidens conjungitur cum effectu causæ per se, quæ dividitur tanquàm in extrema magis principalia in casum, & fortunam, de quibus hic præcipue est agendum.

1194. Secundò suppono ex Scoto q. 10. hujus secundi §. oppositum sub num. 2. quòd aliquis effectus dicitur casualis, vel fortuitus propter duo, vel quia evenit præter intentionem agentis, vel eò quòd raro, & contingenter natus est evenire; & ideo senectus, mors, cœcitas, & languedo, & hujus modi alia licèt eveniant præter intentionem naturæ, tamen non sunt casualia, & fortuita, eò quòd ut in pluribus, vel necessario nata sunt evenire, cum effectibus intentis à natura. Unde licèt omnis casus, & fortunatus sit per accidens, non tamen omne, quod fit per accidens, est fortunatum, sive à casu.

1195. Tertiò suppono, quòd licèt nullus effectus sit à casu, fortuitus, vel per accidens respectu Dei, qui omnia usque ad minutissimas circumstantias ob certos fines à se præfixos discernit; tamen plures sunt effectus à casu, vel à fortuna respectu creaturarum, quod patet in exemplo apposito à Scoto num. 5. in q. cit. quia si paterfamilias mittat Socratem, & Platonem per diversas vias ad eundem locum, ubi jacebat bos in puteo, & nec Socrates, nec Plato sciat aliquid de bove, nec unus de alio, aut è contra; tunc objectio istorum duorum ad puteum, & extractio bovis è puteo sunt à fortuna respectu Socratis, & Platonis, quia neuter illorum effectuum intendebatur ab aliquo illorum, & tamen illi effectus non sunt fortuiti respectu patrisfamilias, qui intendebat illos effectus.

1196. His suppositis dico ex Scoto in hoc 2. q. 11. quòd *fortuna est causa per accidens extra semper, & frequenter eorum, quæ præter hoc fiunt secundùm propositum.* Quæ definitio est affinis cum illa, quam tradunt communiter ex Philosopho in hoc 2. cap. 5. *fortuna est causa efficiens per accidens ex electione, in his, quæ raro contingunt:* ut fodiens terram v. g. dicitur causa per accidens, & fortunata ex inventione Thesauri, quod non talis terræ fossione intendebat.

1197. Quam definitionem sic explicat Scotus q. 11. num. 6. causa ponitur loco generis, dicitur per accidens ad denotandum, quòd effectus respectu cujus agens dicitur fortuna non sit intentus; ponitur extra semper, & frequenter, ad denotandum, quòd effectus fortuitus raró evenit ex intentione agentis cum effectu intento. Quartò ponitur eorum, quæ præter hoc sunt, ad denotandum, quòd effectus fortuitus sit notabilis bonitatis, vel malitiæ. Quintò ponitur secundùm propositum, ad denotandum, quòd agens, quod denominatur fortuna, agat liberè, & ex inten-

intentione per deliberationem, hoc est, quòd sit agens intellectuale agens ex electione mediorum, & intentione finis effectum, non fortuitum, scilicet illum, cum quo evenit effectus fortuitus inopinatus. Unde Pitigianus in commentario ad q. 11. ait: casus, & fortuna eò dicuntur causæ, quia ad earum per se effectus, sequitur alius ab illis non intentus.

1198. Casus verò est causa per accidens extra semper, & frequenter eorum, quæ fiunt. Unde hanc differentiam inter fortunam, & casum, nota ex *Scoto q. 11. cit. §. & notandum. sub num.* 6. quòd effectus fortuitus semper debet esse notabilis bonitatis, aut malitiæ; unde si effectus est notabilis bonitatis, dicitur bona fortuna; si autem est notabilis malitiæ, dicitur mala fortuna. At verò effectus casualis dicitur, si non sit, neque notabilis malitiæ, neque bonitatis, aut malitiæ, immò nec talis effectus est per se intentus ab aliquo agente propter finem, ut descensio lapidis, qui cadit supra transeuntem, quæ quidem descensio non operatur ex cognitione finis; licèt propriè casus, & fortuna non distinguantur, nisi in hoc quòd sit agens secundùm propositum fortuna, casus verò minimè. Unde ait Scotus, quòd si ista particula *secundùm propositum* removetur à definitione, tunc manet definitio casus.

1199. Ex hoc patet ait *Scotus ibidem §. secundò notandum, num.* 4. exponi illam authoritatem: *ubi maximus intellectus, ibi minima fortuna*, quia fortuna non dicitur, nisi respectu effectus non intenti, modò apud maximum intellectum, scilicet apud sapientem paucissima eveniunt præter intentionem, vel saltem pauciora, quàm apud minus prudentem, cùm plura prævideat, ideo paucissima contingunt sibi à fortuna, eò quòd quasi omnia præmeditatur. Vide *Scotum* q. 21. quodlibet. litt. I. Vbi plurimum de intellectu, ibi minimum de fortuna: *quien todo mira, todo lo pierde, no requiere mirar mucho para ser afortunado.*

1200. Multipliciter igitur sumitur fortuna, primò dicitur uno modo de causa principali remota, ut puta de cœlo, quod pro tanto dicitur fortuna, quia est causa fortuitorum in his inferioribus, & sic accipiendo fortunam, solet fortuna depingi per modum rotæ volubilis. Secundò dicitur fortuna de influentia cœli, & sic definit Albertus ipsam super 7. Ethic. dicens, quòd fortuna est qualitas causata à cœlo secundùm periodum nativitatis, à qua aliquis redditur aptus, vel ineptus ad felices successus. Tertiò dicitur fortuna de causa principali immediata, cujus modi est voluntas, vel intellectus, qui dicitur fortuna respectu effectus non intenti: & fortuna gravis dicitur casus, & sic Aristoteles accipit fortunam, & casum in isto secundo modo, & ideo dicit, quòd casus, & fortuna sunt intellectus, & natura, natura, casus, & fortuna, intellectus.

1201. Explicata jam natura fortunæ, & casus, restat nunc fatum explicare omissis igitur antiquorum Philosophorum erroribus, nota, quòd divina providentia, quæ ex communi Theologorum consensu sic definitur: providentia est ordinatio

 rerum

rerum in ſuos fines per media convenientia in mente divina omnia ab æterno ordinavit, hancque ſuam ordinationem rerum obſervandam, & exequendam tradidit cauſis ſecundis, dominantibus his rebus corruptibilibus, & rectoribus, & gubernatoribus, cujus modi ſunt planetæ, & alia ſidera, quæ vario ſitu, motu, conjunctione, atque aſpectu in hæc inferiora influunt; tradidit autem Deus cauſis ſecundis illam ſuam ordinationem exequendam, non quia ipſe ſolus non poſſet providere, ſuæque providentiæ exequutionem facere, ſed quia voluit in hoc cauſas ſecundas dignificare, illis committendo executionem ſui divini conſilii.

1202. Fatum igitur non eſt aliud, quam illa ordinatio rerum in ſuos fines, ut exequenda, & ſervanda per cauſas cœleſtes. Quo ſuppoſito ſic fatum definitur à noſtro Pitigiano Aretino in ſuis annotationibus ad textum Scoti q. 11. hujus 2. *fatum eſt exequutio divinæ ordinationis corporibus cœleſtibus indita, per quam in inferiora moventur in ſuos præordinatos fines.* Quæ conſonat illi, quam tradit Boethius lib. 4. conſolationum: *Fatum eſt ordo cauſarum naturalium divinam providentiam exequentium, præordinatus, & præſcitus à Deo.* Itaque divina providentia, quatenùs activè diſponens, providentia gubernatrix appellatur, quatenùs exequutio eorum, quæ per divinam providentiam ſunt ordinata, pendet à cauſis ſecundis, quibus illorum tradidit executionem, dicitur fatum. Quòd ſi aliquando Sancti Patres fatum videntur negare, illud negant in eo ſenſu, quo concedebatur ab antiquis, quatenùs ajebant, lædere noſtram libertatem, ita ut omnia neceſſariò evenirent, non verò in ſenſu à nobis explicato. Et dicta pro hoc ſecundo Phyſicorum, quæ pro noſtrarum virium ſufficientia & captu explicavimus, ſint in laudem, & gloriam omnipotentis Dei, ejusque Genitricis abſque labe originalis culpæ conceptæ, Beatiſſimi Blaſii, Seraphici Patris noſtri Franciſci, & omnium Sanctorum. Amen.

LIBER TERTIUS PHYSICORUM.

POſtquàm in primo libro egimus de principiis intrinſecis corporis naturalis, nec non & de ipſo corpore naturali ſubſtantiali, & in ſecundo de ejus cauſis tam intrinſecis, quàm extrinſecis, nec non de natura, arte, & violento; in hoc tertio libro Ariſtotelem, & noſtrum Ducem, Magiſtrum Doctorem ſubtilem ſequentes de proprietatibus intrinſecis accidentalibus corporis naturalis eſt agendum; & cùm inter has primum ſibi vindicet locum motus, prius de motu, nec non & de actio-

actione, & passione agemus. Et cùm motus quædam sit quantitatis species, cui proprium est finitas, & infinitas, secundò de finito, & infinito sermonem instituemus; quapropter librum istum in duas dividam distinctiones, in quarum prima de motu, nec non & de actione, & passione; in secunda verò de infinito, & de aliis ad ipsum expectantibus sermonem instituam.

DISTINCTIO PRIMA

Physicalis, de motu, actione, & passione.

CUM corpus naturale substantiale, quod esse Philosophiæ adæquatum objectum dist. unica procemiali, art. 3. statuimus, esse naturam dixerimus dist. 1. ex 2. art. 4. conclus. 3. num. 737. & naturam esse principium statuerimus ibidem art. 3. num. 699. & infra, prius de motu in ordine ad quem definitur natura, agam, & postea de actione, & passione, quapropter sit

QUÆSTIO PRIMA,

Quid sit motus, & quotuplex?

ARTICULUS PRIMUS,

Ubi definitio motus traditur, & divisio.

1203. SUpponimus impræsentiarùm dari motum in rerum natura, quod ita certum est, ut nulla alia ratione contra Zenonem Philosophum ante Aristotelis tempora ipsum negantem potest demonstrari, quam ambulando, & de uno in alium locum movendo. Qua veritate supposita sic à Philosopho in hoc 3. part. 2. text. 7. definitur: *motus est actus entis in potentia prout in potentia.* Hanc definitionem amplectitur subtilis Doctor in hoc 3. q. 1. in expositione textus Philosophi num. 11. & sequitur commune Philosophorum placitum.

1204. Pro cujus definitionis intelligentia præmitto primò, quòd in mobili, hoc est, in illo, quod subjicitur motui, & ab illo formaliter denominatur, datur duplex potentia passiva subordinata; una ad moveri, seu ad fieri motus; alia, quæ primam sequitur ad terminum motum, sive ad motum esse, sive ad motum in factum esse. Prima potentia actuatur, sive reducitur ad actum, per fieri motum, sive ipsum motum in fieri; secunda per receptionem ipsius termini motus jam facti. Unde licèt per receptionem motus in fieri, sive per hoc quod mobile incipiat moveri, mobile reducatur ad actum, sive moveri dicatur, hoc tamen est secundùm priorem potentiam, non tamen juxta secundam, sed adhuc mobile in potentia existimatur ad terminum motus, sive ad mutatum esse, quo assequuto jam non est in potentia mobile, sed motum in actu.

1205. Secundò præmitto, quòd actus mobilis, sive ipse motus, per quem mobile movetur, est duplex; imperfectus unus, & perfectus alius: actus perfectus est, qui totaliter satiat, complet, & terminat potentiam passivam, sive receptivi, in quo recipitur, ut forma substantialis completa, & calor summus, sive frigiditas in perfecto gradu, quæ nequit rursus compleri; quia taliter completur, & quasi exhauritur tota capacitas receptiva subjecti per tales formas,

mas, ut non ad plus ſubjectum informabile, quàm eſt per tales formas informatum: quod exemplo explicatur de metreta, ſive amphora, quæ non capit aquam, niſi ad tantam menſuram, quæ ſi recipiat totam aquam, quam capere poteſt, non manet in potentia ad ulteriorem aquam recipiendam. Actus, ſive forma imperfecta eſt illa, quæ non totaliter actuat potentiam paſſivam ſuſceptivi, ſed partim actuat, & partim in potentia relinquit ut, v. g. ſi ſubjectum, quod eſt capax caloris ut octo, informetur calore ſolùm ut quatuor, talis forma caloris dicitur imperfecta, quia relinquit ſubjectum in potentia ad ulteriorem formam, ſive gradum accipiendum. Ita Scotus ubi ſupra.

1206. His præjactis ſic præſens definitio per particulas explicatur: prima particula eſt *forma*, & eſt ratio quaſi generica, per quam convenit motus cum omni forma tam ſubſtantiali, quàm accidentiali. Secunda particula eſt *entis in potentia*, per quam particulam indicatur ſubjectum, in ordine ad quod motus definitur, quod debet eſſe in potentia paſſiva, quia motus in potentia paſſiva ſui mobilis ſubjectatur; per quam particulam diſtinguitur motus ab actione, quæ propriè non eſt actus potentiæ paſſivæ, ſed activæ. Tertia particula *ſecundùm quod in potentia*, ponitur in definitione loco differentiæ ad denotandum motum ex ſua natura eſſe formam imperfectam, nam ita actuat potentiam mobilis, ut ſimul relinquat illam capacem ad ulteriorem gradum, ſive actum recipiendum.

1207. Sed eſt maximè notandum, quòd non ſolum relinquit capacitatem in ſubjecto negativam, quæ conſiſtit in negatione perfectæ actualitatis; ſed etiam relinquit illud in potentia poſitiva, quæ ultra negationem actualitatis perfectæ dicit ordinem ad ulteriorem perfectionem, quam poteſt habere, non ſolùm quia forma poteſt eſſe perfectior, ſed quia motus conſideratur ex ſe tanquam quædam inchoatio, & inceptio formæ, vel forma ſit remiſſa, vel intenſa.

1208. Quòd prædicta definitio ſit exacta probatur: quia illa eſt bona, & exacta definitio, quæ explicat eſſentiam definiti per partes eſſentiales; ſed definitio ſupra aſſignata pro motu ſic ſe habet: Ergo &c. Et confirmatur: motus eſt actus mobilis; ſed mobile ex ſua natura dicit eſſe in potentia paſſiva ad motum: Ergo eſt actus entis in potentia prout in potentia eſſentialiter, quia ſi mobile non eſſet in potentia prout in potentia paſſiva, eſſet in actu, & ſic non mobile, ſed motum denominaretur.

1209. Ad ſecundam partem quæſiti deveniendo dico, quòd motus dividitur in motum, qui fit de ſubjecto in ſubjectum, ſive de termino poſitivo in terminum poſitivum, ut v. g. motus localis; & in motum, qui fit de termino privativo ad terminum poſitivum, ut v. g. generatio, cujus terminus à *quo* eſt privatio, & terminus ad *quem* forma poſitiva; & in motum, qui fit à termino poſitivo in terminum privativum, ut corruptio, & annihilatio, licèt motus in hac ultima acceptione propriè, & rigoroſè non ſit motus.

1210. Ulteriùs dividitur motus in poſitivum, & negativum, licèt æquivocè: motus poſitivus eſt verus, & realis influxus, ſive via, qua res poſitiva incipit eſſe. Motus verò negativus eſt ſuſpenſio concurſus, per quam

quam res positiva desinit esse, ut corruptio, annihilatio, diminutio, remissio &c. Rursùs motus positivus dividitur in instantaneum, & successivum. Motus instantaneus, qui etiam solet denominari mutatio, est verus, & realis, quo acquiritur forma, sive terminus ad quem terminatur in instanti temporis, ut v. g. generatio substantialis, media qua acquiritur, & generatur in instanti tota substantia, & non pars post partem: motus successivus est ille, medio quo successione temporis acquiritur forma, non tota simul, sed pars post partem, ut patet de motu locali, qui habet latitudinem partium secundùm prius, & posterius.

1211. Motus successivus dividitur ulteriùs in augmentationem, alterationem, & lationem, sive motum localem. Augmentatio est motus successivus, quo major acquiritur quantitas, pars post partem. Alteratio est motus, quo major acquiritur qualitatis gradus post gradum; priùs enim acquiritur unus gradus caloris, & postea alius, & tandem alius, & alius, & sic de aliis. Latio est motus localis, quo novum acquiritur ubi. Sed hoc nota discrimen inter motum localem, & augmentationem, & alterationem, quòd motus localis talis naturæ est, quòd essentialiter requiritur, quòd amittat partem, sive unum ubi, ad hoc quod aliam partem, sive aliud ubi acquirat mobile, quia essentialiter successivum est, de cujus intrinseca ratione est, quòd ejus partes non sint simul, de quo latiùs infra. At motus alterationis, sive augmentationis hoc non petit, immò parti quantitatis, sive qualitatis præexistenti additur alia per talem motum.

1212. Sed dubitabis, utrùm motus ut sic univocè conveniat tam motui positivo, quàm privativo, ita ut univocè prædicetur de generatione, & corruptione, creatione, & annihilatione? Respondeo, quia cum motus positivus sit via, sive realis tendentia, sive fluxus, medio quo terminus talis motus accipit esse, ut patet ex num. 1210. & motus negativus, sive privativus sit suspensio concursus conservativi, quæ sistit in privatione, enti positivo, & negativo nulla datur univocatio. Vide, quæ diximus dist. 1. ex 1. lib. num. 127. & 128. & sequentibus de privatione, quam non esse univocè principium statuimus ibidem.

1213. Secundò dubitabis, utrùm prædicta definitio motus conveniat tam motui successivo, quàm instantaneo? Respondeo affirmativè, tum quia Philosophus postquàm tradidit definitionem prædictam de motu, statim exemplificat non solùm in mutationibus successivis, ut sunt augmentatio, & alteratio, sed etiam in instantaneis, ut sunt generatio, & illuminatio, dicens: *alterabile quidem quatenùs alterabile; generabilis, & corruptibilis, generatio, & corruptio.* Tum etiam ratione, quia hîc agitur de motu, quæ est proprietas accidentalis naturæ, ut clarius quid sit natura, intelligatur; sed natura est principium, quod est generatio: Ergo definitur motus generationis, qui est instantaneus.

1214. Et confirmatur: quia licèt forma, quæ in eodem temporis instanti generatur secundùm se tota careat latitudine partium temporis, habet tamen extensionem, & prius, & posterius natura, taliter quod prius natura intelligatur necessariò

forma in fieri, quàm in facto esse: Ergo in illo primo signo naturæ, in quo intelligitur formæ inceptio sive inchoatio, intelligitur motus. Probo consequentiam: taliter forma pro illo primo signo naturæ actuat subjectum, quod simul relinquat capax positivè ad ulteriorem formæ perfectionem, scilicet ad factum esse: Ergo in tali fieri, inceptione, sive inchoatione salvatur, quòd sit actus entis in potentia, prout in potentia: Ergo salvatur motus.

Argumenta contra dicta.

1215. PRimò arguitur contra nostram primam responsionem ad primum dubium: corruptio excluditur à ratione motus: motus instantaneus ideo clauditur sub ratione communi motus, quia Philosophus exemplificat definitionem de illo; sed etiam ibidem Philosophus ut patet ex verbis cit. exemplificat de corruptione: Ergo ob eandem rationem debet motus privativus, sub ratione motus ut sic contineri. Et confirmatur ratione: cui formalissimè competit mutari, formalissimè competit motus; patet, quia omne, quod mutatur, per motum mutatur; sed materiæ primæ v. g. formalissimè competit per corruptionem formæ, quam amittit, mutari: Ergo formalissimè competit corruptioni esse motum. Minor probatur: mutari nihil aliud est, quàm aliter se habere nunc quàm priùs; sed per corruptionem formæ in materia existentis aliter se habet materia, ac ante corruptionem: Ergo per corruptionem materia formalissimè mutatur: Ergo corruptio formalissimè est motus.

1216. Respondeo, quòd licèt verum sit, quod Philosophus exemplificat improprié; propriè tamen, & rigorosè de mutatione instantanea, quod satis ratio, quam ad ejus probationem adduximus, demonstrat. Ad confirmationem autem à ratione respondeo concedendo majorem; & ad ejus probationem distinguo majorem: mutari formalissimè positivè, nihil aliud est, quàm aliter se habere positivè, concedo: negativè, nego. Ad minorem eodem modo distinguo; sed per corruptionem aliter se habet materia positivè, quàm priùs, nego; quia nihil positivum ponitur in materia per formalem corruptionem formæ, quam amittit, privativè, concedo: Ergo materia mutatur formalissimè negativè, concedo; positivè, nego: ex quo nihil contra nos.

1217. Secundò arguitur contra id, quod diximus pro secundi dubii responsione num. 1213. videlicet, quòd definitio supra tradita pro motu convenit tam motui successivo, quàm instantaneo, authoritate Doct. Subt. qui in 2. dist. 5. q. 2. num. 12. §. dico, ait: *tamen de motu tenet argumentum Angeli, quia motus necessariò habet mensuram divisibilem, cum ipse sit divisibilis, & ideo si motus esset in instanti, necessariò instans esset divisibile*: Ergo ex mente Doct. Subt. ratio motus nequit convenire mutationi instantaneæ, quæ in eodem fit instanti: Probo consequentiam: quia motus, qui fit in unico eodem instanti simul actuat secundùm se totus potentiam passivam sui mobilis: Ergo non actuat partim potentiam passivam, & partim in potentia relinquit. Probo consequentiam; antecedens enim per se

est

est notum: instans ex sua natura non est in partes divisibile, cùm ex se indivisibile sit: Ergo non potest intelligi, quòd motus, qui fit totus in unito instanti, partim actuet secundùm primam partem, & partim in potentia relinquat: Ergo repugnat prædicta definitio motus mutationi instantaneæ, quæ caret latitudine partium secundùm prius, & posterius: Ergo &c.

1218. Respondeo ad authoritatem Doct. Subt. quòd Scotus loquitur ibi de motu locali, qui ex sua natura est divisibilis, & successivus, cùm corpus, quod movetur v. g. ex hoc loco in alium, puta Hispalim, necessariò prius est in locis intermediis, quæ inter Antiquariam, & Hispalim intermediant, & non simul in omnibus, sed priùs in immediato, & postea in mediato loco, & tandem in alio, & sic de aliis; & de hoc motu locali verum est, quòd nequit fieri per spatium divisibile in indivisibili instanti; non verò loquitur ibi de omni motu. Unde nego consequentiam, & ad ejus probationem distinguo antecedens: motus, qui fit in instanti simul secundùm se, totus actuat potentiam passivam sui mobilis, simultate temporis, concedo; simul simultate naturæ, nego: quia in primo instanti naturæ intelligitur substantia, quæ generatur in fieri, & est verè motus; & in secundo instanti naturæ intelligitur in facto esse, & jam non est motus, sed terminus motus. Et ad consequens antecedentis eodem modo distinguendum est. Et ad ejus confirmationem respondeo distinguendo antecedens: instans temporis indivisibile est in alia temporis instantia, concedo; in alia instantia naturæ, nego. Et eadem distinctione ad reliquum argumenti est respondendum; unde nego ultimam consequentiam &c. Vide, quæ diximus dist. 1. proœmiali q. 1. art. 2. in argumentorum solutione respondendo ad quoddam argumentum ibi factum de motu Angeli, assignando rationem, unde proveniat talem motum esse divisibilem.

1219. Tertiò arguitur: qualitati remissæ, puta calori ut quatuor convenit definitio motus, & tamen qualitas remissa ut quatuor non est motus, immò terminus motus: Ergo definitio motus non est exacta. Antecedens probatur: quia qualitas remissa taliter actuat subjectum, ut simul relinquat illud capax ad ulteriorem gradum formæ, sive caloris: Ergo partim actuat, & partim in potentia relinquit: Ergo convenit illi definitio motus: Ergo non est exacta, & bona talis definitio.

1220. Respondeo negando majorem, & ad ejus probationem distinguo antecedens: calor v. g. remissus ut quatuor taliter actuat subjectum, ut simul relinquat illud capax negativè ad ulteriorem gradum caloris, concedo: ut simul relinquat illud capax positivè ad perfectiorem calorem, nego. Vide, quæ dixi num. 1207. nam cùm subjectum, quod est calidum ut quatuor, sit jam in termino sui motus, non intelligitur sub motu, sicut lapis, qui descendit ad centrum, dum tendit in ipsum centrum, mutatur; quando verò jam est in centro, non movetur, sed quiescit, quòd si ab aliquo impediatur lapis, ne perveniat ad centrum, ibi quiescit, quamvis violenter, & non movetur, & ita similiter dum subjectum, quod est capax caloris ut octo est sub actuali calefactione, & via, ad calorem ut octo movetur,

quòd si ab aliquo impediatur, ne transeat ad habendum plures, quàm quatuor gradus caloris, ibi quiescit, & amplius non movetur, quia ibi desinit tendentia ad ulteriorem terminum; motus enim, ut sæpiùs diximus, est quædam via, & tendentia ad terminum motus, ad quem cùm pervenerit mobile, desinit moveri, quia desinit motus.

ARTICULUS SECUNDUS,

Ubi aliqua enodantur dubia circa naturam motus occurrentia.

1221. Dubitabis primò, in quonam prædicamento collocetur motus? Ad quod respondeo, quòd motus dupliciter potest considerari: primò pro forma fluente, quæ in fieri consideratur, & prout tendit in factum esse; eadem enim entitas formæ secundùm diversos status considerata, fieri videlicet, & factum esse, denominatur vel motus, vel terminus motus, sicut creatura eadem secundùm diversos status denominatur vel possibilis, vel existens, & sicut creatura per futuritionem, sive existentiam non variatur quoad entitatem, sed solùm quoad statum, quia idemmet Petrus, qui fuit in possibilitatis statu, est qui modò existit, ita entitas formæ per fieri, vel factum esse non variatur quoad intrinsecum entitatis, sed solùm quoad statum.

1222. Motus pro fluxu formæ est quidam motus adjacens, sive concomitans ipsum fieri formæ, ut habet *Scotus in 4. dist.* 13. *q.* 1. *num.* 12. *§. ex dictis:* qui non est aliud, quàm illa morula, sive spatium, quo fieri formæ consumitur, secundùm quam motus denominatur successivus, si morula successiva fuerit, vel instantaneus, quia morula, sive spatium, quo fieri formæ consumitur, instantaneum est.

1223. His præjactis dico primam conclusionem pro dubii responsione: motus, qui definitur ab Aristotele, dum ait, quòd motus est actus entis in potentia prout in potentia, est ipsa forma in fieri; unde si forma in fieri fuerit substantia, motus sumptus pro forma ad idem prædicamentum substantiæ pertinebit; si verò forma fuerit quantitas, qualitas, sive ubi ad idem prædicamentum motus expectabit, ita ut motus non constituat aliquod prædicamentum speciale, sed per omnia divagetur.

1224. Ita Scotus expressè in 4. dist. 13. q. 1. §. ex dictis num. 13. v. juxta, ubi ait: *præmittit ibi* (supple Aristoteles) *quòd motus* est actus activi, & passivi, activè ut ab ipso, passivè ut in ipso; ille autem motus secundùm commentatorem realiter est forma fluens. Et in fine §. *& tunc non oportet quærere ad quod genus pertineat ratione connotati, quia potest pertinere ad tot genera, ad quot forma causata in passo ab agente.* Et v. & si objicias num. 14. in fine ait: *accipit ergo ibi actionem pro opere, & fine agentis, illud autem est forma acta in passo, quæ ut fluens est motus.* Et v. & si objicias sub num. 16. ait: *quia respectus fundatus super motum ad agens est intrinsecus adveniens, cùm motus sit forma ipsa inducta, vel educta.* Idem habet commentator Scoti ibidem sub num. 21. v. quinto modo, & sequenti.

1225. Probatur ratione: motus est actus entis in potentia prout in potentia; sed forma in fieri sic se habet: Ergo forma in fieri est formalissimè motus. Minor probatur: taliter

taliter forma in fieri actuat susceptivi, sive mobilis potentiam, ut simul relinquat illud ad ulteriorem gradum perfectionis formæ capax, scilicet ad factum esse, ad quod positivè per formam in fieri ordinatur: Ergo &c. Probatur: quia per hoc præcisè, quòd intelligatur aqua sub calore in fieri, quocumque alio circumscripto intelligitur formalissimè mota aqua, sive aquam moveri: Ergo forma caloris in fieri est formalissimè motus.

1226. Quoad secundam partem probatur: quia forma in fieri formalissimè essentialiter est idem ac forma in facto esse: Ergo si forma in fieri est motus, ad idem prædicamentum debet motus expectare, ad quod forma in fieri expectat; sed forma in fieri pertinet ad idem prædicamentum, ad quod forma in facto esse pertinet: Ergo & motus, cùm sint formalissimè idem: sed formæ, quæ possunt in fieri per modum fluxus, seu positivæ tendentiæ considerari, jam ad prædicamentum substantiæ, jam ad prædicamentum quantitatis, qualitatis, vel relationis expectant: Ergo & motus: Ergo motus non ad aliquod expectat prædicamentum, sed per omnes divagatur.

1227. Dico secundò: motus sumptus pro fluxu formæ, sive pro illa morula, quæ in fieri formæ consumitur, ut dixi num. 1222. pertinet ad prædicamentum quantitatis; patet, quia motus in hac acceptione non est aliud, quàm tempus saltem realiter; sed tempus ut ex se constat, est de genere quantitatis continuæ successivæ; Ergo & motus, quia illa, quæ realiter identificantur, ad idem pertinent prædicamentum, de quo latius infra.

1228. Secundò dubitabis, utrùm motus realiter distinguatur à suo termino, vel saltem formaliter? Respondeo, quòd cùm ex dictis num. 1224. motus sit idem formalissimè, quod forma in fieri, prout tendit in factum esse, & forma in fieri sit eadem cum se ipsa in facto esse quoad essentialia, sequitur, quòd motus non distinguatur realiter à suo termino. Ita *Scotus ubi supra, & in 1. dist. 13. q. 1. §. contra. num. 2. & dist. 2. q. 7.* & probatur: quia motus est ipsa forma in fieri, & terminus motus est forma in facto esse, sed forma in fieri, & in facto esse idem realiter sunt: Ergo &c.

1229. Dico tamen secundò, motus quatenùs connotat privationem perfectionis formæ in facto esse (forma enim in fieri dicit privationem illius complementi) sive perfectionis, quam habet in facto esse, distinguitur realiter quoad connotatum à termino motus. Probatur: quia forma in fieri caret perfectione, qua non caret in facto esse, sive in esse perfecto, & illam talem privationem connotat: Ergo saltem quoad connotatum realiter distinguitur motus à suo termino.

1230. Tertiò dubitabis, utrùm motus realiter distinguatur à mobili? Respondeo affirmativè, ut habet expressè noster Pitigianus in hoc 3°. in annotationibus ad quæst. 7. & habetur communiter. Probatur: quia mobile est illud subjectum, quod denominatur à forma; sed omne Physicum subjectum realiter distinguitur à forma Physica: Ergo mobile realiter distinguitur à motu. Et confirmatur: quia illa, quæ realiter possunt separari, realiter distin-

distinguuntur; sed omne mobile, sive subjectum passivum realiter potest separari à motu, ut ex se patet: Ergo &c.

1231. Quartò dubitabis, in quo motus sit subjectivè, sive in quo subjecto motus subjectetur? Respondeo, quòd in potentia passiva mobilis. Probatur: quia in illo subjecto motus subjectatur, quod movetur, sive mutatur; sed mobile est subjectum, quod denominatur moveri, sive mutari à motu: Ergo motus in mobili subjectatur, & hoc universaliter loquendo de omni motu, locali etiam, quia quod localiter movetur adquirit novum ubi, sive relationem novam ubicationis, quam antea non habebat, à qua formaliter denominatur motum, sive mutatum: Ergo motus localis, qui in tali passiva ubicatione, sive relatione consistit, in ipso mobili subjectatur. Argumenta, quæ contra has nostras conclusiones possunt objici, nullius sunt ponderis, & sic illa omittimus apud authores videnda.

QUÆSTIO SECUNDA,

Quid sit actio, & quid sit passio.

ARTICULUS PRIMUS,

Ubi aliqua præmittuntur notabilia ad intelligentiam quæsiti.

1232. PRimò nota, quòd hîc agimus de actione, & passione, prout cum motu comparantur, utrùm videlicet actio de genere actionis sit idem quod passio, & actio & passio sint idem cum motu, vel aliqua distinctione inter sese distinguantur? Et dato quòd sic, quæ distinctio sit, quæ inter actionem, & passionem, & motum versatur? an realis, vel formalis, seu potius rationis?

1233. Secundò nota, quòd pro responsione, & intelligentia quæsiti necesse est iterùm in memoriam revocare omnes illas acceptiones actionis, quas tradidimus supra dist. 4. Physicali de causa efficienti ex 2. à num. 1024. usque ad 1029. inclusivè; ex dictis enim ibi maximè pendet dicendorum hîc intelligentia, ne quæ semel ibi diximus, iterùm hic repetamus.

1234. His præjactis dico primam conclusionem (aliorum sententiis omissis) actio sumpta pro respectu producentis ad productum, de qua ibidem num. 1025. vel respectu educentis ad eductum, ut diximus num. 1026. vel pro respectu transmutantis ad transmutatum, ut num. 1027. diximus, est relatio prædicamentalis intrinsecus adveniens, quæ necessario posito fundamento, & termino resultat, patet ex dictis ibidem num. 1031. & realiter distincta à motu, cùm motus, qui ut diximus supra num. 1223. & sequentibus sit ipsa forma in fieri prout tendit in factum esse; & actio in his tribus acceptionibus sit posterior ipsa forma, non solùm in fieri, sed in facto esse, cùm forma sit terminus talis relationis, & terminus ex sua natura realiter distinguatur à relatione, & sit illa prior.

1235. Dico secundam conclusionem: actio propriè dicta de genere actionis, de qua num. 1029. ubi supra 1032. est relatio extrinsecus adveniens, quæ fundatur in agente, & terminatur ad materiam transmutatam per formam, estq; realiter distincta à motu & passione. Probatur quoad primam partem: illa realiter distinguuntur, quæ

ad

ad diversa expectant prædicamenta; sed actio in hac acceptione expectat ad prædicamentum actionis, & forma à qua transmutatur materia, non ad prædicamentum actionis, sed ad prædicamentum substantiæ, vel quantitatis, vel qualitatis expectat, vel ad aliquod aliud, ut diximus num. 1226. Ergo &c. & eodem argumento probamus actionem, & passionem realiter differre, cùm ad diversa prædicamenta pertineant.

1236. Dico tertiam conclusionem: actio sumpta pro forma in fieri, ut diximus ubi supra num. 1029. & 1038. non distinguitur realiter à motu, neque à passione, immo eademnet forma absoluta in fieri, prout dicit esse ab alio, scilicet ab agente est actio, & prout concipitur in mobili, sive passo est passio, & prout dicit actuare potentiam sui mobilis, ordinando illud ad ulteriorem gradum perfectionis formæ est motus, nulla distinctione se tenente ex parte formæ absolutæ, sed solùm penès diversa connotata, diversum sortitur nomen.

1237. Hæc conclusio habetur expressè à Scoto in 4. dist. 13. q. 1. num. 14. & à Philosopho in hoc 3. cap. 3. ubi ait: *motus est actus activi, ut ab hoc passivi ut in hoc*: Ergo ex mente Philosophi idem actus ut ab agente est actio, & ut in passo est passio; sed actus in passo prout in fieri, & tendens in factum esse est motus: Ergo actio, passio, & motus eadem forma indistincta est; sumpta actione, & passione in sensu explicato pro forma in fieri.

1238. Item idem Philosophus in hoc 3. text. 16. ait: *motus est actus mobilis, ut mobile est.* Et text. 22. *passio est actus patientis, ut patiens est*; sed patiens ut patiens, & mobile ut mobile idem formalissimè sunt: Ergo motus, qui est actus mobilis, & passio, quæ est actus patientis, idem sunt, quia eidem potentiæ idem correspondet actus.

1239. Ex dictis apparet, quòd actio, & passio possunt considerari vel Physicè, vel Metaphysicè: actio Metaphysica est relatio transmutantis ad transmutatum extrinsecus adveniens, expectans ad prædicamentum actionis, & de hac non est dubium, quin realiter distinguatur à motu, ut diximus num. 1235. & idem dico de passione, quæ realiter ab actione propriè dicta, id est Metaphysicè dicta distinguitur, & à motu.

1240. Actio Physica, quæ ut diximus dist. 4. & 2. num. 1038. in 6. concl. est per quam virtus causativa causæ reducitur de actu primo in actum secundum, est forma in fieri, quæ solùm penès connotata diversa, dicitur actio, quatenùs ab agente, dicitur passio, quia in passo subjectatur, & dicitur motus, quia per illam mobile, sive passum mutatur; & in hoc nulla est controversia, & si aliqua est, illam apud authores videndam omittimus.

ARTICULUS SECUNDUS,

In quonam subjecto actio subjectatur, & in quo passio?

1241. VAriis dicendi modis omissis, sit prima conclusio pro responsione quæsiti contra Divum Thomam, & ejus sequaces: actio propriè dicta de genere actionis, quæ ut diximus num. 1235. est relatio transmutantis ad transmutatum, subje-

ctatur in agente, & non in passo, & passio similiter de genere, sive prædicamento passionis subjectatur in passo, sive in materia transmutata per formam, & non in agente. Ita Scotus in 3. cit. ubi supra.

1242. Probatur ratione: actio de genere actionis est relatio transmutantis ad transmutatum: Ergo in illo formalissimè subjectatur actio, quod transmutans formaliter denominatur; sed agens est, quod formalissimè denominatur transmutans: Ergo & ipsum est in quo actio subjectatur. Major est certa, minor probatur: illud formalissimè denominatur transmutans, quod transmutat passum; sed quod transmutat passum, est agens, & non aliud: Ergo agens, & non aliud est, quod formalissimè transmutans denominatur.

1243. Et roboratur: in illo subjecto forma subjectatur, in quo ejus formalis, & primarius effectus actionis invenitur; sed formalis, & primarius effectus actionis invenitur in agente, & non in alio: Ergo in agente, & non in alio subjectatur actio. Major ex se patet: effectus enim formalis primarius formæ cujuslibet inseparabilis ab intrinseco est ab ipsa, ut patet de albedine, cujus formalis effectus est dealbare, & in illo est albedo, in quo dealbatio invenitur. Minor probatur: effectus formalis & primarius actionis est reddere subjectum, in quo est formaliter agens; sed quod redditur, sive denominatur formaliter agens est ipsum agens, & non aliud: Ergo actio in agente, & non in subjecto debet subjectari.

1244. Idem dico de passione: passio est respectus transmutati ad transmutans: Ergo in illo quod formalissimè transmutatum est, debet passio subjectari; sed passum est quod formalissimè transmutatum est: Ergo passio in passo, sive materia transmutata subjectatur. Et confirmatur: quia in illo subjecto subjectatur intrinsecè, & formaliter forma, in quo intrinsecus ejus effectus formalis invenitur; sed in passo invenitur intrinsecus effectus formalis passionis: Ergo & ipsa pâssio. Minor probatur: quia effectus formalis intrinsecus passionis est denominare subjectum formaliter passum: Ergo &c.

1245. Dico secundam conclusionem: actio, & passio sumpta pro actione, & passione Physica, sive pro ipsa forma in fieri, quæ est idem, ac motus, ut diximus num. 1236. subjectatur non in agente, sed in passo. Hæc conclusio satis patet ex dictis: nam actio in hac acceptione nihil aliud est, quàm forma in fieri, & idem dico de passione, & motu; sed forma in fieri in passo subjectatur, & non in agente: Ergo actio sumpta pro tali forma in passo subjectatur. Major ex dictis supponitur, minor probatur: quia indistincta forma indistinctum postulat subjectum; sed forma in fieri, & in facto esse eadem indistincta forma est: Ergo ejus subjectum indistinctum erit; sed subjectum formæ in facto esse est passum: Ergo & formæ in fieri subjectum idem passum erit.

Argumenta contra dicta.

1246. PRimò objiciunt contra nos adversarii, quàm plures ex Philosopho authoritates, in quibus videtur asserere actionem, & passionem idem sibi vindicare subjectum. Ad quas omnes respondere debetis ex dictis, quòd actiones, & passiones Physicæ, sive materialiter sumptæ, sive actione, & passione sumpta pro forma in fieri, quæ penès diversa connotata jam actio denominatur, jam passio denominatur, eodem subjecto gaudent, non verò actio propriè dicta de genere actionis, & passio, cum eorũ subjecta realiter differant, ut ex dictis patet.

1247. Secundò arguitur: non implicat, quòd eadem indistincta forma diversas tribuat, & oppositas denominationes: Ergo non implicat, quòd actio cum eadem forma indistincta sit denominet agens formaliter tale, & passum patiens formaliter. Antecedens probatur: visio eadem forma indistincta est, & tamen denominat oculum formaliter intrinsecè videns, & parietem visum: Ergo eadem indistincta forma potest duplex subjectum denominare, & oppositas denominationes eis tribuere: Ergo actio, etsi eadem forma sit, poterit denominare agens tale, & passum patiens formaliter.

1248. Respondeo distinguendo antecedens: eadem forma potest tribuere distinctas denominationes, unam intrinsecam, illam videlicet, in quo est, & aliam extrinsecam illius videlicet subjecti, in quo intrinsecè non est, concedo: distinctas denominationes intrinsecas, nego. Nam cum forma solùm intrinsecè in unico subjecto, & non in duobus sit, solùm subjectum, in quo est, potest intrinsecè formaliter tale denominare, licèt fortè aliud subjectum, in quo non est, possit denominare extrinsecè; ut patet de visione, quæ denominat intrinsecè videns oculum, in quo intrinsecè est, & objectum denominat extrinsecè visum, quia in illo extrinsecè solùm est terminativè, id est illud terminatur.

1249. Tertiò arguitur: in hoc distinguitur actio transiens ab actione immanenti, quia actio immanens, ut patet in intellectione manet intra agens transiens, non verò transit in aliud nisi in ipsum: Ergo actio in passo subjectatur &c.

1250. Respondeo negando majorem; actio enim immanens, & transiens non distinguuntur, nisi penès hoc, quòd terminus actionis immanentis manet intra ipsum agens, ut patet de actione, qua producitur actus intellectus, & similiter actus voluntatis, qui quidem actus intellectus intra ipsum manet, hoc est, in ipsomet intellectu, à quo producitur, subjectatur, & idem dico de actu voluntatis, qui in ipsa voluntate subjectatur, & similiter de actione, qua substantia in seipsa producit quantitatem, & ignis in se ipso causat calorem, & aqua frigiditatem, & sic de aliis. Actio verò transiens est quæ producit terminum, sive cujus terminus non est in ipso agente, sed in passo, ut patet de calore, qui alium producit in passo sibi approximato, & in generatione, homo enim generat hominem in materia extra se existente, & ignis generat ignem in materia ligni; unde illa actio dicitur immanens, cujus terminus manet intra ipsum agens: illa verò dicitur transiens, cujus terminus in alio est, & non in agente.

1251. Ad illud de intellectione dico, quòd intellectio, sicut quilibet alius actus vitalis non est actio, immò est qualitas absoluta operativa; dicitur autem actio propter aliquam similitudinem, & proportionem, quam habet cum actione; cùm tamen revera actio non sit, & si aliquando dicitur actio, debet intelligi analogicè, impropriè, & metaphoricè, sicut actio grammaticalis, ut illam appellat Scotus, non verò actio rigorosè.

1252. Sed contra insurges: actio subjectatur in agente: Ergo agens prout tale erit passum. Probo consequentiam: passum est quod ab aliqua forma patitur, sive quod alicui subjicitur; sed agens subjicitur actioni, & ab illa patitur: Ergo agens prout tale erit passum; sed hoc est impossibile: Ergo &c. Probo minorem: passum prout passum esse formaliter agens arguit omnimodam imperfectionem: Ergo agens prout agens esse formaliter passum eandem implicationem involvit. Patet, quia oppositorum eadem est ratio. Antecedens probo: agere formalissimè non est pati, nec pati est agere, immò agens, & passum sunt opposita, tanquam activum, & passivum; sed implicat, quòd ab unica, & eadem forma idem principium sit activum, & passivum: Ergo si agens est activum ab actione, ab eadem actione nequit esse passivum: Ergo nequit se habere passivè respectu actionis.

1253. Respondeo concedendo antecedens, & distinguendo consequens: Ergo agens prout tale erit passum respectu formæ, quæ ab agente producitur, nego consequentiam: respectu actionis, quæ in illo subjectatur, concedo consequentiam: quia etiamsi actio, qua denominatur, ignis v. g. transmutans materiam ligni in ipso igne subjectatur, nihilominùs ignis non patitur à forma ignis à se producta in materia ligni, sed ab actione solùm relativè patitur, quia subjectatur in illo, tanquàm forma relativa, sive ratio referendi. Ad confirmationem minoris respondeo distinguendo antecedens: implicat passum esse formaliter agens ab eadem forma, à qua patitur denominativè, sive formaliter, nego: fundamentaliter Physicè, concedo: quia ab eadem actione, à qua denominatur efficiens formaliter agens patitur, id est, passum ipsum efficiens denominativè, quia actio de genere actionis non est ratio formalis producendi, ut diximus dist. 4. ex 2. sed ratio formalis denominandi.

1254. Ad probationem antecedentis dico distinguendo majorem: pati non est agere, hoc est, non est dare esse activè, concedo: pati in agente non est agere, hoc est, non subjici actioni, nego. Ad illud, quod agens, & passum se habent tanquam activum, & passivum fundamentaliter, concedo: formaliter, nego. Unde nego suppositum consequentis, videlicet quòd agens sit activum ab actione, immò quia est activum subjicitur actioni, quia actio non est ratio producendi, sed forma absoluta agentis est, quæ producit, & supposita jam productione resultat in agente actio, à qua agens formaliter denominatur; & nulla est implicatio, quòd ignis v. g. à sua forma absoluta sit activus, & det esse alteri igni, & postea eadem forma absoluta ignis subjiciatur relationi actionis, & ab illa denominetur, sicut Pater producit Filium, & est principium

activum illius, & postea ipse Pater; sive ipsa substantia absoluta, quæ dedit esse Filio, subjectatur relationi Paternitatis, & ab illa formaliter denominatur.

DISTINCTIO SECUNDA,

De infinito.

QUÆSTIO PRIMA,

Quid, & quotuplex infinitum sit?

ARTICULUS PRIMUS,

Ubi aliquibus præmissis ad quæstionem sit satis.

1255. HIC est primò notandum secundùm *Scotum in 4. dist. 13. q. 1. num. 31. §. de secundo*, quòd infinitum dividitur in infinitum per essentiam, & in infinitum per participationem. Infinitum per essentiam est Deus solus, cui ab intrinseco, & sua essentiali ratione infinitas convenit, & ita primum est in genere entis, ut omnia entia tam facta, quàm facienda, & etiam excogitabilia ab humano captu, in infinitum à sua intrinseca perfectione excedantur, utpotè in quo continentur omnis perfectio possibilis, & etiam imaginabilis. Infinitum per participationem est illud, quod licèt habeat esse participatum ab infinito per essentiam, Deo videlicet, tamen fine caret in illa linea, & ordine, quo infinitum censetur. Et de hoc infinito per participationem est nobis sermo hic, non autem de infinito per essentiam, quia de illo in sacra Theologia, & Metaphysica agitur.

1256. Infinitum per participationem adhuc est duplex, vel infinitum secundùm extensionem, & est illud, quod in sua extensione magnitudinis caret fine, ut si daretur v. g. linea in infinitum extensa, quæ termino careret, vel numerus, cujus unitates infinitæ forent; vel infinitum est in intentione, ut qualitas v. g. quæ haberet gradus infinitos caloris. Et utrumque infinitum adhuc est duplex, vel infinitum in actu, vel in potentia: infinitum in actu est illud, quod habet partes actuales actualiter infinitas. Infinitum in potentia est illud, quod licet secundùm partes, quas actualiter habet, sit finitum, hoc est, habens terminum, tamen secundùm partes, quas potest habere, infinitum est, & termino caret, quod sic definitur: *infinitum in potentia termino caret, & fine, cùm semper crescere possit*, tamen secundùm ea quæ actu includit, finitum est.

1257. Soletque hæc divisio infiniti in infinitum in actu, & in potentia aliis terminis tradi, ita ut infinitum in actu sit infinitum categorematicum appellatum; infinitum verò in potentia syncategorematicum appelletur; quia sicut terminus categorematicus per se solum est significativus, ita infinitum in actu sine eo quod aliquid sibi adveniat, est infinitum actualiter; & sicut terminus syncategorematicus solus non est significativus, ita infinitum in potentia non est actu infinitum, sed solum potentialiter penès partes, quas potest habere.

1258. Utrumque tamen infinitum hac definitione à Scoto in quodlibet. 5. §. de primo. lit. *A*. num. 6. comprehenditur, licèt magis propriè infinito syncategorematico adaptetur, videlicet infinitum est cu-

jus quantitatem accipientibus, vel quantumcumque accipientibus semper aliquid restat accipiendum, ut v. g. si à multitudine infinita hominum, vel Angelorum præscindas millia, & millia, & sic in infinitum, semper restant ulterius alia quàm plura millia accipienda, si talis multitudo sit infinita, vel si addas dictæ multitudini millia, & millia, semper potest illi fieri in infinitum additio nova.

ARTICULUS SECUNDUS,

Utrùm de facto detur aliquod ens infinitum in rerum natura, vel saltem per vires naturæ possit dari?

1259. DIco primam conclusionem: de facto datur unum ens infinitum in rerum natura, quod est Deus optimus maximus, de quo non modo disputamus, & ipso secluso nullum aliud ens infinitum datur in essendo, hoc est, in perfectione essentiali. Probatur: omnis essentia creata est participata ab alio, scilicet Deo, & ipso dependens; sed infinito repugnat dependentia in essendo. Et confirmatur: quia ut ait *Scotus in 1. dist. 8. q. 3.* omne ens creatum componitur ex actu, & potentia Physicè, vel saltem Metaphysicè ex genere, & differentia; sed infinito per essentiam repugnat non esse perfectissimum actum, sive esse ab alio perfectibile: Ergo &c.

1260. Dico secundam conclusionem: de facto nullum datur ens, quod sit infinitum actuale categorematicè secundùm extensionem, sive magnitudinem. Ita Scotus expressè in hoc 3. q. 8. in expositione textus Philosophi. Et probatur, quia omne corpus quantum, & extensum, quod de facto datur, sub ambitu cœli continetur; sed quod sub ambitu cœli continetur, implicat esse infinitum: Ergo &c. Minor probatur: quia implicat quòd sit in extensione infinitum, & quòd sub terminis alterius corporis contineatur. Et probatur secundò, quia omne corpus habet ex sua intrinseca ratione aliquam figuram, & figura ab intrinseco terminis clauditur: Ergo & corpus, quod est tali figura figuratum, unde nec cœlum, nec terra, nec quodcumque aliud creatum erit infinitum, cùm necessariò claudatur sub terminis præfixis.

1261. Dico tertiam conclusionem: de facto datur aliquod ens creatum infinitum secundùm intensionem, hoc est, non datur aliqua qualitas infinitè intensa. Probatur: quia si daretur, daretur creatura infinitæ virtutis productivæ, cùm omnis qualitas prima sit productiva; sed implicat creaturæ virtus infinita in producendo: Ergo &c. Insuper: omnis capacitas passiva est infinita, & limitata: Ergo nulla datur capacitas receptiva alicujus formæ infinitæ. Rursus non datur substantia, cui debeatur talis qualitas naturaliter: Ergo neque ipsa qualitas infinitè intensa datur.

1262. Dico quartam conclusionem: nec infinitum in numero actuale datur, sive non datur multitudo rerum infinitarum, quia omnes res creatæ tam præteritæ, quàm præsentes, & futuræ sub numero infinito comprehenduntur. Patet ex ipso Deo Ecclesiastici 13. dicente: *omnia in numero, & mensura fecisti.* Insuper numerus dicit ab intrinseco determinatas unitates, ex quibus coalescit, & componitur: Ergo implicat,

cat, quòd sit numerus, & quòd sit infinitum, cùm infinitum ex se nullam habeat determinationem sive terminum, in illa linea, & ratione, qua est infinitum.

1263. Dico quintam conclusionem: infinitum in duratione à parte ante de facto nulla datur, cùm omnia creata in tempore acceperint esse, ut infra suo loco dicemus, tamen de facto datur aliquod ens, quod sit infinitum à parte post, hoc est, quod in æternum sit duraturum, ut patet de anima, quæ in æternum erit, ut fides docet; & de cœlo & terra, cæterisque elementis. Hæc conclusio est de fide, & nullam admittit inter Scholasticos controversiam. Et hæc pro hac parte quæsiti sint satis.

ARTICULUS UNICUS,

Ubi ad quæsitum fit satis.

1264. Dico primam conclusionem: etiam de infinito posse absoluto Dei repugnat creatura, quæ sit in perfectione essentiali infinita. Hæc conclusio expressè habetur à *Scoto in 3. dist.* 13. *q.* 3. *&* 4. *à num.* 10. & infra, potestque probari rationibus, quibus conclusione 1. num. 1258. probavimus illam de facto non dari: quibus aliam addimus rationem in nostræ veritatis confirmationem, quæ talis est: infinitum in perfectione essentiali identificat sibi omnem perfectionem composibilem, & nulla perfectio simpliciter est illi incompossibilis, ut omnes fatentur Theologi, & expressè docet *Scotus in quodlibet.* 1. *&* 5. ergo si tale ens infinitum in essentiali perfectione daretur, identificaret sibi omnes perfectiones essentiales divinas; Ergo esset Deus, quia nihil, quod Deus non est, Deo identificatur; sed implicat creaturam esse, ut supponitur, & esse Deum, ut argumentum convincit: Ergo necessariò fatendum est talem creaturam repugnare.

1265. Dico secundam conclusionem: non est procedendum in infinitum in speciebus, ita ut qualibet specie assignata possimus aliam perfectiorem assignare, sed necessariò deveniendum est ad aliquam speciem ita perfectam, ut non possit Deus aliam perfectiorem elicere, sive causare; & idem dico de perfectione graduali intrinseca qualitatis, ita ut calor v. g. non possit in infinitum augeri, sed necessariò deveniendum est ad aliquem ita perfectum calorem, ut non possit Deus ulteriorem calorem illo perfectiorem intensivè producere; cùm tamen nec talis species summa, quæ non potest excedi ab alia perfectiori, nec talis calor summus qui ab alio superari non valet, non infinitus categorematicè, sed finitus sit.

1266. Hanc conclusionem puto esse mentem expressam Scoti contra aliquos Scotistas contrarium autumantes. Et suppono cum ipso *Scoto in* 3. *dist.* 13. *q.* 13. quòd Deus potuit creare summam gratiam creabilem, ultra quam non posset alia major creari, sive recta ratione excogitari; & suppono similiter ex eodem *Scoto ibidem q.* 4. *§. quantum ad secundam quæst. num.* 9. hanc gratiam summam esse actu creatam, collatamque animæ Christi Domini. Verba accipite Scoti: *probabile est dicere secundùm Magistrum, quòd Deus tantam gratiam ei* (Christo videlicet) *quantam potuit; potuit autem*

ex præcedenti quæstione conferre summam gratiam creabilem: Ergo &c. Et q. 4. §. ad primum. num. 2. explicando ipse Doctor Subtilis hoc nomen *summum*, ait: *dico, quòd summum potest accipi dupliciter, uno modo positivè, per excedentiam ad omnia alia; alio modo negativè per non excedi ab aliquo alio* &c. Et in fine ait: *dico, quòd summam gratiam creabilem potuit dare huic animæ*; quod latè ibi prosequitur, & probat Scotus.

1267. Quibus præmissis ostendo hanc esse mentem Scoti; Scotus ait, quòd Deus de facto contulit animæ Christi tantam gratiam, quantam potuit conferre; & similiter ait, quòd potuit illi conferre gratiam summam creabilem, quæ non posset ab alia gratia perfectiori excedi: Ergo in perfectione graduali intensiva gratiæ non potest in infinitum procedi, sed necessariò deveniendum est ad aliquam gratiam ita perfectam, ut ultra illam non sit alia perfectior: Ergo & in formis specificis idem dicendum est; quòd necessariò deveniendum est ad aliquam speciem ita perfectam, ut non possit excedi in perfectione essentiali.

1268. Probatur conclusio ex ipso *Scoto in eadem quæstione §. ad argumenta. v. si secundo modo. num.* 13. Ubi ait: *ponendo gratiam esse summam perfectionem diceretur eodem modo, quod intelligendo aliquem gradum superiorem gratia summa in genere perfectionis supernaturalis, est tunc intelligere contradictoria.* Vult dicere Scotus, quòd sicut est impossibile, & contradictionem involvens, quòd gratia Christi sit summa, & quòd possit alia perfectior, sive intensior gratia creari, ita est impossibile, & involvens contradictionem, quòd si gratia est summa perfectio ordinis supernaturalis, possit aliquod ens ejusdem ordinis supernaturalis creari, quod sit gratia perfectius, quia si tale ens perfectius gratia possibile foret, jam gratia non esset summum ens ordinis supernaturalis, quod evidens est, ut ex se patet.

1269. Hoc idem habet Scotus in sua Metaphysica lib. 2. q. 6. de multitudine essentiali num. 6. ubi ait: *de multitudine essentiali, scilicet specifica eorum, quæ habent ordinem essentialem, patet, quòd ibi non est infinitas negativè, nec privativè; infinitum contrariè non potest ibi esse, quia tunc esset illud infinitum intensivè in perfectione, & esset Deus; neque est infinitas in potentia secundùm Philosophum:* Ergo ex mente Scoti non est concedenda speciebus infinitas in potentia, quæ ut diximus num. 1556. hujus, stat in hoc, quòd una, sive quacumque specie assignata possit alia perfectior asignari, & alia, & alia, & sic in infinitum, sed necessariò deveniendum est ad aliquam speciem ita perfectam, ut illa aliam perfectiorem asignare non possimus. Scotum sequuntur Durandus *in 4. dist. 13. q. 4. Cajetanus secunda secundæ q. 24. art. 7.* & alii quàm plures.

1270. Probo primò conclusionem ratione, qua eam probat *Scotus in 3. cit. q. 1. §. ad primam quæst. v. ad quod ostendendum. num. 2.* gratiam Christi esse summam creabilem, ita ut non possit Deus aliam perfectiorem creare, quæ in hunc modum se habet: accepta aliqua specie infima, nempe *A*, & ascendendo ad alias perfectiores species, aut est status ad aliquam supremam, quæ non potest excedi, & habetur oppositum, aut non, sed potest procedi in infinitum?

tum? ſi dicas hoc: Ergo quantò aliqua ſpecies excedit *A*, tantò eſt perfectior: Ergo illa, quæ infinitum excedit, eſt infinito perfectior: Ergo talis ſpecies erit in ſe intenſivè perfectionis abſolutæ, quod eſt impoſsibile, quia eſſet finita, eò quòd creata, & infinita, ut argumentum concludit.

1271. Probo aſſumptum Scoti, & ſimul declaro, quia ſuppono, quòd ſpecies infima animalium v. g. eſt mus, ſive formica, interrogo: aſſignata una ſpecies animalis perfectior formica, & alia, & alia, & ſic in infinitum, illa ſpecies inter quam, & formicam infinitæ aliæ mediarent, non eſſet infinita? foret utique, quia cum ſpecies ſint ſicut numeri, & ſe invicem excedant in perfectione eſſentiali, neceſſe eſt unam alia perfectiorem eſſe, ita ut illa, quæ ab infima per alias infinitas ſpecies diſtaret, eſſet infinita.

1272. Quod probo hac ratione, qua eam probavi Hiſpali cum adſtantium aliquali admiratione, quæ talis eſt: ens ſuperans alia infinitè à ſe diſtantia ſe excedentia exceſſu æquali eſt ens infinitum; ſed illa ſpecies animalis, quæ per infinitas alias ſpecies medias diſtaret à formica, eſſet ens ſuperans alia infinitè à ſe diſtantia ſe excedentia exceſſu æquali: Ergo eſſet ens infinitum. Probo majorem: quod infinitè diſtat à finito per aliquas ſpecies medias ſe excedentes eſt infinitum: Ergo quod ſuperat alia infinitè &c., eſt infinitum. Minorem probo: quia illa ſpecies animalis, quæ per infinitas medias ſpecies à formica diſtaret, infinitè à finito, ſcilicet à formica: Ergo &c. Quia ſi inter Antiquariam, & Hiſpalim infinitæ luces mediarent, eſſet verum dicere: Antiquaria diſtat infinitè ab Hiſpali: Ergo &c.

1273. Probo: quia quod continet perfectiones infinitarum ſpecierum, neceſſe eſt, quòd ſit ſpecificè infinitum; ſed talis ſpecies contineret in ſe perfectiones illarum infinitarum ſpecierum, ſiquidem omnibus illis foret perfectior: Ergo eſſet infinita. Probo: quod continet in ſe perfectiones infinitorum individuorum, ſive numerorum eſt unum numericè infinitum: Ergo quod continet in ſe perfectiones infinitarum ſpecierum erit ſpecificè infinitum.

1274. Secundò probo concluſionem ex eodem §. & v. Scoti: omnes ſpecies cujuſcumque generis ſint, quantumcumque ſint infinitæ, videntur actualiter ab intellectu divino: Ergo illa ſpecies ſuprema, quæ per infinitas alias diſtaret ab infima, ab intellectu divino actualiter videtur: Ergo poſſet talis ſpecies creari ab ipſo Deo, cum nulla ex hoc detur repugnantia, ex eo quòd talis ſpecies ſit poſſibilis, & unica factione factibilis. Probo antecedens: quia hoc decretum in Deo, videlicet, volo creare ſpeciem perfectiſsimam omnium, quas poſſum creare, quæ per infinitas diſtet ab infima: nullam ſecum involvit repugnantiam: Ergo jam tali ſpecie perfectiſsima creata non poſſet Deus aliam perfectiorem creare, quod noſtrum argumentum intendit.

1275. Probo, quòd Deus poſſet illam creare ex ipſo Scoto ibidem, ubi adducit verba Philoſophi ex hoc 3. cap. de infinito text. 69. qui ait: *quantum contingit eſſe in potentia, tantum contingit eſſe in actu*: quibus addit Scotus: *& ita non eſt procedere in infinitum in potentia, eundo ad formam* (hoc

eſt

est ad perfectionem specificam, & essentialem) *& ideo necesse est in forma quantumcumque perfecta ponere terminum qualitercumque possibilem.* Quid clarius de mente Scoti? Ex quorum verbis sic probo assumptum: omne, quod est in potentia, quatenùs ex se potest reduci ad actum, quia potentia hoc dicit posse esse in actu absque ulla implicatione ex parte potentiæ: Ergo si talis species suprema possibilis à Deo creari potest, & poni à Deo in esse existentiali, quia si non posset creari, non esset in potentia. Probo: quia de possibili posito in esse nullum sequitur inconveniens: Ergo nullum inconveniens erit, quòd talis species suprema producatur à Deo: Ergo posita tali specie non posset Deus aliam perfectiorem efficere, quia supponimus talem esse omnium perfectissimam: Ergo intentum.

1276. Tertiò probatur ratione desumpta ex ipso Scoto in eadem dist. & q. 4. §. ad argumenta. v. ad tertium dico num. 14. omnis creatura est participatio determinata Dei: Ergo omnis creatura essentialiter habet gradum determinatum perfectionis participatum à Deo. Antecedens est certum: creatura enim non est participatio ut sic, nec participatio omnium perfectionum Dei: Ergo necessariò est participatio determinata determinatæ perfectionis divinæ. Consequentia probatur: non illimitata in perfectione, quia hoc creaturæ repugnat: Ergo essentialiter habet gradum determinatum perfectionis: Ergo essentialiter est infinita: Ergo necessariò est dicendum, quòd debemus devenire ad aliquam creaturam ultra quam non possimus procedere: Ergo non est procedendum in infinitum. Et confirmatur: quia in essentialiter ordinatis non datur processus in infinitum, ut docet omnis Physica Schola; sed species sunt essentialiter ordinatæ, ita ut una sit perfectior, & repugnat duas species esse in perfectione æquales: Ergo in illis non datur processus in infinitum.

1277. Dico tertiam conclusionem: implicat etiam de potentia absoluta infinitum in intensione, hoc est, aliqua qualitas, quæ sit in infinitum intensa. Hæc conclusio satis patet ex dictis supra citatis Scoti in 3. ubi ait: gratiam Christi esse summam, & non infinitam, & nihilominùs implicare, quòd à Deo alia perfectior gratia producatur. Probatur: implicat ex dictis pro secunda conclusione creatura, quæ sit in perfectione essentiali infinita: Ergo implicat qualitas, quæ sit in perfectione intensiva infinita. Probatur consequentia: quia sicut se habet perfectio essentialis ad essentiam, ita perfectio intensiva ad qualitatem intensam; sed implicat creatura, quæ sit in perfectione essentiali infinita: Ergo &c.

1278. Secundò probatur: quia si possibilis est talis qualitas infinitè intensa, illa daretur de facto; in Christo Domino non datur, quia ut omnes Theologi fatentur gratia Christi Domini, quæ est quædam qualitas, visio beata, & lumen gloriæ, licèt sint qualitates summæ, finitæ tamen sunt, & non infinitæ: Ergo &c. Probo majorem: omnis perfectio possibilis collata fuit animæ Christi, ut omnes fatentur, quia non est verisimile, nec fidei consonum, quòd Christus potuit esse perfectior, neque in ordine naturæ, neque in ordine gratiæ, neque in ordine gloriæ, & tamen Christo

Domino

Domino non fuit collata, neque infinitas gratiæ, neque gloriæ, sive visionis neque luminis gloriæ: Ergo signum est, quòd talis infinitas repugnat; & hoc est validissimum argumentum in Sacra Theologia.

1279. Tertiò probatur: implicat creatura infinitæ virtutis productivæ; sed qualitas est productiva: Ergo implicat qualitas, quæ sit in infinitum intensa. Et confirmatur: quia si lumen gloriæ v. g. quæ est qualitas productiva visionis Dei, esset infinita: Ergo posset elicere visionem infinitam. Patet consequentia; quia cùm sit causa naturalis visionis, poterit elicere tantam visionem intensivè, quantum fuerit intensum lumen, ita ut quò magis intensum fuerit lumen, eò magis intensiorem valebit elicere visionem: Ergo lumen infinitè intensum, visionem infinitè intensam elicere valebit: Ergo talis visio infinitè intensa erit, Dei comprehensiva, quod est contra fidem.

1280. Quartò probatur: implicat substantia infinitè perfecta: Ergo & qualitas. Antecedens suppono ex dictis pro secunda conclusione. Consequentia probatur: omne accidens est alicui substantiæ dubium; sed nulla est possibilis substantia creata, cui accidens infinitum debeatur, & nullum est tale accidens possibile; probatur: quia quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur; sed substantia recipiens tale accidens, sive talem qualitatem ab intrinseco, est infinita: Ergo & accidens, quia impossibile est, quòd accidens infinitum in substantia infinita recipiatur.

1281. Dico quartam conclusionem: implicat etiam de absoluto posse dari aliquod quantum secundùm extensionem, hoc est, dari aliquod corpus quantum infinitæ magnitudinis, sive infinitè intensum. Probatur: quia corpus quantum ex sua intrinseca ratione debet esse terminatum aliqua figura, vel si est linea, debet aliquo puncto esse terminata; si est superficies, petit ab intrinseco terminrari lineis; si autem est corpus, debet esse aut sphæricum, aut quadratum, aut alicujus figuræ: Ergo debet esse terminatum; sed infinitum nequit habere terminum: Ergo &c.

1282. Secundò probatur, & suppono, quòd à centro versus circumferentiam duæ lineæ protrahantur in infinitum, tunc illæ lineæ circumferentiæ infinitè distarent inter se, quia quantò magis duæ lineæ protrahuntur à centro, eò magis distant inter se: Ergo si protrahuntur à centro infinitè, infinitè distabunt inter se; tunc sic protrahatur altera linea transversalis ab una ex prædictis lineis ad aliam infinitè à se distantem, illa talis linea necesse est, quòd sit finita, & infinita, quod est impossibile; quòd sit infinita patet, quia protenditur per infinitam distantiam, quæ inter unam, & alteram lineam mediat; quòd sit finita, inde patet, quia terminus illis duabus lineis clauditur, & includitur: Ergo &c.

1283. Rursus probatur: impossibile est corpus substantiale, cui quantitas in infinitū extensa debeatur: Ergo impossibilis est talis quantitas in infinitum extensa. Antecedens probatur: imposibilis est substantia corporea, cui repugnat motus; sed tali substantiæ corporeæ, cui quantitas infinitè extensa

deberetur, motus repugnaret: Ergo &c. Probo minorem: quia si daretur spatium, quod non occuparet: Ergo in nullum aliud spatium posset moveri, siquidem tale spatium non daretur: Ergo &c.

1284. Dico quintam conclusionem: implicat etiam de absoluto posse dari aliquam multitudinem actu infinitam, puta hominum, Angelorum, lapidum, vel creaturarum. Hæc conclusio expressè habetur à *Philosopho in hoc 3. cap. 2. text. 41.* ut videre licet in Scoto q. 8. hujus, in expositione textus Philosophi sub num. 27. §. at vero neque numerus sic, ubi ait Scotus, *probat* (supple Philosophus) *quòd nullus numerus est infinitus, quia omnis numerus est numeratus, vel numerabilis; modò nullum infinitum est numeratum, vel numerabile: igitur nullus numerus est infinitus.* Item idem subt. Doct. 2. Metaph. q. 6. num. 3. §. de multitudine ait: *in medio: quòd multitudo in genere quantitatis non possit esse actu infinita* patet 3. Physic. text. & comm. 41. licet ibidem num. 5. §. sustinendo, videatur asserere, quòd ratio à Philosopho assignata pro negatione infinitæ multitudinis non concludat, non inde bene infertur, quòd illam non sequatur, sed quòd ejus ratio inevidens est, quod non nego.

1285. Hanc adstruo conclusionem contra aliquos Scotistas oppositum opinantes, & præcipuè contra Fuentes in hoc 3. q. 3. dif. 2. art. 3. cujus fundamenti imbecillitas infra suo loco patebit. Probatur authoritate Philosophi 12. Metaph. text. & comm. 2. & 4. ubi ait: *numerus est multitudo mensurata uno*; sed contra rationem infiniti est mensurari finito, sicut probatur ex 6. Physic. text. & comm. 19. quòd infinitum non potest mensurari à finito: Ergo implicat, quòd sit numerus, & quòd sit infinitus. Major est definitio à Philosopho tradita, & ab omnibus recepta pro numero. Minor probatur: quidquid mensura finita mensuratur, necessariò finitum est; sed numerus ex sua ratione formali unitate mensuratur finita: Ergo numerus ex sua essentiali ratione finitus est: Ergo implicat, quòd numerus sit, & quod infinitus sit.

1286. Secundò probatur: omnis multitudo numerica essentialiter ex unitatibus numericis coalescit; sed unitas numerica essentialiter finita est: Ergo compositum ex talibus unitatibus esse finitum postulat ab intrinseco, & essentialiter. Major est per se nota, quia omnis numerus, sive multitudo ex unitatibus pluribus componitur. Minor probatur: illud est finitum, cujus partes essentialiter finitæ sunt; sed partes ex quibus coalescit numerus, sive multitudo, finitæ essentialiter sunt, ut ex se patet, quia unitas numerica finita numericè est: Ergo compositum numerus, sive multitudo ex eis resultans, finita est.

1287. Tertiò probatur præmittendo prius verba *Scoti ex 2. dist. 1. q. 3. §. tenentes autem. num. 20. v. ad ultimum argumentum*, ubi ait: *dici potest, quod æquale majus, vel minus non conveniunt quantitati molis, nisi finitæ: de ratione enim quantitatis majoris est excedere, & minoris excedi, & æqualis commensurari, quæ omnia concludere videntur finitatem, & ideo negaretur infinitum esse æquale finito, quia æquale, & inæquale, & majus, & minus sunt differentiæ quantitatis finitæ, & non infinitæ.* Quibus præjactis

sic

ſic arguitur, & probo concluſionem, & ſuppono, quod multitudo hominum eſſet infinita, tunc quæro: digiti horum infinitorum hominum, ſive capilli excederentne in numero ipſam hominum multitudinem, nec ne? Dices à fortiori, quòd ſic; quia & ex ſe patet, plures eſſent digiti, quàm homines, & capilli ſimiliter multò plures, quàm homines, & digiti: Ergo neque homines, neque digiti eſſent infiniti, quia infinitum in ea linea, qua infinitum eſt, nequit excedi, quia jam non infinitum, ſed finitum evaderet.

1288. Huic argumento reſpondet Pater Fuentes, quòd infinitum poteſt dupliciter conſiderari, vel formaliter quatenùs infinitum eſt, vel materialiter non pro ipſa infinitudine, ſed pro rebus ipſis, quæ infinitæ appellantur, & negat, quòd formaliter eſſent plures digiti, quàm homines, vel plures, licèt materialiter ratione unitatum, ſive rerum, quæ infinitæ denominantur, concedat exceſſum.

1289. Sed quis non videt, ſalva pace tanti Magiſtri eſſe frivolam, & nullius ponderis ſolutionem? Et quæro ab ipſo, utrùm numerus denarius ſit major formaliter, & materialiter quàm octonarius? dicit, quòd ſic. Tunc contra illum inſurgo: ideo numerus denarius eſt major formaliter, & materialiter numero octonario, quia denarius plures continet unitates, quàm octonarius; ſed numerus digitorum, vel capillorum hominum infinitorum continet per ipſum plures unitates digitorum, ſive capillorum, quàm numerus hominum continet unitates: Ergo illi digiti, ſive capilli erunt plures non ſolùm materialiter, ſed etiam formaliter. Inſuper: materialiter ait ipſe numerus capillorum hominum multitudinis infinitæ eſt major numero hominum: Ergo & formaliter. Probo conſequentiam: quotieſcumque major eſt materia, etiam forma tali materiæ correſpondens major debet eſſe; ſed materia capillorum major eſt, quàm hominum: Ergo & forma. Patet major; quia materia, & forma debent proportionari.

1290. Rurſus addita, ſive ablata unitate numero cuicumque, numerum variari neceſſe eſt; patet, quia ſi numero octonario addas unitatem unam, jam non octonarius, ſed novenarius erit; & ſimiliter ſi adimas, ſive præſcindas unitatem unicam, jam non octonarius, ſed ſeptenarius erit: Ergo ablata, ſive addita una unitate numero infinito, jam non infinitus, ſed finitus erit; quòd non ſit infinitus patet, quia ratio formalis talis numeri variatur; ſed ejus ratio formalis eſt infinita: Ergo jam non infinitum erit. Quòd ſit finitum probatur: quia per ablationem finiti non deſtruitur infinitum, ſicut per additionem finiti non conſtituitur infinitum in nullo genere, & ordine; ſed per ablationem unius finiti deſtruitur talis numerus hominum: Ergo ſignum eſt, quòd talis numerus non erat infinitus. Quòd ſi dicat, quòd ablata unitate una manet numerus infinitus, ut antea: contra, quia non habet tot unitates, ac antea: Ergo non manet infinitus ut antea.

1291. Tertiò impugno prædictum dicendi modum, & ſimul confirmo meam concluſionem, & ſuppono, quòd detur talis multitudo infinita hominum; & interrogo, in illo numero infinito erunt tot bi-

narii, quot ternarii, & tot ternarii quot quaternarii, & quot millarii? A fortiori dicit quòd non, quia evidens est quòd in numero v.g. duodenario duodecim unitates repe-riuntur, & sex denarii, & quatuor ternarii, & tres quaternarii, & duo quinarii, & nullus ignorat, quòd sex minus sunt, quàm duodecim, & tres quàm sex. Rursus interrogo, binarii illius numeri infiniti, & terminarii, & sic de aliis sunt finiti, vel infiniti? Non infiniti, quia infinitum nequit dici, & binarii ab unitatibus exceduntur in duplum: Ergo finiti: Ergo jam numerus infinitus medietatibus finitis componitur, quod ridiculum est.

1292. Quartò impugnatur: medietas numeri infiniti nequit esse infinita, neque finita: Ergo repugnat talis numerus infinitus. Quòd non sit infinita, probo; quia impossibile est, quòd pars sit æqualis toto: Ergo si totum est infinitum, medietas, quæ est ejus pars, nequit esse infinita, quia jam totum non esset sua parte majus; neque finita, quia ex duabus medietatibus finitis nequit consurgere totum infinitum: Ergo neutrum: Ergo impossibilis est talis numerus.

1293. Dicet forte Pater Fuentes conformiter suæ doctrinæ, quòd medietas numeri infiniti, erit etiam finita, vel infinita? Dicet quòd infinita. Rursus, & illius dimidiæ medietatis medietas erit infinita? Dicet quòd sic, vel quòd non? Si non: Ergo neque totus numerus erit infinitus, quia infinitum, & ex partibus finitis finities sumptis nequit coalesci infinitum. Si infinita: Ergo per ablationem infinitæ medietatis infinitum non desinit esse infinitum, quod est impossibile, quia sicut per ablationem finiti non destruitur infinitum, ita per ablationem infiniti infinitum destrui necesse est. Alias rationes omitto apud authores videndas.

Argumenta contra dicta.

1294. Primò arguitur contra secundam nostram conclusionem, quæ habetur num. 1265. (nam argumenta, quæ contra primam conclusionem possunt objici, nullius sunt ponderis, siquidem in illa omnes conveniunt) in qua asserimus, quòd non est procedendum in infinitum in speciebus, ita ut quacumque specie assignata, aliam perfectiorem assignare possimus, & ista aliam, & sic in infinitum. Nulla est assignabilis ratio repugnantiæ in hoc, quòd qualibet specie assignata aliam perfectiorem assignare possimus: Ergo concedendum est divinæ omnipotentiæ, ut quantumcumque perfecta sit alia qua species producta, aliam perfectiorem valeat producere. Patet consequentia; quia id potest efficere Deus, in quo nulla ratio repugnantiæ reperitur; sed in hoc nulla ratio repugnantiæ reperitur: Ergo &c. Probo antecedens: si aliqua esset ratio repugnantiæ, esset ex parte Dei, vel ex parte creaturæ, sive talis speciei; sed ex nullo capite repugnat: Ergo &c. Probo minorem: non repugnat ex parte Dei, quia Deus virtute causativa infinita gaudet; neque ex parte creaturæ, quia si Deus aliam perfectiorem creatu-

creaturam produceret, quacumque assignata, vel assignabili, non inde sequeretur implicatio: Ergo &c.

1295. Probo antecedens quoad secundam partem, & suppono, quòd summa creatura intellectualis creabilis, quam nos assignamus, ultra quam aliam perfectiorem assignare non possumus, sit *A*, v. g. data ista hypothesi, si Deus aliam intellectualem creaturam produceret, quæ esset perfectior *A*, non sequeretur, quòd talis creatura perfectior *A*, non esset creatura, neque quòd esset perfectionis infinitæ, & Deus: Ergo nulla sequitur contradictio. Probo antecedens: illa species summa *A*, quantumcumque perfectior imaginetur, adhuc distat in sua perfectione à Deo, quia omnis creatura infinitè distat à creatore: Ergo si Deus produceret aliam speciem, quæ perfectior *A* foret in uno gradu, vel in duobus, adhuc talis creatura perfectior *A*, distaret à Deo infinitè, quia per appositum, sive additionem gradus finiti ad gradum finitum non acceditur ad infinitum, ut v. g. si centum sit numerus finitus, & alia centum sibi addantur, non propter hoc dicemus, quòd illa duo centenaria efficiant numerum infinitum: Ergo creatura summa *A*, distat infinitè à Deo, etiamsi alia creatura, quæ sit perfectior *A*, per unum, vel per centum gradus à Deo producatur, adhuc manebit talis creatura intra limites creaturæ, quin perveniat ad perfectionem creationis: Ergo ex tali positione non sequitur, quòd esset creatura, & non esset creatura, sive quòd esset creator: Ergo non repugnat ex parte creaturæ, neque ex parte Dei, ut ex se patet: Ergo ex nullo capite repugnat, quòd quacumque specie assignata ad aliam, & aliam, & sic in infinitum procedamus.

1296. Ecce validissimum adversariorum telus, acriorem sagittam, quam contra hanc nostram conclusionem ejiciunt, quod argumentum quidem validissimum judico utpotè *Doct. Subt. Scoti in 3. dist. 13. q. 1. num. 2.* quod ita irresolubile, sicut irrefragabile ab aliquibus Scotistis videtur, ut vi illius depressi in contrariam effugiant opinionem contra tantum præceptorem, & Magistrum, qui & argumentum apposuit, & solutionem non omisit, nos igitur, qui tanti præceptoris adamussim intendimus inhærere vestigiis, jam ex ipso *Doct. in eadem dist. q. 4. num. 13. & 14.* ad argumentum in forma respondemus negando primum antecedens, & ad ejus probationem concedo majorem, videlicet, quòd datur repugnantia tam ex parte Dei, quàm ex parte creaturæ, in hoc quòd summa specie creata, alia possit perfectior creari ex parte Dei, quia etiamsi Deus infinitus sit, & gaudeat infinita virtute, non tamen inde infertur, quòd possit creare, sive causare creaturam virtutis, seu perfectionis infinitæ, quia cùm omnis creatura sit ex nihilo, ex nihilo infinitum fieri implicat contradictionem, quia nec Deus potest alium Deum creare, nec alium omnipotentem, nec alium infinitum, quia est implicatio in adjecto, quòd sit factum, & quòd sit Deus, quòd sit creatum, & quòd sit infinitum, & sic de aliis. Verba sunt Scoti q. 4. cit. §. ad argumenta num. 14. v. similiter. ubi ait: *similiter secundo ex parte efficientis, quia efficit de nihilo naturam limitatam.* Quod amplius

 plius

amplius declarat ejus Commentator ibidem sub num. 5. litt. V. §. respondet Doctor: ac si dicat Scotus: ex eo quòd Deus facit de nihilo, necessariò creatura effecta est limitata, ita ut illimitatam non possit efficere, & in natura limitata non est procedendum in infinitum, sed necesariò est deveniendum ad limitem, & terminum suæ perfectionis.

1297. Ad probationem autem antecedentis, & confirmationem argumenti ex num. 1295. respondeo admittendo suppositionem, videlicet, quòd *A* sit species summa intellectualis, quam Deus potest efficere, & hac hypothesi admissa concedo etiam, quòd ex positione alterius speciei, quæ esset perfectior *A*, non sequeretur, quòd illa species perfectior *A*, foret infinita, & non creatura, sed quod sequitur est, quòd species *A*, non esset summa, siquidem in illa linea poset alia perfectior ese, quod est contra suppositionem factam, & illam destruit, quia semel suppositum quod sit *A* perfectio summa, nequit excedi, & inintelligibile est, quòd sit *A* species summa in perfectione, & quòd alia species perfectior *A* sit producibilis. Ad illud, quòd alia species perfectior *A*, infinitè distaret à perfectione creatoris, verum est, sed non bene infertur talis species perfectior *A*, infinitè distare à creatore: Ergo poset effici à creatore; nego consequentiam, quia ut ait Scotus ibidem v. ad tertium dico: *quia charitas* (idem dico de quacumque alia creatura) *est participatio Dei, ideo necesse est, quòd secundùm aliquem gradum determinatum capiat partem infinitæ perfectionis, ita quòd necessariò includat determinatum gradum respectu charitatis infinitæ, sicut est determinata participatio, alioquin posset concludi, quòd calor, & quæcumque talis forma posset esse infinita, quia quælibet forma est participatio infiniti.* Unde semel admissum quòd *A* sit species summa in gradu summo sibi determinato, & præfixo, contradictio est, quòd aliqua posset esse species perfectior, quia jam non summa, ut supponitur, eset *A*, & ratio est conspicua, quia cùm omnis creatura ab intrinseco sit infinita, & limitata, poterit crescere in perfectione, donec perveniat ad illum gradum summum, qui est possibilis reperiri in creatura, quo obtento ulteriùs non potest crescere, exempli gratia: si amphora capit aquam ad tantam determinatam mensuram, poterit amphora capere aquam usque ad illam mensuram determinatam, perveniat ad quamcumque pervenerit, non est capax ulterioris aquæ.

1298. Secundò arguitur: omnis creatura vel est imago Dei, ut censetur creatura intellectualis, vel est vestigium, ut creatura, quæ intellectus est expers, sive ipso caret; sed imago, sive vestigium quantumcumque perfectum sit, semper distat infinitè à suo prototypo, sive Deo: Ergo quacumque creatura perfecta assignata, alia perfectior est excogitabilis. Et confirmatur: nulla participatio Dei est ita perfecta, ut non sit Deus perfectior modo participabilis ab alia perfectiori creatura: Ergo nulla creatura est ita perfecta, ut alia perfectior non sit possibilis: Ergo &c.

1299. Respondeo concedendo majorem, & minorem, & distinguendo consequens: si illa creatura perfecta assignata non sit summa, concedo consequentiam: videlicèt, quòd aliam perfectiorem assignare

possi-

possimus: si sit summa, nego consequentiam. Et ad ejus confirmationem respondeo negando antecedens, quia licèt Deus sit participabilis à creatura, tamen non participabilis infinito modo, quia modus infinitus creaturæ repugnat; sed est participabilis modo finito, ad quem cùm creatura pervenerit, non est possibilis alia perfectior excogitari, quia cùm semper creatura ab intrinseco petat esse in perfectione essentiali finita, necessariò deveniendum est ad aliquam, in qua omnis perfectio possibilis creaturæ reperiatur, & ista assignata non est ultra procedendum.

1300. Tertiò arguitur: si Deus operaretur ad extra ex necessitate naturæ, sive tanquam naturale principium, posset producere creaturam infinitè perfectam: Ergo etiamsi liberè operetur, poterit producere infinitum in perfectione. Antecedens patet; quia principium naturale producit secundùm ultimum suæ virtutis: Ergo si Deus esset principium naturale, produceret secundùm ultimum suæ virtutis: sed sua virtus est infinita: Ergo produceret infinitum infinitè perfectum. Nunc probo consequentiam: ideo in tali hypothesi produceret infinitum, quia produceret secundùm ultimum suæ potentiæ; sed etiamsi non liberè operetur, Deus potest dicere; volo producere secundùm ultimum potentiæ, sive virtutis meæ: Ergo producit ex tali suppositione infinitum: Ergo non implicat creatura infinitè perfecta.

1301. Respondeo, quòd hoc argumentum potius pro prima, quàm pro secunda conclusione militat, sed sive unum, sive alterum sit, respondeo negando suppositum antecedentis, videlicèt, quòd si Deus produceret per modum naturæ, quod productũ esset ad extra, & creatura, immò esset ipse Deus, sicut modò Filius divinus eò quòd per modum naturæ à Patre producatur, ex vi formalissima suæ productionis evadit Deus, & similis in natura suo producenti. Sed data impossibili, vel dicite, quòd sequeretur utrumque, quia ex uno impossibili sequeretur quodlibet; vel respondeo negando consequentiam antecedenti omisso, & ad ejus probationem distinguo majorem: ideo in tali casu, quo Deus per modum naturæ operaretur, produceret infinitum, quia secundùm ultimum suæ virtutis produceret per modum naturæ, concedo: per modum principii liberi, nego. Unde concedo minorem, & nego consequentiam, & ratio est conspicua, quia Deus per modum principii liberi operans solùm potest operari, sive causare possibile, & possibile ex sua ratione formali est creatura, quia quod transit de esse possibili ad esse existentiæ, non potest esse Deus, cui essentialiter competit existere, juxta illud, quod ipse Deus ait 3. Exodi: *ego sum qui sum*: & repugnat esse impossibilis status; & cùm Deus non possit ad extra, nisi creaturam, quæ ex sua ratione essentiali est dependens, & finita in perfectione, quæ cùm pervenerit ad perfectionem, quam potest finitè habere, nequit ulterius crescere.

1302. Quartò arguitur contra nostram tertiam conclusionem, in qua asserimus, repugnare etiam de absoluto posse fieri à Deo aliquam qualitatem in gradu finito, & limitato, contra quam sic argumentor: quacumque qualitate assignata potest alia perfectior intensivè assignari: Ergo qualitati

non

non repugnat infinitas intentionis. Probo antecedens: quia si qualitati in gradu summo adveniat alius gradus de novo, non propter hoc talis qualitas erit infinita, quia gradus finitus additus gradui finito non efficit infinitum: Ergo non repugnat &c. Et confirmatur: quia adhuc cum illo ulteriori gradu manet illa qualitas intra limites perfectionis finitæ; sed perfectio finita non repugnat creaturæ: Ergo illi qualitati summæ potest addi alius gradus, quo maneat intentior intra limites creaturæ.

1303. Et confirmatur: quia suppono, quòd octo gradus caloris sit calor in summo gradu, & interrogo, potestne Deus alium gradum caloris producere extra illum calorem summum? Poterit utique. Tunc sic; Deus potest unire illum gradum caloris cum octo productis: Ergo potest efficere calorem ut novem, & sic calorem perfectiorem intensivè summo assignato. Probo antecedens: ille unicus gradus caloris ejusdem rationis est cum quolibet gradu ex illis octo assignatis: Ergo sicut potuit Deus illos octo gradus unire, ita poterit unire istum gradum cum illis octo. Patet consequentia; quia non est major ratio, quare illos octo potuerit Deus unire ad efficiendum unum calorem intensum ut octo, & non potuerit istum gradum cum illis octo unire ad faciendum calorem intensum ut novem, cùm omnes gradus ejusdem sint rationis. Et roboratur: quia non repugnat ex parte Dei, neque ex parte qualitatis, neque ex parte subjecti: Ergo ex nullo capite repugnat. Ex parte Dei, & qualitatis patet, ex parte subjecti similiter, quia non est ratio assignabilis, quare possit qualitatem in isto gradu, & non in alio: Ergo &c.

1304. Respondeo negando antecedens, & ad ejus probationem respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam, quia licèt gradus additus qualitati intensæ in summo sit finitus, & similiter ipsa qualitas intensa in summo finita sit, & ex una, & ex alia non efficiatur qualitas infinita; non tamen benè infertur, quòd sint composibiles, sed incomposibilitas eorum est, quòd qualitas sit intensa in summo, & quòd sit capax ulterioris intentionis, quia ut ait Scotus q. 4. cit. sub num. 12. v. si primo modo: *dico quod non potest, immò includit contradictionem, quia qualitas est in termino, & cùm dicitur, si intelligatur gradus finitus sibi addi non erit infinita, dico, quòd erit incomposibilitas, quia aliud finitum intelligibile potest repugnare alii infinito intelligibili; sicut si intelligatur album addi nigro in aliqua perfectione, hic utrumque componens est finitum, & tamen nihil tale est factibile* &c. Et ita implicatorium est, quòd aliqua qualitas sit in termino suæ intentionis, sive sit summa, & quòd possit illi addi aliquis gradus finitus, sicut est implicatorium, quòd album addatur nigro, ut ex nigro, & albo fiat aliqua qualitas nigra, vel alba in perfectiori gradu.

1305. Ad confirmationem respondeo, quòd creato calore, sive qualitate ut octo, quæ ex suppositione argumenti est summa qualitas intensivè, potest Deus extra illam aliam qualitatem intensam in summo, vel aliquem alium gradum caloris producere; cæterùm nego, quòd possit Deus talem gradum unire ad efficiendum calorem

ut

ut novem. Et ad ejus probationem omitto antecedens, videlicet, quòd ille gradus unius caloris sit ejusdem, vel alterius rationis cum illis octo asignatis in calore summo, utrumque enim potest sustineri, & quòd omnes gradus componentes intensivè aliquam qualitatem sint ejusdem rationis, & quòd non sint, sed secundus sit perfectior primo, & tertius secundo, & quartus perfectior tertio, & sic de aliis. Sed argumenti gratia admisso quòd sint æquales, nego quòd sicut Deus potuit unire illos octo gradus inter se ad efficiendam qualitatem summè intensam, ita posit illum alterum gradum ad efficiendam qualitatem ut novem, & ratio est conspicua, quia cùm supponamus, quòd illa qualitas intensa ut octo sit in termino, sit summa in intensione, non est capax ulterioris gradus, quo fiat intensior, quia implicat, quòd si semel ad terminum pervenerit, ulteriùs posit accrescere, vel accresci. Ad illud, quòd repugnet ex parte Dei, neque ex parte qualitatis, sive subjecti, respondeo, quòd ex omni parte repugnat; ex parte Dei ut diximus num. 1296. pro responsione primi argumenti; ex parte qualitatis, ut dixi num. 1297. ex parte subjecti, quia ut ait Scotus num. 14. v. similiter: *similiter ex parte capacitatis, quia & si capacitas sit respectu cujuscumque gradus in forma, non tamen capacitas alicujus finiti est ad formam infinitam.* Unde cùm subjectum talis caloris sit finitum, non habet capacitatem ad calorem infinitum, sed ad calorem in gradu finito, quo assequuto non est capax ulterioris caloris, ex quo nihil contra nos.

1306. Quintò arguitur contra nostram quartam conclusionem, quæ habetur num. 1281. in qua asserimus repugnare corpus quantum infinitè extensum: non implicat dari in continuo infinitas partes extensas: Ergo non implicat continuum esse infinitè extensum, sive dari aliquod corpus in extensione infinitum. Probo antecedens: de facto dantur in continuo partes infinitæ: Ergo non implicat &c. Probo antecedens: de facto componitur ex partibus infinitis: Ergo &c. Probo: unumquodque componitur ex eis, in quæ resolvitur, sed si continuum divideretur, sive resolveretur in partes in infinitum divisibiles, sive in semper divisibilia: Ergo ex eis de facto componitur: sed partes continuæ ita se habent, quòd duæ faciunt majorem extensionem, quàm una, & tres quàm duæ, & quatuor, quàm tres: Ergo infinitè faciunt infinitè extensum: sed non implicat dari partes infinitas: Ergo non implicat continuum infinitè extensum.

1307. Respondeo distinguendo antecedens: non implicat dari in continuo infinitas partes in potentia, & non communicantes, concedo antecedens: infinitæ partes in actu, nego antecedens. Ad illud, quòd unumquodque resolvitur &c. concedo majorem; & distinguo eodem modo minorem: Ergo & de facto componitur in potentia, concedo: in actu, nego. Unde concedo, quòd duæ partes æquales continuæ faciunt majorem extensionem, quàm una, si sint partes non communicantes se, & impermixtæ, sin autem, nego. Sed de hoc latius in 6. Physic. nam ibi ad longum disputatur, quod hîc per modum transeuntis tangitur.

1308. Sextò arguitur: quacumque magnitudine extensivè assignata potest Deus aliam majorem efficere, & sic in infinitum syncategorematicè, concedo: categorematicè, nego. Quia licèt possit Deus aliam majorem, & majorem magnitudinem extensivam efficere, ex eo quòd major magnitudo extensiva non dicat majorem perfectionem, quàm minor, nisi extensivè, tamen quantumcumque magna excogitetur magnitudo quantitativa extensiva, semper est finita, ex eo quòd sit terminata, ut dixi num. 1281. aliqua superficie, vel puncto; & dato quòd Deus destrueret punctum terminativum lineæ, adhuc linea esset terminata privativè, quod sufficit. Ad probationem antecedentis eodem modo respondeo: ex nullo capite terminatur, sive limitatur, quominùs possit crescere in infinitum, potentiale, sive syncategorematicum concedo: actuale, & categorematicum, nego.

1310. Septimò arguitur contra nostram quintam conclusionem, in qua asserimus repugnare numerum infinitum in multitudine: primò authoritate Doct. Subt. in 2. dist. 3. q. 6. §. & per hoc patet. num. 18. v. & cum probatur, ubi ait: *non est ex parte individuorum, unde sit eorum numerus certus, sed possunt esse infinita non repugnante ratione eorum*: Ergo ex mente Scoti non repugnat dari aliquod infinitum individuorum.

1311. Respondeo, quòd Scotus ibi, ut videre licet in textu, probat, quòd sicut genus est divisibile in plures species, sic species in plura individua contra Divum Thomam, qui negat pluralitatem individuorum in speciebus Angelicis, & loquitur ibi Scotus non ex mente propria, sed secundùm mentem Platonis, & ex ejus fundamento, non ait, quòd divisio artificialis formarum habet ad speciem specialissimam, quia ulterius procedere est in infinita, quæ sunt relinquenda ab arte, secundùm ipsum, non est enim ex parte individuorum &c.: Ergo non ex mente propria &c. Quod si contendas, quòd loquitur ex propria mente, dico, quòd verum est, quòd non est numerus certus individuorum, sed possunt esse infinita non repugnante ratione eorum, id est, si non repugnaret numerus infinitus, possent esse individua infinita, quod nos non negamus; cæterùm non ait, quòd non repugnat, immo supponit Scotus ibi, quòd repugnat talis numerus infinitus, & quòd si non repugnaret, possent esse infinita. Vel dicite, quòd possunt esse infinita syncategorematicè, id est, non tot, quin plura, non verò infinita actualiter; nam ut patet in ipso Scoto eodem 2. dist. 1. q. 4. §. tenentes sub num. 22. v. ad aliud. *ad aliud de infinito in multitudine, & magnitudine responsum est prius in responsione de infinitate actuali animarum*; sed ibi negat Scotus posse esse animas actualiter: Ergo &c. Ubi commentator Scoti ait lit. F §. ad 2. sub num. 14. ad secundum de infinito patuit responsio, quia ex repugnantia ex parte creaturæ quòd sint infinitæ in actu, pariformiter dicendum est de infinitate numerali, & similiter de infinitate molis; & concludit, de ista tamen quæstione non multùm curandum est, cùm sit problematica, & utraque pars sustentabilis.

1312. Octa-

1312. Octavò arguitur: si Deus crearet simul omnes creaturas possibiles, vel tunc esset numerus eorum finitus, vel infinitus? Non finitus, quia quolibet finito creato potest Deus aliam infinitudinem creare individuorum: Ergo infinitus; sed non repugnat Deo omnia possibilia simul creare: Ergo neque creare infinitam multitudinem.

1313. Respondeo negando suppositum majoris, quia argumentum procedit ex falsa imaginatione, quòd creaturæ sint tantæ v. g. quibus creatis aliæ non sint possibiles, immò tot sunt possibilia, quot non involvunt repugnantiam, & cùm nulla sit repugnantia, quòd Deus semper, & pro infinito tempore causet, & nunquàm exhausta ejus virtus maneat, nunquàm potest Deus omnia possibilia creare, ita ut exhausta ejus virtus maneat, sed semper ut fons indeficiens quacumque multitudine creata potest alia, & alia creare, ita ut nunquàm possit ad finem pervenire, sed aut creatio quantumcumque pluribus alia in infinita plura valet producere, & sic nego suppositum, quòd Deus possit omnia possibilia efficere simul, ita ut alia sibi impossibilia maneant. Et sic contra illos argumentum retorqueo: admissa possibili multitudine infinita hominum suppono, quòd Deus illam simul crearet, & interrogo nunc creata ista hominum infinitudine potest Deus alium hominum creare? Dicunt, quòd sic, cùm non appareat repugnantia: Ergo jam illa multitudo hominum non erat infinita, quia infinito non potest fieri additio, neque creati fuerunt à Deo omnes homines possibiles, siquidem alius possibilis remansit extra illos. Videant quid respondeant ad hoc, & ego idem respondeam ad illos.

1314. Nonò arguitur: Deus potest in instanti *A*, unum hominem, & in instanti *B*, alium, & sic de aliis instantibus, quæ in una hora reperiuntur; sed in una hora infinita instantia reperiuntur: Ergo illi homines, quos Deus per unam horam crearet, essent infiniti. Patet; quia tot essent homines, quot instantia; sed instantia sunt infinita: Ergo & homines.

1315. Respondeo concedendo suppositum majoris, & distinguendo minorem: in una hora sunt infinita instantia actualia, & divisa, nego: infinita in potentia permixta, & se invicem communicantia, concedo: Ergo homines essent infiniti syncategorematicè, & in potentia, concedo: categorematicè, nego. Quod non implicare arbitramur: nam sicut continuum est divisibile in infinitum non actualiter, sed potentialiter, ita numerus est in infinitum augumentabilis, ita ut possit crescere in infinitum non actuale, sed possibile, id est non tot, quin plura.

1316. Sed contra dices: numerus hominum potest crescere in infinitum syncategorematicè, id est non in tot, quin in plures posit ulteriùs, & ulteriùs crescere; unde ergo provenit implicatio, quòd Deus illos homines omnes, quos per infinitum tempus potest creare, non posit simul creare in unica hora? Respondeo, quòd implicatio est, quòd divina omnipotentia, quæ est virtutis infinitæ, & inexhaustibilis fons, maneat exhausta, & sicut est implicatorium, quòd fons sit inexhaustibilis, & quòd exhauriatur, quia emittat simul to-

tam aquam, ita implicatorium est, quòd Deus creet simul omnia, quæ potest efficere, ita ut nihil sibi restet faciendum. Et dicta pro hac distinctione, & libro sint satis.

LIBER QUARTUS PHYSICORUM.

Postquàm in superioribus egimus de principiis, & causis corporis naturalis, nec non & de motu, actione, & passione, finito, & infinito; restat nunc in isto quarto libro Philosophum & Doct. Subt. insequentes agere de passionibus extrinsecis rerum naturalium, videlicet loco, vacuo, & tempore, quapropter librum istum sub unica distinctione absolvemus, quam in tres secabimus quæstiones; in quarum prima de loco, in secunda de vacuo, in tertia denique de tempore agemus, quapropter sit

DISTINCTIO UNICA,

In qua quidquid de loco, vacuo, & tempore ad nostrum institutum Physicum exspectat, discutitur.

CUM inter passiones extrinsecas, sive propritates accidentales, quæ corpori naturali adaptantur, prima, & præcipua sit locus, priùs de illo, & postea de aliis, quæ in titulo distinctionis petuntur, agere decrevi, quapropter sit

QUÆSTIO PRIMA,

Ubi an sit, & quid sit locus, discutitur.

ARTICULUS PRIMUS,

Ubi aliquibus præmissis ad quæsitum sit satis.

1317. PRimò suppono ex *Scoto in hoc 4. in expositione textus tertii Philosophi sub num. 2. §. hic prosequitur*, dari locum in rerum natura, quod communis Philosophorum consensus admittit, hisque rationibus à Scoto suadetur: illud est locus, in quo diversa corpora naturalia sibi invicem succedunt; sed diversa corpora naturalia sibi invicem succedunt in loco: igitur &c. Major est nota, minor apparet, quia videmus, quòd ubi prius fuit aqua, postea est aër; & ista ratio non solùm probat, quòd locus est, sed etiam probat, quòd locus est aliquid distinctum à corpore locato. Secunda ratio est; illud est ad quod corpora naturalia moventur naturaliter; sed ad locum corpora naturalia moventur naturaliter: igitur &c. Major patet ex se, & etiam minor; quia unumquodque corpus naturale existens extra suum locum naturaliter non prohibitum movetur ad suum locum, ut leve sursum,

ſum, & grave deorſum, quæ naturali deſiderio ſuæ conſervationis moventur ad illas partes, quæ ſunt differentiæ loci, & ratio probat, quòd locus habet virtutem.

1318. Secundò ex *Scoto in hoc* 4. *q.* 1. *num.* 4. *§. quantum ad ſecundum*, quòd multipliciter ſumitur locus: primo ſolet dici locus, Univerſum, in quo ſenſu ſolemus dicere intra univerſum, ſive in univerſo hoc eſt. Secundo modo locus accipitur pro patria, ſive magno corpore continente aliquid infra ſe, & ſic ſolemus dicere, quòd ſecundùm diverſitates locorum proveniunt diverſitates proprietatum in rebus naturalibus, & ſic dicit Ariſtoteles in hoc 4. text. 4. quòd locus eſt conſervativus locati. Tertio modo accipitur locus pro continente locatum immediatè, & iſto modo accipitur in iſto quarto.

1319. His præjactis ſic à Philoſopho in hoc 4. text. & comm. 41. & à Doct. Subt. in 2. diſt. 2. q. 6. §. ad quæſtionem igitur. num. 7. definitur locus: *locus eſt ultima ſuperficies corporis continentis immobilis primo.* Prima particula eſt *ſuperficies*, & eſt ratio quaſi generica, per quam convenit locus cum aliis ſuperficiebus, quæ locis inſunt. Secunda particula eſt *ultima*, per quam excluduntur à ratione loci aliæ ſuperficies, quæ ultimæ non ſunt, ſed partes continui continuantes, quia cum corpus continens aliud corpus non poſſit tangere illud, niſi penès ſuperficiem ultimam, ut videre licet in vaſe, quod tangit aquam ſolùm penes ſuperficiem concavam vaſis, & non penès partes ejus intrinſecas, ſolùm ſuperficies concava ultima, quæ tangit immediatè locatum, loci ſortitur rationem. Tertia particula nempè *corporis continentis*, per quam denotatur, non quamlibet ſuperficiem eſſe locum, ſed ſolùm illam, quæ continet, circuit, & ambit corpus locatum.

1323. Pro cujus majori intelligentia nota, quòd ſecundùm ordinem præfixum ab authore naturæ, & quem poſtulant res naturales, non poteſt dari vacuum in univerſo, & ſic omne corpus contentum intra ſphæram univerſi debet undique circumſcribi ab alio corpore ipſum continente, ſive immediatè tangente ſecundùm ultimam ſuam ſuperficiem, ita ut ſuperficies unius ſit cum ſuperficie alterius, ut ſuperficies aquæ à vaſis ſuperficie circumſcribitur, & ſuperficies vaſis à ſuperficie aëris, vel terræ, ſi vas ſit in terra foſſum, & ſuperficies aëris à ſuperficie alia.

1321. Duplex igitur eſt ſuperficies, alia concava, alia convexa: ſuperficies concava eſt illa, qua corpus ambiens, ſive continens continet, & ambit locatum, ut ſuperficies concava vaſis, qua ambit, & continet liquorem, vel aërem. Superficies convexa eſt illa, per quam corpus, quod ab alio corpore continetur, ambitur, ſive locatur, tangit, & conjungitur cum corpore locante.

1322. Quarta particula eſt *immobilis primò.* Pro cujus intelligentia nota ex *Scoto in hoc* 4. *q.* 3. *num.* 8. *§. iſtis dimiſſis, & in* 2. *cit. num.* 8. quòd locus ſupponit pro ſuperficie connotando continentiam locati, & cum hoc connotat ſitum, & ordinem locati reſpectu univerſi, ſcilicet in comparatione ad cœlum, & cor-

& corpora quiescentia mundi, & polos fixos universi. Unde locus potest dici idem dupliciter, uno modo simpliciter, alio modo secundùm æquivalentiam. Ille locus dicitur idem simpliciter, qui priùs fuit, quæ est eadem superficies, & cum hoc in eodem situ respectu universi, licèt superficies varietur v. g. arbor fixa in campis est in eodem loco secundùm æquivalentiam, in quo priùs fuit, licèt sit in alia superficie, vel ab alia superficie aëris ambiatur, propter hoc, quia ipsius arboris ad latera cœli, & ad corpora quiescentia mundi est tanta distantia, quanta erat prius: Idem dico de turre, quæ nunc ab aëris superficie ambitur, nunc ab aqua, & de arbore plantata secus decursus aquarum, quæ in eodem loco dicitur, etiamsi ab alia, & alia superficie aquæ circumscribatur.

1323. His præjactis dico, quòd locus sumptus pro ultima superficie, & circumscripto ordine, sive respectu ad corpus, quod continet, & ad latera cœli, & corpora quiescentia mundi non est immobilis, immò mobilis simpliciter, quia dato, quòd in eodem situ succedant superficies diversorum corporum circa aliquod corpus, propter hoc non movetur locus ejus, sed semper manet idem corpus æquivalenter.

1324. Sed contra istam ultimam particulam definitionis insurges sic: locus ex sua natura debet esse immobilis, & locatum mobile; sed multoties contingit, quòd superficies corporis continentis movetur, locato in eodem loco immobili manente: Ergo vel superficies ultima corporis continentis non est immobilis primò, vel non est locus. Major est definitio tradita pro loco. Minor verò probatur: quia arbore immota, & in eodem loco manente superficies aëris, à qua primò circumscribebatur, transit, & ad motum aëris, cujus est superficies, movetur, & alia, & alia superficies mutatur: Ergo potius locatum, arbor videlicet, erit immobile, quàm locus sumpto loco pro superficie. Et roboratur: quia aliter arbor moveretur, & non moveretur, quod manifestam involvit repugnantiam. Quòd moveretur probo: quia illud formalissimè movetur, quod amittit unum locum, & adquirit alium; sed arbor amittit unam superficiem aëris, & adquirit aliam, à qua de novo circumscribitur: Ergo si locus est superficies, & adquirit novam superficiem, adquirit novum ubi, & movetur. Quòd non moveatur, patet; quia in eodem loco arbor fixa manet, ubi antea erat, ut patet experientia: Ergo vel superficies non est locus, vel locus non est immobilis.

1325. Respondeo ex dictis num. 1322. concedendo in sensu ibi explicato, quòd locus est immobilis, sumptus locus non solùm pro superficie ambiente, sed etiam pro respectu ad locatum, & ad latera cœli, & partes fixas mundi; non vero sumpto loco pro sola superficie ambiente, nudè sumpta. Unde distinguo majorem: locus debet esse immobilis per æquiparantiam, concedo: debet esse immobilis, ita ut nunquàm deserat locatum, sive nunquàm pereat locus idem, dum manet locatum, nego. Et eodem modo distinguo minorem, & nego consequentiam. Ad confirmationem distinguo majorem: illud movetur formalissimè, quod adquirit novum locum, id est novam superficiem ambientem cum novo, & distincto respe-

respectu distantiæ, vel cum majori distantia ad latera cœli, & partes fixas mundi, concedo: quod adquirit solùm novam superficiem cum eodem situ, & eadem distantia per æquivalentiam, nego. Unde arbor fixa non movetur, etsi novam superficiem ambientem adquirat, quia in eodem situ, & distantia perseverat. Ad illud; quòd moveretur, & non moveretur, dico, quòd non movetur ob rationem dictam, quia ad motum non solùm requiritur, quòd adquiratur novus locus, sed etiam nova relatio distantiæ, vel propinquitatis, quam antea non habebat, & cùm hæc in arbore fixa eadem per æquivalentiam sit, hinc fit, quòd &c.

1326. Sed contra insurges: adveniente nova superficie, novum respectum ad partes fixas mundi, & ad locatum devenire necesse est; sed per nos tunc datur novitas loci, quando datur novitas superficiei ambientis, & novitas respectus ad locatum, & ad partes fixas mundi: Ergo & novus locus debetur: Ergo arbor fixa in terra quotiescumque ambitur à superficie distincta aëris mutatur localiter. Patet consequentia; quia novum locum adquirit non solùm secundùm superficiem, sed etiam respectum novum. Major probatur: quia adveniente novo fundamento advenit nova relatio: Ergo si superficies, quæ est fundamentum respectu ad locatum, & ad partes fixas mundi est nova, etiam respectus in illa fundatus novus erit: Ergo &c.

1327. Respondeo, quòd argumentum optimè probat, quòd si superficies est nova, etiam respectus in illa fundatus erit novus, & non idem met respectus, qui antea erat: cæterùm dicitur idem, non quia idem numero sit, sed quia æquivalet, & supponit pro illo altero respectu, qui perit, & est solùm per æquivalentiam idem; ut hæc vox *homo* nunc prolata, si iterùm proferatur eadem vox repetita appellatur, non quia sit eadem numero vox cum prima, quæ periit, sed quia idem habet significatum. Idem dico in nostro casu; quia licèt superficies sit alia, & consequenter alius respectus, nihilominùs ex eo quòd locatum maneat cum eadem distantia, & propinquitate ad partes fixas mundi, dicitur idem locus, non idem essentialiter, sed idem per æquivalentiam, ut jam jam manet dictum.

1328. Ex dictis habemus locum esse ultimam superficiem corporis continentis, quatenùs ultima, & indivisibilis superficies locantis locatum immediatè tangit, ambit, & circumscribit. Ex quo infertur primò locum duo dicere, & superficiem ambientem pro materiali, & continentia activa, sive respectu, tanquàm formali, quam continentiam activam esse relationem extrinsecùs advenientem suppono ex dictis in Logica, quod inde patet; quia cum locus sit in rerum natura, & similiter locabile, sive corpus, quod ab illo loco potest circumscribi, non datur relatio loci ad locatum, neque locati ad locum, donec à loco circumscribatur locatum, & locatum ambiatur à loco. Unde aula, quæ potest me locare, non dicitur meus locus, donec me ambiat, includat, & circumscribat.

1329. Secundò infertur, quod cùm superficies omnis sit de genere quantitatis, & continentia sive relatio loci continentis

ad

ad locum contentum ſit de genere relationis, non poteſt dari unica definitio, quæ utrumque comprehendat; unde locus cùm ſit concretum nequit definiri, niſi connotando unum in recto, & aliud in obliquo. Locus igitur in recto dicit relationem ad locatum, & in obliquo ſuperficiem, in qua fundatur, ut preſſè habet *Scotus q.* 11. *quodlibet.* §. *de ſecundo articulo. lit.* D. *&* §. *de* 3. *art. lit.* G. Et confirmatur ex dictis, quia locus eſt immobilis non ratione ſuperficiei, cùm iſta moveatur ſaltem per accidens ad motum corporis, cujus ſuperficies eſt, ſed ratione formalis continentiæ, quæ ad variationem extremorum variatur: Ergo non ſuperficies, ſed continentia formaliter, & in recto locum conſtituit.

1330. Tertiò infertur ſuperficiem in definitione loci poſitam potius induere rationem ſubjecti, ex quo, & continentia formali componitur locus, quàm rationem generis, ideoque conſultò dixi num. 1329. eſſe quaſi genus, & non eſſe propriè genus; unde talis definitio potiùs datur per ſubjectum, & accidentalem formam, quàm per genus, & differentiam propriè, & rigoroſè. Unde pro prioritate, quæ communiter aſſignatur loco, ut continere locatum, & nil aliud à locato continere, conſervare locatum, ſi locus ſit naturalis, quòd locus ſit æqualis locato, & aliæ hujus modi non ſunt paſsiones ſuperficiei, ſed accidentia illius, quæ ab illa poſſunt ſeparari, licèt non à loco, quia omnis locus adæquatus hæc omnia debet habere. Et dicta pro iſto articulo ſint ſatis, ut ad aliá tranſeamus.

ARTICULUS SECUNDUS;

Ubi quotuplex ſit locus oſtenditur, & aliquæ ejus proprietates declarantur.

1331. Locus primò dividitur in intrinſecum, & extrinſecum. Locus extrinſecus eſt, à quo corpus extrinſecè locatur, & de hoc verificatur definitio ſupra tradita pro loco, diciturque extrinſecus, quia ultima ſuperficies, à qua locatum ambitur, & circumſcribitur, extrinſecè ſolùm afficit locatum, quia in illo non ſubjectatur, ſive illi intrinſecè non inhæret; ſuperficies enim aëris, à qua ego circumſcribor in ipſo aëre eſt intrinſecè, & ſolùm per Phyſicum tactum tangit, & ambit me. Locus intrinſecus eſt, à quo res intrinſecè denominatur locata, ſic eſt illud paſsivum, ſive relatio extrinſecùs adveniens continentiæ paſsivè, à qua corpus locatum contentum paſsivè denominatur, quæ relatio fundatur in corpore beato, & terminatur ad ſuperficiem locantem, de qua poſtea aliquid dicemus; diciturque talis relatio locus intrinſecus, quia intrinſecè fundatur in locato, & ab illa formaliter intrinſecè tale denominatur.

1332. Secundò dividitur locus extrinſecus in locum communem, & particularem. Locus communis eſt, qui non ſolùm continet aliquod locatum in particulari, ſed ad plura continenda ex ſe eſt aptus natus, ut v. g. ſuperficies concava cœli, à qua omnia, quæ ſub cœlo ſunt, immediatè à cœli ſuperficie ambiuntur, & circumſcribuntur, ſed mediatè, id eſt medio aliquo corpore, à cujus ſuperficie aliud corpus circumſcribitur. Locus particularis, ſive pro-

proprius est ille, qui locato est ita proprius, ut ipsum solùm contineat, & non alium, ut aëris superficies, à qua arbor circumscribitur, quæ secundùm quod ambit arborem, & illi proprius locus appellatur, non continet, locat, & ambit aliud corpus.

1333. Tertiò dividitur locus extrinsecus, sive sumptus pro superficie locante, in naturalem, violentum, & neutrum. Locus naturalis dicitur ille, ad quem locatum dicit naturalem propensionem, & inclinationem, & in quo naturaliter quiescit, & conservatur, ut centrum respectu gravis, sursùm respectu levis, aqua respectu piscis, aër respectu hominis. Locus violentus est ille, qui circuit, & ambit locatum contra suam inclinationem naturalem, ad quem non solùm non dicit propensionem, immò habet renitentiam, ut sursùm respectu gravis, & deorsùm, seu centrum respectu levis, terra respectu piscis, & aqua respectu hominis, cùm piscis extra aquam moriatur, & homo in aquam demersus suffocetur. Locus neuter est, ad quem nec locatum dicit renitentiam, neque inclinationem, ut terra, aqua, vel aër respectu Angeli, vel Spiritus.

1334. Ulteriùs locus dividitur in circumscriptivum, & definitivum. Locus circumscriptivus est, qui circumscribit locatum modo divisibili, ita ut totus locus correspondeat toti locato, & pars loci parti locati. Locus definitivus est, qui taliter locat locatum, ut totus locus correspondeat toti locato, & quælibet pars loci similiter toti locato adaptetur, qui modus essendi in loco spiritibus adaptatur, qui cùm careant partiali quantitativa extensione; taliter est Angelus in loco, ut totus in qualibet loci parte, & totus in toto; nam esse definitivè in loco solùm dicit esse hic definitè, sive determinatè, & non alibi, cæterùm non quòd si locus sit divisibilis, quòd etiam locatum divisibili modo loco commensuretur.

1335. Prima, & præcipua loci proprietas est (si locus sit proprius, & non communis) quòd locus sit æqualis locato, quod ita debet intelligi, quòd illa superficies concava, quæ ambit immediatè locatum sit æqualis secundùm longitudinem, & latitudinem superficiei convexæ locati, & secundùm continentiam. Patet; quia si locus secundùm continentiam esset major locato, jam non esset locus proprius locati, ut patet de amphora, quæ capit aquam ad tantam quantitatem determinatam, in qua si recipiatur aqua in minori quantitate, non repletur amphora, & sic non erit amphora illius aquæ proprius locus. Probatur à *Scoto in hoc 4. q. 4. num. 5. §. 2. conclusio*, ubi ait: *locus est æqualis locato secundùm duas dimensiones, ita quòd superficies, quæ est locus, & superficies extrinseca locati sunt ad invicem æquales.* Probatur: quia illæ magnitudines sunt ad invicem æquales, quarum una suprapofita alteri neutra excedit reliquam; sed sic est de illis duabus superficiebus: Ergo &c. Major est principium in Geometria, minor probatur: locus superponitur superficiei locati, & neuter excedit reliquam, quia si altera reliquam excederet, jam non essent æquales secundùm continentiam.

1336. Sed contra dices: nullum continens est æquale contento per ipsum; sed locus

locus est continens locatum: Ergo locus est major locato. Probatur major: omne continens intra se claudit contentum; sed quod intra aliud continetur, est minus illo, à quo continetur: Ergo nullum continens est æquale contento. Minor probatur: quia vas v. g. quod capit aquam ad tantam mensuram, necessariò est majus ipsa aqua: Ergo &c.

1337. Respondeo distinguendo majorem: nullum continens est æquale contento, si continens, & contentum secundùm omnes suas dimensiones latitudinis, longitudinis,& profunditatis comparentur, concedo: quia evidens est, quòd illud corpus, quod continet, & circumscribit aliud, majus est quantitativè corpore à se contento: si comparentur continens, & contentum penès illas dimensiones, secundùm quas se tangunt, & commensurantur, nego: quia etiamsi cœlum sit majus igne, tamen superficies concava cœli (ut ait *Scotus ibidem num.* 87. est æqualis superficiei convexæ ignis, & sic de aliis, licèt vas sit majus aqua in illo clausa, & contenta; tamen superficies concava vasis est æqualis superficiei convexæ aquæ, siquidem taliter se tangunt, & commensurantur, ut una suprapośita alteri neutra reliquam excedat. Ad ejus probationem concedo majorem, & distinguo minorem: quod intra aliud continetur est minus illo secundùm illas dimensiones per quas se tangunt, nego: secundùm alias, concedo. Per quod patet ad argumentum.

1338. Secunda proprietas loci est,quòd locus si est naturalis, sit conservativus locati, quod non ita debet intelligi, quòd locus habeat aliquem influxum in locatum; nam cùm locus sit superficies de specie quantitatis, & quantitas non sit activa, nequit habere influxum, sed pro tanto dicitur locus locati conservativus, vel quia ibi invenitur aër temperatus, vel qualitates necessariæ ad conservationem locati, vel influxus astrorum; piscis enim extractus ex aqua moritur, non quia terræ superficies illi nociva est, sed quia in terra non invenitur frigiditas, & humiditas, quæ reperitur in aqua ad vitam piscis servandam.

1339. Tertia proprietas est quòd locus attrahit locatum, quod non debet intelligi, quòd in loco detur virtus attractiva, sed metaphoricè, eò quòd locatum ex eo quòd appetat sui conservationem, naturali propensione fertur in locum suæ naturæ aptum quasi invitatum, & allectum à loco. Alias plures proprietates loci, quæ minoris sunt notæ, omitto apud authores videndas.

ARTICULUS TERTIUS,

Quibus rebus conveniat esse in loco, & an omni corpori naturali locus adaptetur necessariò?

1340. SUppono primò cum *Scoto* in 2. *dist.* 2. *q.* 6. *§. ad quæstionem. v. tamen oppositum*: corpus non essentialiter petere esse in loco, ita ut implicationem involvat corpus esse,& à loco non circumscribi, nam bene potest Deus lapidem creare, & destruere omne aliud corpus,à quo posset locari, & in tali eventu lapis idem esset secundùm omne absolutum, quod dicit lapis, tamen necessariò corpus est locabile pasśivè, hoc est ex se aptum natum est esse in loco,

loco, si locus sit, à quo possit locari. Unde locabilitas passiva erit passio corporis, esse autem actualiter locatum erit accidens à corpore separabile, saltem per divinam potentiam.

1341. Dico primam conclusionem: omne ens tam creatum, quàm increatum habet tanquam passionem, & proprietatem intrinsecam esse locabile: patet de ente infinito, Deo videlicet, qui ab intrinseco immensus est, & ratione suæ immensitatis petit omnem locum occupare, quandocumque locus sit. Unde Deus antequàm conderet universum, erat in seipso immensus, id est nulla mensura creata mensuratus, cùm omnem talem mensuram infinitè excedat, & nunc est ubique omnia replens secundùm essentiam, præsentiam, & potentiam, de quo in Theologia. Patet etiam de Angelo, qui ex se, cùm natura finita, & limitata sit, petit esse definitivè in loco, taliter esse hîc, vel ibi, quòd non sit alibi, nam Angelus v. g. qui est in terra, non est in cœlo, & è contra, & qui Antiquariæ, non est Hispali, & qui in hac aula, non est in foro. Patet etiam de corpore quanto Petri v. g. quod ab aëris hujus superficie circumscribitur, & ambitur; omitto ubi sacramentale, quo Christi Domini corpus est in Eucharistia, quod alterius rationis, & ordinis est, & de illo in sacra agitur Theologia.

1342. Sed ut res clariùs percipiatur, nota, quòd omnia corpora naturalia possunt in quatuor dividi classes, in quarum prima ultima solùm sphæra collocatur hoc ultimum cœlum, in secunda reliqui cœlestes orbes, in tertia corpora elementaria ignis, aëris, aquæ, & terræ, in quarta denique omnia corpora mixta, sive animata sint, sive inanimata; de orbibus cœlestibus, elementis, & mixtis non est dubium, quin sint in loco, unde terra est in aqua, aqua in aëre, aër in igne, ignis in concavo lunæ, sive cœli inferioris, & sic de aliis; & ratio est, quia omnia corpora sunt contigua ex omni parte: Ergo necesse est, quòd unum illorum ambiat aliud undique: Ergo cùm servent inter se ordinem superioris, & inferioris, necesse est, quòd unus sit alterius locus.

1343. Dico secundam conclusionem: ultima sphæra non est in loco actualiter positivè. Ita Scotus in 4. dist. 10. q. 2. num. 6. & probatur: illud corpus non est in loco actualiter positivè, quod non habet supra se aliud corpus, à cujus superficie ambiatur, & circumscribatur; sed ultima sphæra eò quòd ultima ita se habet: Ergo &c. Quòd si dicas, quòd circumscribitur illa ultima sphæra ab ultima sui superficie convexa: dico, quòd verum est, sed non inde sequitur, quòd sit in illa tanquàm in loco, quia superficies locans debet esse distincta à superficie locati. Sed dices, quid est extra illam ultimam sphæram? Dico, quòd nihil, sed quoddam imaginarium spatium, quod mens nostra fingit, quod sistit in mera carentia, sive negatione ulterioris corporis, à qua negatione, sive carentia ulterioris extensionis circumscribitur ultima sphæra illa, & sic erit in loco negativè, non verò positivè, cùm positivè non ab alio circumscribatur corpore.

1344. Quòd autem omnia corpora naturalia creata sunt in loco circumscriptivè,

patet, quia esse in loco circumscriptivè nihil aliud est, quàm circumscribi à loco taliter, quòd locatũ faciat distare latera continentis; sed omne corpus naturale quantum taliter circumscribitur à loco, quòd faciat distare latera continentis; non enim potest naturaliter unum quantum cum altero penetrari: Ergo omne corpus naturale creatum quantum est in loco circunscriptivè.

1345. Dico secundò: si corpus substantiale à quantitate separatum existeret, esset in loco, ut ait *Scotus in 2. dist. 12. q. 2. §. respondeo. v. & si quæras, num.* 5. definitivè, hoc est taliter hic, non alibi, quia cùm quantitas sit, quæ facit distare latera continentis, & tale corpus esset sine quantitate, ut supponitur, non circumscriberetur à corpore locante, immò cum illo penetraretur, ita tamen ut pars loci corresponderet parti locati, totus locus toti corpori substantiali locato non circumscriptivè impenetrabiliter, sed penetrabiliter, & inter sese penetratis.

1346. Infertur ergo ex dictis, quòd in quolibet corpore substantiali quanto præter præsentiam circumscriptivam, qua gaudet ratione quantitatis, dantur tot præsentiæ definitivæ, sive tot ubi, quot entitates realiter distinctæ, sive sint substantiales, sive accidentales; unde in homine v. g. hic existente datur locus circumscriptivus, à quo ambitur, & circumscribitur ratione quantitatis. Datur ibi definitivum spirituale correspondens animæ, eò quòd anima sit definitivè præsentialiter huic loco. Datur alia præsentia correspondens materiæ, quia verum est dicere, quòd materia prima hominis est præsentialiter in hoc loco. Datur alia præsentia correspondens formæ corporeitatis, & alia correspondens calori, & alia frigiditati, albedini, & sic de aliis, quia omnia ista loco coexistunt unumquodque juxta modum essendi in loco sibi proportionatum. Circa hæc ferè nulla est controversia, & si aliqua est, illam omittimus apud authores videndam.

ARTICULUS QUARTUS,

Utrùm duo corpora naturaliter, vel saltem divinitùs possint esse circumscriptivè in eodem loco?

1347. Communis tenet sententia cum Scoto in 4. dist. 49. q. 6. duo corpora quanta naturaliter non posse in eodem existere loco circumscriptivè: quod sic probatur: quia ut duo corpora quanta sint in eodem loco naturaliter, requiritur necessariò talium corporum penetratio; sed hæc naturaliter impossibilis est: Ergo &c. Major ex se patet, non enim potest esse aqua, ubi est ignis, quin aqua & ignis penetrentur. Minor probatur: quantitas ex eo quòd extensa semper ratione suæ quantitativæ extensionis excludit à loco, in quo est, partes alterius quanti: Ergo penetratio actualis impossibilis naturaliter est. Et confirmatur: quia experientia constat, quòd in ingressu unius corporis quanti in aliquem locum, sequitur præexistentis corporis expulsio, ut si in vase aquam immittas, expellitur ab aqua ingrediente aër, quo vas erat præoccupatum: Ergo evidens est, quòd naturaliter sunt incomposibilia aër, & aqua, & sic de aliis. Probatur consequentia; nam ideo dicimus duas formas substantiales non subordinatas esse in eadem materia naturaliter incomposibiles, quia adveniente una forma destruitur alia: Ergo si aliquo corpore quanto advenien-

veniente expellitur ab eodem loco aliud, signum evidens est, quòd talia corpora sunt in eodem loco incompossibilia.

1348. Circa secundam articuli partem deveniendo, communis tenet sententia *cum Doct. N. Subt. in 4. dist. 49. q. 16. §. respondeo. num. 17.* Divo Thoma in 4. dist. 44. q. 2. art. 2. & eorum sectatoribus, duo corpora quanta divinitus eodem posse circumscribi loco. Accipite verba Scoti: *dico, quòd inter quantitatem, & quantitatem non est repugnantia formalis, neq; inter situm, & situm, neq; inter ubi, & ubi.* Quod latè ibidem prosequitur, & probat Scotus, ut videre licet in ipso textu.

1349. Dico ergo hanc conclusionem pro responsione quæsiti: duo corpora quanta, vel plura divinitùs possunt esse circumscriptivè in eodem loco. Hanc adstruo conclusionem contra Durandum oppositum opinantem in 4. dist. 44. q. 6. Et probatur primò ex articulo fidei, quo fateri tenemur Christum Dominum ex intacta virgine gloriosa esse natum absque integritatis virginalis læsione; sed non potuit Christus exire ex materno utero absq; læsione virgineæ integritatis, absque penetratione unius quanti cum alia: Ergo duas quantitates penetrari operante virtute nullam secum involvit implicationem. Item Paulus ad Hebræos 4. ait: *habentes ergo Pontificem, qui penetravit cœlos Iesum:* Ergo ex sacra constat pagina Christum Dominum quantum cœlos quantos penetrasse. Item Joannis cap. 2. v. 26. constat, quòd Christus ad Discipulos intravit januis clausis, ait enim Joannes: *venit Jesus januis clausis, & stetit in medio,* &c.; sed Christus non potuit ingredi januis clausis absque penetratione suæ quantitatis cum quantitate portarum, vel parietum: Ergo &c.

1350. Probo igitur conclusionem ratione fundamentali, qua eam probat Scotus loco supra citato: si aliqua obstaret ratio quominùs duo corpora quanta eundem occuparent locum, esset incompossibilitas unius quantitatis cum quantitate alterius; vel impenetrabilitas, quam sibi vindicat quantitas; sed hæc ratio non obstat, quominùs per divinam potentiam possit fieri: Ergo &c. Minor probatur: impossibilitas quanti ad quantum existendi in eodem loco, non est nisi sicut impossibilitas causæ essendi sine suo effectu naturali; sed Deus potest conservare causam naturalem etiam applicatam ad agendum sine suo naturali effectu, ut patet de pueris in fornace Babylonica existentibus: ergo & potest conservare duo quanta in eodem loco, quin unum aliud expellat. Probo majorem: unum quantum expellere aliud ab eodem loco, est effectus naturalis quantitatis: Ergo impossibilitas quanti ad quantum &c. Patet; quia impossibilitas non est passio intrinseca quantitatis, sed modus quidam accidentalis suæ naturæ debitus; sed Deus potest facere rem sine illo, quod non est de ejus essentia, sive passio intrinseca: Ergo.

1351. Dico secundam conclusionem: duo corpora quanta ab eodem intrinseco loco circumscribi manifestam involvit contradictionem, etiam posse absoluto attento. Pro cujus majori intelligentia suppono ex dictis num. 1331. quòd locus intrinsecus est relatio extrinsecùs adveniens fundata in corpore locato, & terminata ad superficiem concavam corporis locantis, à qua corpus denominatur intrinsecè formaliter

maliter locatum. Nunc probo conclusionem: multiplicato termino, vel fundamento, necessariò multiplicatur relatio; patet de Petro habente plures Filios, qui unica paternitate nequit illos omnes respicere; sed necessariò habet tot relationes, quot Filios; de fundamento etiam est evidens, ut patet de duobus albis, quæ ad unicum referuntur relatione similitudinis; sed posito in eodem loco extrinseco corpore novo quanto ponitur distinctum fundamentum relationis ubicationis ad locum, sive superficiem terminatæ: Ergo necessariò ponitur nova relatio in illo, sive novus locus extrinsecus.

1352. Et confirmatur: quia illa relatio ubicationis, quæ erat intrinsecè inhæsivè in corpore *A*, v. g. à qua intrinsecè denominatur tale corpus locatum formaliter, non potest intrinsecè subjectari in alio corpore *B*, v. g. de novo adveniente in eodem loco extrinseco, patet, quia accidens nequit transire de subjecto in subjectum: Ergo cùm corpus *B* sit in eodem loco extrinseco, in quo erat corpus *A*, necessariò debet habere novum ubi intrinsecum, à quo formaliter denominetur intrinsecè circumscriptivè locatum.

1353. Hæc conclusio expresè habetur à Scoto loco supra cit. ubi ait; *Unde dato quòd in hoc corpore sit hoc ubi, & in alio aliud ubi, ista duo ubi non repugnant formaliter, quia hoc ubi est in uno corpore, & aliud in alio*: & paucis interjectis: *quia duos respectus extrinsecos esse in diversis, non ad diversos terminos non est impoßibile.* Et illam volui apponere, ut clarius mens Scoti percipiatur, quia Scotistæ in hac difficultate cum magna confusione se gerunt, non præscindendo, sive distinguendo de ubi intrinseco, & extrinseco, cùm tamen ex horum diversitatis intelligentia pendeat hujus quæsiti integra, & adæquata intelligentia.

Argumenta contra dicta.

1354. Primò arguitur: duo corpora quanta non possunt eundem occupare extrinsecum locum, quin penetrentur; sed penetratio est impossibilis: Ergo etiam erit impossibile duo corpora quanta ab eodem circumscribi loco. Major supponitur ex dictis num. 1347. Minor probatur: impenetrabilitas est passio saltem intrinseca quantitatis: Ergo repugnat quantitati penetrari. Patet consequentia; quia esse impenetrabile, & actualiter penetrari se opponunt contradictoriè, sicut non esse intelligibile, & actualiter intelligi, esse irrationale, & actualiter ratiocinari. Antecedens probatur: quantitas est radix omnis impenetrabilitatis: Ergo impenetrabilitas est ejus passio.

1355. Respondeo concedendo majorem, & negando minorem: impenetrabilitas enim non est passio intrinseca quantitatis, ut dixi num. 1350. sed quidam modus accidentalis sibi superadditus, qui potest à Deo impediri, & separari saltem quoad exercitium. Sed contra dices: impossibile est duas partes continuas quantitatis penetrari: Ergo & duo quanta, cùm non sit major ratio unius, quàm alterius. Probo antecedens: si duæ partes continuæ quantitatis possent penetrari: Ergo & omnes; sed hoc implicat: Ergo & quòd duæ partes

partes penetrentur. Minorem probo: quantitas essentialiter habet extensionem partium, hoc est, essentialiter petit ex sua intrinseca ratione habere partes extra partes, sed illa quantitas, cujus partes penetrarentur, non haberet partes extra partes, immò unam partem intra aliam per penetrationem: Ergo impossibile est, quòd quantitas sit, & quòd ejus partes penetrentur: Ergo &c.

1356. Respondeo ad argumentum negando antecedens, & ad ejus confirmationem concedo majorem, videlicèt, quòd omnes partes continuæ hujus ligni possint penetrari inter se se; & negando minorem: & ad ejus probationem concedo majorem, & distinguo minorem: quantitas essentialiter habet extensionem partium in ordine ad se, sive habet partes extra partes in ordine ad se, concedo minorem: in ordine ad locum iterùm subdistinguo: habet partes extra partes extensas aptitudinaliter in ordine ad locum, concedo: actualiter extensas in ordine ad locum, nego. Nam Christus Dominus essentialiter est quantus, & nihilominùs non est extensus actualiter localiter in Eucharistia, & in tali eventu, quòd duæ partes quantitatis continuæ penetrarentur, illa quantitas haberet extensionem partium in ordine ad se, non verò in ordine ad locum actualiter, ex quo nihil contra nos.

1357. Terriò arguitur: ex hac sententia sequeretur, quòd Deus posset totam aquam maris abbreviare, sive ad tantam paucitatem spatii reducere, ut aqua non destructa, neque ejus quantitate non diminuta non occuparet majorem locum, sive majus spatium, quàm nunc occupat gutta aquæ. & similiter quòd mons magnus pertransiret per foramem acus, & quòd totus universus intra latitudinem modicissimi vasis contineretur; sed hæc omnia ridicula apparent: Ergo & illud ex quo sequitur.

1358. Respondeo concedendo majorem, quòd Deus posset illa omnia facere, cùm nullam secum afferant contradictionem, quia sicut modò ut fides docet Christus quantus abbreviatur in Eucharistia ad modicissimam partem hostiæ, ita posset Deus totam aquam maris penetrare inter se se, & illam facere, quòd non occuparet majus spatium, quàm modò occupat gutta, & ex hoc nil ridiculum sequitur.

ARTICULUS QUINTUS;

Utrùm idem numero corpus à duobus locis adæquatis poßit circumscriptivè locari per Dei absolutam potentiam?

1339. Difficultas, quæ impræsentiarùm dilucidanda se offert, præcipua est inter omnes Philosophiæ; pro cujus enucleatione suppono, quòd quæstio non inquirit, utrùm casus possibilis sit naturaliter? quia evidens est, quòd ad hoc quòd corpus meum v. g. acquirat aliud ubi, sive ad hoc, quòd in alio loco locetur adæquatè necesse est quod desinat locum, quem de facto occupat, non enim possum esse in foro simul; unde per deperditionem unius præsentiæ localis acquiritur alia. Petit igitur titulus, utrùm id possibile sit saltem per divinam, & absolutam potentiam, taliter quod Petrus simul sit Romæ, & Hispali.

1360. Secun-

1360. Secundò ſuppono, quòd quæſtio non procedit de duobus locis ſupernaturalibus, utrùm videlicet poſſibile ſit, quòd idem numero corpus in duobus locis ſupernaturaliter exiſtat; nam fide credendum eſt, quòd Chriſtus Dominus modo Sacramentali ſupernaturali in duobus hoſtiis exiſtit Hiſpali, & Antiquariæ; nec de uno loco circumſcriptivo, & alio ſupernaturali, quia etiam, ut fides docet, Chriſtus Dominus, qui ſic eſt in cœlo circumſcriptivè modo extenſo, in Euchariſtia modo Sacramentali in extenſo exiſtit; & ſimiliter quando Chriſtus admirabile Sacramentum inſtituit in Dominica cœna, extra panem exiſtebat localiter modo circumſcriptivo extenſo, & in pane conſecrato modo indiviſibili, & Sacramentali ſupernaturali, ſed ſolùm petit, utrùm idem corpus modo extenſo, & circumſcriptivo poſſit à duobus adæquatis circumſcriptivis locis circumſcribi hic, & Hiſpali, ſive alio in loco.

1361. Prima igitur ſententia circa præſentem difficultatem affirmat, non eſſe poſſibile etiam de abſoluta Dei potentia idem numero corpus à duplici circumſcribi loco. Hanc tuentur ſententiam Divus Thomas in 4. diſt. 10. q. 2. art. 2. & 3. part. q. 76. Divus Bonaventura in 4. diſt. 44. art. de dote ſubtilitatis. Vaſquez tom. 3. in 3. pt. diſp. 189. quos quàm plures tam ex Jeſuitis, quàm Thomiſtis ſequuntur, cujus fundamentum infra in argumentorum ſolutione proponam, & ſatisfaciam.

1362. Secunda autem ſententia, & noſtra firmiter defenſanda concluſio affirmat, idem numero corpus à duplici poſſe circumſcribi loco, taliter quòd hic ſit circumſcriptivè, & modo naturali extenſo quantitativè, & Hiſpali, ſive alio in loco. Hanc patrocinatur ſententiam *Noſter Subtiliſſimus Doctor in 4. diſt. 10. q. 2. per totam, & præcipuè §. dico ergo ad quæſtionem, ſub num.* 11. ubi ait: *dico ergo, quòd Deo ſimpliciter eſt poſſibile idem corpus ſimul facere in diverſis locis localiter.* Quod latè ibidem proſequitur, & probat. Scotum ſequuntur Bellarminus lib. 3. de Euchariſtia cap. 3. & 4. Conimbricenſes in hoc 4. cap. 5. q. 5. art. 2. Suarez 2. tom. ſuæ Metaph. diſp. 44. ſect. 4. Rubius in hoc 4. q. 7. Hurtado diſp. 14. ſect. 5. & alii quàm plures, eſtque jam maximè recepta ſententia ferè apud omnes hujus tempeſtatis Philoſophos.

1363. Probatur ergo concluſio ratione fundamentali, qua eam probat Scotus loco citato: corpus circumſcribi adæquatè ab aliquo loco nihil aliud eſt, quàm quod corpus habeat reſpectum extrinſecùs advenientem fundatum in ipſo corpore quanto, & terminatum ad locum, ſive ſuperficiem circumſcribentem; ſed talem reſpectum extrinſecùs advenientem plurificari ſuper idem fundamentum ad diverſos terminos non apparet contra aliquid notum ſecundùm rationem, ſive non includit contradictionem: Ergo &c. Major probatur: quia ubi non eſt aliquid in corpore, quàm relatio extrinſecùs adveniens fundata in corpore quanto, quod locatũ denominatur, & terminatur ad ſuperficiem locantem. Minor probatur: reſpectus extrinſecùs advenientes, de quibus minùs videtur, poſſunt plurificari fundamento eodem manente ad diverſos terminos, ut ſuper eandem albedinem poſſunt duæ ſimilitudines fundari ad diverſos terminos: Ergo &c.

1364. Et

1364. Et roboratur hæc ratio ex *Scoto ibidem, v. sed exclusa:* plurificato posteriori non est necesse prius plurificari; sed ipsa ubi sunt manifestè posteriora ipso quanto locato, & accidentaliter, & contingenter advenientia: Ergo plurificatione ubi potest stare identitas corporis locati, quod est ipso ubi prius. Quòd si dicant, quòd unum ubi adæquat totam rationem corporis quanti, in quantum locabile est, & ideo non potest idem corpus ab alio loco locari. Hoc videtur, ait Scotus, sine ratione dictum, quia respectus, qui oritur ex natura fundamenti magis videtur adæquari fundamento, quàm illi, quod extrinsecùs advenit cæteris paribus; sed ad duos terminos possunt esse in eodem fundamento duos tales respectus orientes ex natura fundamenti, ut duæ æqualitates ad duo quanta æqualia: Ergo sine ratione fingitur, quòd hic unus respectus adæquatur.

1365. Secundò probo conclusionem ratione etiam fundamentali, qua probatur à *Scoto in loco cit. §. contra istam opinionem. v. in speciali sub num.* 5. non minus inconveniens est duo corpora esse simul in eodem loco, quàm idem corpus in duobus locis; sed Deo est impossibile primum, ut patet ex dictis art. præcedenti n. 1348. & sequentibus: Ergo & secundum. Probo majorem: quia sicut locatum potest commensurari loco, ita locus potest commensurari, & proportionari locato, sed non implicat eundem locum duplici commensurari locato: Ergo neque implicat unum locatum duplici proportionari loco.

1366. Tertiò probatur ratione *Scoti,* quæ habetur ibidem. *v. arguo ergo n.* 9. supponendo ex fide, quòd corpus Christi Domini est verè, & realiter præsens in hostia consecrata hic, & Romæ, licèt non dimentionaliter extensivè, sed Sacramentaliter, & modo indivisibili. Ex quibus sic formo discursum: non implicat contradictionem corpus quantum Christi Domini esse præsentialiter hic, & Romæ in duabus hostiis: Ergo non implicat contradictionem idem corpus Christi Domini esse circumscriptivè localiter hic, & Romæ; & idem dico de alio corpore quanto, quodcumq; sit. Antecedens est de fide, & à nemine negatur. Consequentiam probo (ait Scotus) *ubicumq; potest Deus facere substantiam naturalem, non sub modo suo naturali, sed sub modo sibi opposito, potest eam facere sub modo suo naturali, seu convemente suæ naturæ.* Patet; quia in faciendo primum est duplex miraculum, scilicet, quòd sit corpus in duplici loco, & quòd non sit sub modo quantitativo extenso petito à sua natura, unum verò tantùm in faciendo secundum; sed Deus potest facere corpus Christi sic locatum, & facit de facto Sacramentaliter, id est, non sub modo suo naturali simul in diversis locis: Ergo potest idem facere ei sub modo naturali, scilicet localiter, & dimensivè:

1367. Quartò probo conclusionem ex eodem *Scoto sub n.* 10. *v. arguo sic.* Angelus potest esse simul definitivè in pluribus locis etiam secundùm contrarios: Ergo & corpus circumscriptivè. Probatur consequentia; sicut Angelus petit ex sua natura esse alicubi definitivè, id est taliter esse hic, quòd non alibi, ita corpus proportione servata petit esse in aliquo loco circumscriptivè; sed Angelus potest esse simul hic, & Romæ

 defini-

definitivè: Ergo & corpus quantum circumscriptivè.

1368. Quintò probatur: quòd corpus sit circumscriptivè in loco, non tollit, quòd corpus possit ab alio loco circumscribi; sicut quòd materia sit informata una forma, non tollit, quin materia sit ab alia forma informabilis: Ergo corpus, quod est circumscriptivè in hoc loco, potest ab alio circumscribi loco. Probo antecedens: quòd corpus sit circumscriptivè in hoc loco, solùm dicit, quod corpus sit dimensum naturaliter in isto loco, taliter quòd totum corpus correspondeat toti loco, & pars locati parti loci; sed quòd corpus taliter sit in isto loco, non tollit quin ab alio loco possit locari: ergo &c. Probatur: quia si tolleret quominùs posset locari ab alio loco, maximè quia ex eo quòd corpus circumscriberetur à loco, non posset corpus esse extra illum locum; sed hoc non est ita, cùm corpus Christi Domini, quod circumscriptivè est in cœlo, extra cœlum sit in sacramento altaris: Ergo esse corpus circumscriptivè in loco isto non dicit negationem existendi hoc corpus extra talem locum, potest corpus esse extra illum locum, à quo circumscribitur: Ergo potest esse extra illum locum etiam circumscriptivè.

1369. Probatur etiam ex historiis sacris Sanctorum, & Patrum, ubi legitur in vita Petri, quòd Petro Romæ fugiens ad Portam Latinam apparuit & Christus, quem Petrus interrogavit: *Domine quo vadis?* Et Christus respondit: *iterum crucifixi Romam*: ubi capella hujus rei monumentum extat, & vestigia Christi infixa lapidi; sed Christus erat tunc in cœlo circumscriptivè, & nihilominus modo extenso, & circumscriptivo apparebat in terris: Ergo &c. Item ex Actorum cap. 9. constat, quòd *Paulus ut appropinquaret Damasco subito circumfulsit lux de cœlo, & cadens in terram audivit vocem dicentem sibi Saule, Saule quid me persequeris?* Qui dixit: *quis est Domine?* Et ille: *ego sum Jesus, quem tu persequeris.* Et infra Ananias ad eundem Paulum dixit: *Saule frater, Dominus Jesus misit me, qui apparuit tibi in via, qua veniebas*: Ergo ipse Jesus, cùm simul in cœlo existeret modo extenso, in via apparuit in terris Paulo, & non Angelus in forma Christi, [redacted]: nam verba Scripturæ non sunt retorquenda ad alium sensum, quàm præ se ferunt, maximè cum ex talium verborum intelligentia nulla sequatur implicatio. Item ex celebri illo miraculo de nostro Paduano Antonio in duplici existente loco Ulisipone, & quadam ex Italia civitate. Alias possem hujus rei afferre comprobationes tam ex ratione, quàm ex miraculosis Christi apparitionibus, quas brevitatis causa omitto apud authores videndas.

Argumenta contra dicta.

1370. PRimò arguitur contra nostram conclusionem authoritate Sacræ Scripturæ, Matth. cap. 28. ubi mulieribus Christum requirentibus in sepulchro dixit Angelus: *Jesum, quem quæritis, non est hic, surrexit enim.* Ubi advertenda est illa particula causalis *enim*, quæ in sensu illativo est construenda, quasi diceret Angelus, *surrexit ergo, non est hic in sepulcro.* Vel

sic:

sic: *surrexit enim, non est hic*; sed si corpus Christi posset esse in pluribus locis illa illatio non valeret: Ergo idem corpus in pluribus locis nequit esse. Probo minorem: quia si Christus posset esse simul in sepulcro, & extra sepulcrum, non diceret Angelus: *surrexit enim, non est hic*: Ergo ut ut ratio Angeli alicujus sit vigoris, fatendum est idem corpus in pluribus locis non posse esse.

1371. Respondeo, quòd illa particula *enim*, non est intelligenda illativè, nam omnis illa propositio simpliciter assertiva est, ac si diceret Angelus, *Jesus non est hic, surrexit enim*, quia jam de sepulcro exivit, vel si intelligatur illativè, & sit sensus, quia surrexit non est hic in sepulcro, loquitur Angelus more humano, & secundùm potentiam ordinariam Dei, non verò secundùm absolutam potentiam, ut si diceret, surrexit, ergo non est hic in sepulcro mortuus, & hæc consequentia bene infertur de potentia ordinaria, & modo ordinario operante, non autem de potentia absoluta, penes quam poterat Christus simul esse vivus in sepulcro, & alibi.

1372. Secundò arguitur ab adversariis authoritate Divi Augustini, qui lib. 10. contra Faustum, cap. 11. ait: Christum Dominum non posse esse in sole, & luna modo extenso: Ergo secundùm ipsum idem corpus à duplici nequit loco locari. Respondeo, quòd in toto illo libro talia verba non reperiuntur, immò nec verba alia illis æquivalentia, & sicut falsè citatur cap. 11. cùm tamen liber talis sub tribus comprehendatur capitibus, & non sub undecim, ita verba talia falsò illi tribuuntur. Etiam solet citari idem Augustinus cap. 3. & 57. & 2. pt. 11. & Anselmus in Monologio cap. 20. & 21. quorum authoritates, sive verba, si aliqua talia sunt, debent intelligi naturaliter, hoc est, quòd idem corpus non possit esse naturaliter in pluribus locis, non verò inde sequitur, quòd supernaturaliter divina operante potentia absoluta nón possit.

1373. Tertiò arguitur: quantitas, quæ est ratio saltem fundamentalis essendi in loco circumscriptivè est infinita: Ergo limitatur ad unum locum. Patet consequentia, quia finitum nequit in infinitis locis locari; tunc sic extensio quantitativa in ordine ad locum ponit extensionem in ordine ad se; sed extensio in ordine ad se est tantùm una, ita ut nec de absoluta potentia possint esse plures in eodem quanto: Ergo duplex extensio in ordine ad locum supponit duplicem extensionem in ordine ad se; hæc est impossibilis: Ergo & illa.

1374. Respondeo concedendo antecedens, & distinguendo consequens: Ergo limitatur ad unum locum occupandum sua attenta natura, concedo consequentiam: divina omnipotentia inspecta, nego consequentiam. Ad reliquum argumenti, concedo antecedens, & nego consequentiam, quia licèt verum sit, quòd extensio partium in ordine ad se supponatur in quanto ad extensionem ejus in ordine ad locum, tanquàm causa ad suum effectum; non tamen benè infertur, est duplex extensio quanti in ordine ad locum: Ergo duplex in ordine ad se, quia ex multiplicatione effectuum non benè infertur multiplicatio causæ, cùm ab eadem virtute intrinseca causæ possint quàm plures provenire effectus.

Xx 3 1375. Quar-

bien se conoce lo poco versado que esta el autor en S. Agustin pues dice no auer en el Santo tales palabras y podia haser juizio era ierro de inprenta, como lo es. Lea el cap. [illegible] del libro 20. Litera. C.

1375. Quartò arguitur: idem temporale nequit nec dependentia absoluta esse in pluribus temporibus simul: Ergo neque idem corpus in pluribus locis. Antecedens est certum: non enim potest Deus, quòd Petrus v. g. simul sit in hodierna, & in crastina die, sive præterita simul, & semel. Consequentiam probo: sicut se habet temporale ad tempus, ita locabile ad locum; sed idem temporale nequit diversis mensurari temporibus simul: Ergo neque idem locabile, sive corpus duplici loco locari.

1376. Respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam, & ad ejus probationem nego majorem: & ratio est per se manifesta; ratio enim quare Petrus non potest esse simul in hodierna, & crastina die, est quia hodierna die, & crastina simul coexistere non possunt, cùm de ratione temporis, eò quòd ens successivum sit, quòd ejus partes semel coexistere non valeant, sed necessariò una desinit esse simul, & de facto sunt; unde non implicat, quòd in duobus locis idemmet corpus sit, & implicat, quòd in diversis temporibus simul idem sit temporale, non temporalis defectu, sed defectu temporum, quæ simul inveniri repugnant.

1377. Quintò arguitur: idem corpus potest esse in pluribus locis: Ergo & in infinitis. Patet consequentia; si infinita forent loca, vel Deus posset ponere idem corpus in omnibus illis, vel non? si primum: Ergo tale corpus esset immensum, & infinitum. Probo consequentiam: quia nullum ens præter infinitum est ubique, sive in omni loco: Ergo esset infinitum, & immensum. Consequens est impossibile, & contradictionem involvens: Ergo & antecedens, ex quo sequitur. Si autem dicamus, quòd Deus non potest ponere idem corpus in omnibus locis, quare ergo potest illud ponere in duobus, cùm non sit major ratio de duobus, quàm de tribus, & sic in infinitum.

1378. Respondeo concedendo antecedens, & simul consequentiam, ut habetur expressè à *Scoto loco cit. sub num.* 14. *v. & cùm dicitur*: si enim essent loca infinita, in omnibus illis posset Deus idem quantum locare taliter, quòd in eodem homine in diversis locis posito posset magnus exercitus apparere; & nego, quòd tale corpus esset infinitum, & immensum; & ad ejus probationem distinguo majorem: nullum ens præter infinitum est ubique ex sua natura, concedo: per divinam potentiam, nego. Nam licèt verum sit, quòd infinitum solùm petit esse ubiq;, tamen corpus, quod esset in omni loco, & ubique, non esset immensum & infinitum. Quia non esset ubique, petitum à sua natura, sed quatenùs subjicitur omnipotenti manui Dei.

1379. Sextò arguitur: si corpus esset in duobus locis, sequeretur, quòd idem respectu ejusdem esset æquale, & inæquale, majus, & minus; hoc implicat: Ergo &c. Probo majorem: corpus locatum necessariò esset æquale loco locanti: Ergo si in duobus esset locis, esset utriq; simul æquale: sed duo æqualia simul sumpta in duplum excedunt unum: Ergo illa duo loca in duplum excederent corpus locatum: Ergo idem corpus esset æquale illis duobus locis simul, & inæquale, cùm ab illis in duplum excederetur.

1380. Respondeo negando majorem, & ad ejus probationem respondeo, quòd

corpus

corpus locatum esset æquale simul illis duobus locis, non simul, & reduplicativè acceptis, sed divisim, & similiter quilibet locus esset æqualis locato divisim acceptus, ex quo nulla sequitur implicatio, nam Petrus v. g. potest esse æqualis in magnitudine extensiva Paulo ejusdem magnitudinis, & Ildefonsus, ita ut quilibet sit ejusdem magnitudinis cum Petro; quòd si Pauli, & Ildephonsi magnitudo extensiva simul reduplicativè accipiantur, manifestum est, quòd Petrum excedant; sed ex hoc non sequitur implicatio, quia Petrus simul est æqualis, non simul sumptis, sed divisim; & idem dico de locis illis duobus. Quòd si argumentum teneret, posset retorqueri in adversarios, nam sicut corpus petit commensurari cum loco, ita locus petit commensurari locato, sed non obstante, quòd locus unus sit uni corpori æqualis, vel commensuratus, potest aliud locare corpus, ut patet ex dictis: Ergo etiamsi corpus sit uni commensuratum loco, poterit alteri loco commensurari, sive in alio loco locari.

1381. Septimò arguitur: idem numero effectus non potest à duplici causa causari ejusdem ordinis, & rationis dependere, ut patet ex dictis dist. 2. de causis in communi ex nostro 2. lib. q. 4. num. 820. & sequentibus: Ergo idem corpus non potest à duplici dependere loco adæquato ejusdem ordinis, & rationis. Probo consequentiam: sicut effectus pendet ab unica causa totali, ita corpus pendet ab uno adæquato loco in ratione ubicabilis: Ergo sicut unus effectus in ratione causabilis nequit à duplici adæquata causa dependere, ita nequit idem corpus à duplici adæquato loco in ratione ubicabilis dependere. Probo antecedens: sicut effectus causatur in suo esse ab unica causa, ita corpus ubicatur ab uno loco: Ergo &c.

1382. Huic argumento ex dictis in dist. 2. de causis q. 4. num. 846. &. 847. fit responsio. Respondeo ergo concedendo antecedens, & negando consequentiam; & ad ejus probationem respondeo negando antecedens: nam effectus in ratione causabilis pendet à causa in suo esse: at verò locatum corpus pendet à loco, tanquàm ab extrinseco continente; unde effectus postquàm semel positus est extra causas nequit ab alia causa causari: at corpus locatum postquàm semel ab uno loco extrinseco contentum est, ab alio extrinseco loco contineri valet, ut patet de aqua, quæ modo continetur in vase, & postea in amphora, vel catino. Unde dependentia effectus à causa est essentialis, dependentia vero corporis à loco est valdè extrinseca, & accidentalis. Præterquam quòd corpus non secundùm eandem ubicationem passivam pendet ab uno loco, ac pendet ab alio, quia cum ubicatio passiva sit relatio fundata in corpore locato, & terminata ad superficiem locantem, si detur alia & alia superficies locans, dabitur in corpore alia & alia relatio passivæ ubicationis, una dependens, tamquàm à termino ab una superficie locante, & alia ab alia: at vero effectus secundùm idem esse cùm dependeat ab una causa, nequit ab alia in eodem esse dependere, unde non tenet argumentum. Sed pro majori hujus rei intelligentia alium titulum proponere decrevi, in quo aliquæ scitu dignæ difficultates enodantur.

ARTICULUS SEXTUS,

Utrum omnia, quæ conveniunt corpori existenti in uno loco, in Antiquaria v. g. necessariò conveniant eidem corpori existenti Hispali, sive in alio loco?

1383. QUærit titulus utrum admissa hypothesi, quòd Petrus v. g. divina, & absoluta operante potentia esset in duplici loco constitutus hic, & Romæ, necessariò haberet Petrus hic omnia, quæ haberet Romæ, taliter quòd si Romæ esset nudus, nudus etiam appareret hic, si Romæ dormiret, etiam hic dormitionem caperet, si Romæ ægrotaret, etiam hic ægritudine eadem laboraret, si Romæ ambularet, etiam ambularet hic, si ibi esset calidus, etiam & hic, & sic de aliis proprietatibus accidentalibus, vel non?

1384. Prima sententia affirmat, quòd non unde concedit, quòd ibi posset habere frigiditatem, & hic illam non habere, & similiter posset in uno loco mori, & in altero vivere, & hoc non solùm per aliud miraculum, neque ex vi primi miraculi, sed naturaliter, taliter quòd si Romæ frigesceret, ad hoc ut hic frigus haberet, necesse erat aliud miraculum, medio quo deportaretur illud frigus in corpore Petri existentis Romæ, & poneretur in eodemmet corpore existente hic. Hanc tuentur sententiam Nominales cum suo Principe Ochamo in 4. dist. 10. q. 4. citaturque etiam pro illa noster Alexander Alensis 4. pt. q. 44. num. 7.

1385. Secunda sententia affirmat, quòd si accidentia, quæ corpori in uno loco constituto sint naturalia, vel naturalis proprietatis, ut quantitas, & qualitas absolutæ, albedo v. g. nigredo, calor, & frigiditas, & hujusmodi aliæ non esse possibile naturaliter quòd hujusmodi proprietates non sint in eodem corpore in duplici existente loco, quia naturaliter impossibile est, quòd habeat hic frigiditatem v. g. & Romæ privationem frigiditatis, & sic de aliis: at divina inspecta potentia potest idemmet corpus hic habere calorem, & Romæ illo carere, esse hic animatum, & Romæ esse sine anima, & sic de aliis; modò tales proprietates sint ex natura rei separabiles à corpore. Hanc patrocinantur sententiam Gabriel in 4. dist. 10. q. 1. art. 2. & in canone lect. 46. Soto in 4. dist. 10. q. 1. art. 5. Marsilius in 4. q. 7. Suarez 2. tom. suæ Metaph. disp. 46. sect. 8. concl. 1.23.

1386. Sed his omissis sententiis pro nostra elucidanda sententia est primò notandum ex nostro *Subt. Scoto in 4. cit. dist. 10. q. 2. §. & pro istis solvendis: num.* 13. quòd proprietates, quæ possunt corpori inesse, sunt in duplici differentia: alia enim sunt, quæ necessariò habent ordinem, & connexionem cum loco, in quo corpus est, eò quòd ab illo dependent, ut ambulare, sedere, quiescere, & moveri, esse approximatum huic loco, & distans ab alio, quæ omnia à loco dependent, ut ex se patet. Alia sunt, quæ nullatenùs dependent à loco, immò sunt illi priora, ut albedo v. g. & nigredo, frigiditas, & calor, esse animatum, vel non animatum, esse corpus truncum, seu habere abscissam manum &c. Ut si Petro insit albedo, frigiditas, calor,

calor, antequàm in duobus illis locis constitueretur.

1387. Nunc pono istam conclusionem: omnia accidentia, quæ sunt posteriora ipso ubi, & ab illo dependentia, possunt inesse naturaliter Petro in uno existenti, & non sibi inesse in alio; at verò accidentia, quæ sunt essentialiter, hoc est ex sua natura posteriora ipso ubi, & ab illo non dependent, necessariò insunt corpori in quocumque ponatur loco: unde si moritur hic, etiam Romæ, si hic habet calorem, vel quantitatem, vel alia absoluta hujus modi, eadem habet in quocumque ponatur loco. Ita Scotus expressè loco citato, cujus hæc sunt verba: *quæcumque sunt priora essentialiter ipso ubi uniformiter insunt corpori, quamvis habenti diversa ubi, nec variabuntur variato ipso ubi; quæ verò posterius, vel simul natura, variabuntur secundùm varietatem ipsius ubi.* Scotum sequuntur omnes ejus discipuli, ex opposita familia quàm plures.

1388. Probo igitur conclusionem ratione, & primò de formis absolutis, quæ sunt priores ipso ubi: impossibile est etiam de potentia absoluta duo contradictoria verificari de eodem subjecto; sed si corpus idem posset esse hic animatum, & Romæ anima carere, esse hic sub albedine, & non Romæ, & sic de aliis, de eodem verificarentur subjecto contradictoria, scilicet esse vivum, & non esse vivum, esse album, & non esse album, esse calidum, & non esse calidum, quantum, & non quantum: Ergo impossibile est etiam de absoluta potentia, quòd illa accidentia, quæ sunt ex sua natura priora ipso ubi, non conveniant corpori eidem in quocumque ponatur.

1389. Huic nostræ rationi respondent adversarii, quòd non sunt illa duo contradictoria absolutè, sed tantum secundùm quid, quia non verificatur de eodem corpore, quod hic sit vivum, & non vivum, sed quòd sit vivum hic, & non sit vivum Romæ, & sic de aliis proprietatibus, unde non tenet argumentum. Sed contra: esse corpus animatum, esse quantum, & calidum, sive frigidum non dependent ab ubi, immò illo essentialiter priora sunt, taliter quòd si per impossibile, vel possibile corpus nullibi esset, ibi foret animatum, vel intra universum, vel extra constituatur, dummodò habeat animam, animatum manet: Ergo in quocumque ponatur corpus, necesse est, quòd si animatum est, quòd habeat ibi & animam, vel si non animatum est, quòd ibi non sit anima.

1390. Et confirmatur ex *Scoto in eadem dist.* 10. *q.* 4. *§. de secundo membro. num.* 10. illa prædicata, sive proprietates illæ, quæ non dependent ab ubi, immò sunt illo priores, non variantur propter ubi variationem; sed corpus esse quantum, quale, & animatum non dependet ab ubi, immò sunt ubi priora: Ergo non variantur propter variationem ubi. Major patet; quia quod prius essentialiter est, non variatur propter variationem posterioris, bene tamen è contra. Minor probatur: quia corpus esse quantum non pendet, nisi à quantitate tanquàm à ratione formali essendi quantum, & similiter esse animatum non ab ubi pendet, sed ab anima, quæ est ratio formalis vivificandi, sive vivum constituendi, & sic de aliis: Ergo in quo loco ponatur corpus, debent poni tales proprietates, si illas

si illas antecedenter ad locum habeat; tunc sic esse animatum non pendet à loco: Ergo neque non esse animatum. Patet consequentia; quia cujus positio non est causa essendi tale, ejus desitio non est causa essendi non tale; quia cujus affirmatio non causat affirmationem, ejus negatio non causat negationem; sed esse corpus hic v. g. non est causa essendi hic animatum: Ergo non esse hic, non est causa non essendi animatum: Ergo esse animatum, & non esse animatum non possunt eidem corpori convenire prout in diversis locis, quia sunt contradictoria in dependentia à loco: nam peto: quare proprietas inseparabilis à corpore inest ipsi ubicumque est, nisi quia inesse ei abstrahit ab hoc, vel illo loco, estque prior loco independens ab illo: Ergo.

1391. Probo nunc conclusionem quoad secundam partem, de illis proprietatibus, quæ sunt dependentes à loco, & illo posteriores, vel simul cum illo, cujus modi sunt respectus præsentiæ formalis, indistantia, sive contiguitas, situs, esse sursùm, & deorsùm, sedere, stare, motus localis, & hujus modi alia: variato, seu multiplicato priori essentialiter multiplicari posterius, & ab illo dependens necesse est; sed ubi se habet prius ad omnia ista, quæ ab ipso dependent, ut ex se patet: Ergo variato ubi omnia ista variari est necesse; unde si Petrus hic quiescit, hic sedet, & simul existat Romæ, potest ibi deambulare, si hic currit, potest ibi non currere, si hic est juxta ignem, potest esse ibi ab igne separatus, si hic submersus est aqua, potest ibi illa carere, & non inde sequitur, quòd habeat prædicata opposita, vel quòd duo contradictoria possint de illo verificari, quia currere, & non currere, sedere, & non sedere, esse juxta aquam, & non esse juxta aquam sunt dependentia à loco, & isto variato possunt & illa variari.

1392. Sed petes pro hujus dicti majori intelligentia, utrùm hypothesi admissa, quòd idemmet numero corpus, lapis esset simul in centro, & simul sursùm in aëre locatus, utrùm talis lapis esset sursùm violenter, nec ne? Quia non videtur esse violenter, nam tunc subjectum est violenter sub aliqua forma, quando appetit aliam, quam non habet, quia ab illa impeditur; sed talis lapis, qui appetit esse in centro, in illo est, ut supponitur, & non impeditur ab ubi sursùm, quominus in centro sit: Ergo non erit sursùm violenter. Quòd si est violenter prout sursùm, & naturaliter prout deorsùm: Ergo simul, & semel est naturaliter quiescens, & violenter.

1393. Respondeo, quòd talis lapis esset violenter, & naturaliter simul, violenter quia sub ubi sursùm est, in quo violenter detineretur à potenti manu Dei; naturaliter prout in centro, quod est locus à sua natura petitus. Ex quo nulla sequitur implicatio, quia sicut homo v. g. qui haberet simul, & semel frigiditatem in summo, & calorem in summo, esset summè calidus, & summè frigidus, dato quòd Deus impediret actionem caloris, & frigiditatis, ne se mutuo expellerent, & destruerent, ita lapis, qui esset sursùm, & deorsùm, esset simul violentus, & naturaliter quiescens comparativè ad diversa ubi. Ad argumentum respondeo negando majorem, quia non impeditur lapis ab ubi sursùm, est illuc violenter,

ter, sed quia taliter appetit esse deorsùm, quòd renuit esse sursùm.

1394. Secundò petes, an in casu posito, quòd Deus substraheret actionem miraculosam, media qua talis lapis conservabatur sursùm, utrùm talis lapis descenderet ad centrum per motum per medium regionis aëris, vel non? Respondeo, quòd utrumque potest sustineri, quod non moveretur, sed ex eo quòd destrueretur ubi miraculosum, desineret simpliciter esse ibi, & tantum in suo centro maneret. Patet, quia ex eo movetur lapis, qui est sursùm ad centrum, quia locus naturaliter appetitus à lapide est centrum, & illud petit ad sui naturalem conservationem, sed talis lapis, ut supponitur, esset in centro: Ergo non indigebat motu ad centri consequutionem, & patet de Christo existente in speciebus sacramentalibus, quibus corruptis non movetur Christus ascendendo ad cœlum, ubi est semper, sed tantùm desinit esse ibi secundùm præsentiam sacramentalem, hoc est, desinit præsentia sacramentalis Christi sub illis speciebus.

1395. Quòd autem moveretur etiam potest sustineri, quia sicut acquiritur ubi, ita pariformiter deperditur; sed ad hoc quòd lapis existens in centro poneretur in regione aëris, necessum erat, quòd lapis talis transiret per loca media usque ad talem locum deveniret, sicut ad hoc quòd Petrus existens Antiquariæ poneretur Hispali, necessum erat, quòd loca, quæ inter Antiquariam, & Hispalim mediant, transiret, puta per Ursaonam, Marcheinam &c.: Ergo ad hoc quòd desinat esse per recursionem sursùm, necessum erat, quòd talis lapis moveretur deorsùm. Quod patet etiam, nam ad hoc quòd Christus sit in hostia consecrata, necesse est, quòd de cœlo adducatur, sive descendat, & sub speciebus hostiæ sacramentaliter constituatur, & quando desinit esse Christus sub panis speciebus, iterum versus cœlum revertitur in opinione probabili. Sed petes iterum: utùm talis motus, medio quo lapis existens sursum peteret centrum, esset naturalis, vel miraculosus? Respondeo, quòd utrumq; sustinetur probabiliter; quòd naturalis esset, inde patet, quia naturali propensione movetur acquirendi centrum, & desinendi illa loca, in quibus violenter erat. Quod esset miraculosus, quia miraculum esset, quòd simul exstens in centro ad illud moveretur.

1396. His præjactis nunc proponam aliqua argumenta, quæ aliquam specialem præ se ferunt difficultatem, quæ non erant facilè solvenda, nisi ista prænotaverim: & pono casum, quòd idemmet numero panis esset hic, & esset Romæ, requiro, utrùm si hic divideretur, etiam ibi appareret divisus? Respondeo affirmativè, quia cùm divisio non sit, nisi discontinuatio partium, quæ antea continuabantur, & continuari partes non sit à loco dependens, manifestum est, quòd si hic discontinuantur partes, etiam ibi, & idem dico de vulnere, nam si hic Petrus vulneraretur, etiam Romæ ejus appareret vulnus.

1397. Tunc sic; illa substantia panis debebat converti in substantiam aliti, non hujus, qui illum hic comedit, quia suppono, quòd ab alio etiam comederetur, neque illius: Ergo vel à nullo in propriam converteretur substantiam, vel ab utro-

utroque; si hoc demus secundum. Contra primò: quia impossibile est naturaliter saltèm, quòd eadem materia à duplici informetur forma: Ergo impossibile est, quòd illa materia panis informaretur hic forma carnis unius, & ibi forma carnis alterius. Secundò, quia etiam hoc admisso, pono casum, quòd unus moreretur, & alter demoreretur, & unus damnaretur, & alter beatitudine fungeretur: Ergo eadem materia esset beata & misera, in cœlo, & in inferno, quæ omnia involvunt contradictionem. Si primum demus, quòd à nullo in propriam substantiam converteretur; contra, quia calor naturalis non esset impeditus: Ergo necessariò ageret in illum panem, & illum in propriam substantiam converteret.

1398. Rursùs demus casum, quòd idem homo esset hic, & Romæ, & quòd hic igni approximaretur, & ibi nivi, vel quòd hic summus calor illum cruciaret, & ibi summa frigiditas, manifestum est, quòd calor ageret secundùm ultimum suæ virtutis, & similiter frigiditas, quia causa, sive agens naturale sufficienter applicatum ad passum agit necessariò secundùm ultimum suæ virtutis: Ergo calor causaret naturaliter in isto homine calorem summum, & frigiditas summam frigiditatem: ergo naturaliter esset talis homo summè frigidus, & summè calidus; sed hoc implicat fieri naturaliter: Ergo & illud ex quo sequitur. Idem argumentum potest fieri de ligno eodem hic aqua demerso, & ibi ab igne circumscripto.

1399. Insuper pono casum, quòd modicus ignis hic poneretur huic combustibili approximatus, & Romæ approximatus alteri combustibili, necessum est, quòd hic ignis, eò quòd agens naturale, & sufficienter applicatus ad passum ageret secundùm ultimum suæ potentiæ, & idem dico ob eandem rationem de eodem igne Romæ existenti: Ergo produceret formam in duplicem perfectionem. Patet; quia ageret ut duo, & simul ibi ageret ut duo: Ergo simul produceret formam ut quatuor, hoc est impossibile naturaliter: Ergo &c.

1400. Pro istis solvendis pono tertiam propositionem, quam affert *Scotus q. 2. cit. ex dist.* 10. 4. quæ talis est: *sicut corpus in uno ubi existens se haberet in ratione activi* (etiam & passivi) *ad diversa sibi approximata in illo ubi, sic ipsum ut existens in duobus ubi se habet ad eadem, si in illis ubi approximata.* Unde in tali eventu, quòd idem panis à duobus comederetur hominibus, si tales homines æqualiter haberent naturalem calorem, & æqualiter agerent ad convertendum panem in propriam substantiam, non illum quilibet in suam substantiam converteret, sed pars panis ab uno, & pars ab alio in suam converterentur substantiam: at verò si non æqualiter agerent in panis conversione in substantiam, sed unus ageret fortius, alius autem remissius, plus panis converteret in suam substantiam, qui fortius ageret medio nativo calore, taliter quòd nunquàm eadem materia panis à duplici forma carnis informaretur; immò potius divideretur panis materia, & una pars à forma carnis unius informaretur, & alia pars à forma carnis alterius, nisi Deus vellet per aliam miraculosam actionem facere, quòd eadem materia duplici informaretur forma,

formā, in tali eventu Deus, qui pro suo libito faceret primum, etiam pro suo libito disponeret in secundo.

1401. Ad secundum casum num. 1398. quòd sicut homo in unico loco existens, dato quòd illi summus calor, & summa frigiditas applicaretur, se haberet in tali eventu, ita pariformiter se haberet in duplici constituto loco. Unde respondeo, quòd in tali casu, neque ignis, sive calor ageret secundùm ultimum suæ virtutis, nec frigiditas, quia sicut se impedirent in agendo, dato quòd simul essent approximati corpori in uno loco, ita se impedirent ad agendum in corpus in duplici loco existens, quia calor, qui causaretur ab igne, sive ab alio calore in corpore, à frigiditate remitteretur, & frigiditas à calore. Unde ex eo quòd qualitates mutuò se expellerent, neutra esset in corpore in gradu summo, ex quo nihil contra nos.

1402. Ad tertium casum positum num. 1395. dico, quòd sicut ille modicus ignis se haberet existens in unico loco respectu plurium combustibilium sibi applicatorum ibi, ita se haberet in diversis locis existens. Unde necessum est, quòd vel ab illis suffocaretur, vel si ageret, ageret remissius in illa plura, quam ageret si solùm esset unum combustibile suæ virtuti proportionatum: nam sicut homo existens in pluribus locis, si in uno deportaret, sive levaret pondus suis viribus adæquatum, non posset simul in alio loco existens aliud pondus levare; sic similiter si ignis esset applicatus, & agens in unum combustibile secundùm ultimum suæ virtutis, non posset in aliud combustibile agere, nisi remissè agendo in unum, & aliud. Per ista, quæ hic breviter diximus, patet responsio ad alia.

1403. Sed contra illam conclusionem à nobis positam num. 1387. in qua statutum reliquimus, quòd eadem accidentia absoluta, eædem proprietates, quæ sunt independentes à loco, conveniunt corpori in uno loco existenti, debent competere ipsi in quocumque loco ponatur: argumentor sic authoritate *Doct. subt. in eodem 4. dist. 10. q. 4. §. ex ista solutione num. 14.* ubi ait: *& etiam posset dici, quòd non est necesse posita existentia corporis Christi hic, & ibi, quòd illa, quæ insunt corpori sub una existentia, insint sibi sub alia, loquendo etiam de formis absolutis, nec tamen sequitur contradictio, scilicet quòd sit quantum, & non quantum, immò est quantum hic, sed non quantitate, quæ sit hic, sed quantitate, quæ est in cœlo.* Ex quibus sic formo discursum: Scotus ait, quòd substantia corporis Christi potest esse in Eucharistia sine quantitate, vel sine eo quòd ejus quantitas in Eucharistia sit, etiamsi quantitas talis substantiæ illam afficiat in cœlo: Ergo si hoc potest dici, contrarium, quod in nostra conclusione impossibile docuimus, falsum est de mente Scoti: Ergo &c.

1404. Probo igitur dictum Scoti ratione, qua ab ipso ibidem probatur: quæcumque contingenter conjunguntur inter se, & eidem tertio, potest unum illorum convenire eidem tertio, absque hoc quòd aliud conveniat eidem; sed præsentia substantiæ hic, & præsentia quantitatis ejus contingenter conjunguntur inter se, & respectu tertii, quod est corpus quantum: Ergo potest corpus manere quantum posita

sita una præsentia sine alia. Major est per se nota, quia quæ conjunguntur contingenter inter se, & cum tertio, non sunt inseparabilia neque inter se, neque in tertio. Minor probatur: præsentia substantiæ corporis, & præsentia quantitatis ejus est alia, & alia; patet, quia præsentia substantiæ est definitiva, & præsentia quantitatis circumscriptiva, & neutra implicitè includit alteram, quia neutra est de per se essentia alterius, nec per se causa ejus: Ergo contingenter conjunguntur inter se. Patet; quia si Deus auferret quantitatem à substantia corporis Petri, talis substantia eodem modo esset denuo in loco, ac erat antea, & idem dico, si Deus destrueret substantiam, & relinqueret quantitatem: ergo &c.

1406. Respondeo explicando authoritatem Scoti, quæ revera valdè urget nos, quòd non est de tanto Magistro præsumendum, quòd oppositum docuerit q. 2. & q. 4. oblitus sit ejus, quod totis viribus defensavit, & docuit. Vult ergo ibi dicere Scotus, quòd corpus substantiale quantum Christi Domini potest esse in cœlo cum sua quantitate & in Eucharistia sine eo quòd ibi sit ejus quantitas præsentialiter, hoc est, quòd ille respectus præsentialitatis, quam habet quantitas ad locum, cùm sit extrinsecùs adveniens, & independens à præsentialitate, sive respectu præsentiæ, quam habet substantia, potest Deus ponere corpus quantum in Eucharistia, sive in alio loco, sine eo quòd ponatur respectus præsentialitatis quantitatis, & in tali eventu quantitas corporis esset inhæsivè in corpore, cæterùm non esset præsentialiter formaliter in loco, quia cùm talis respectus non sit ab intrinseco natus quantitati, posita ipsa quantitate, tanquàm fundamentum ejus, & loco tanquàm termino, potest Deus impedire talem relationem, quod nos fatemur. Unde quando ait, quòd tale corpus esset quantum, & non quantitate, quæ esset ibi, debet intelligi non quantitate, quæ esset ibi præsentialiter formaliter, sed tantùm fundamentaliter. Unde concedo totum argumentum in hoc sensu, ex illo enim concluditur, quòd potest Deus ponere corpus meum quantum v. g. Romæ, sine eo quòd sit Romæ præsentialiter mea quantitas, quia Deus potest impedire respectum præsentialitatis quantitatis, non verò sine eo quòd mea quantitas insit meo corpori inhæsivè, ex quo &c.

1406. Sed contra eandem conclusionem aliud pono argumentum, cujus solutionem consultò omitto, quod tale est: si Deus non posset ponere corpus animatum Petri v. g. hic cum anima, & Romæ sine anima, maximè quia ex eo quòd anima sit corpori unita independenter à loco, necessum est, quòd ubicumq; est corpus, quod est unitum animæ, sit ibi etiam anima; hæc enim formalissima ratio impossibilitatis, sed hæc ratio nullius vigoris est: Ergo ruit fundamentum. Probo minorem: etiamsi verbũ divinum sit intimè unitum verè, Physicè, & realiter humanitati Christi Domini, ut fides docet, etiam de fide credendum est, quòd in multis locis, etiam in infinitis est verè, & realiter præsens Verbum divinum, quin ibi sit ejus humanitas; Christus enim in quantum homo solùm in cœlo, & in Eucharistia existit: at verò in quantum Deus, est ubique: Ergo à simili etiamsi corpus sit unitum animæ, non est simpliciter impossibile, quòd alicubi sit corpus,

pus, quin ibi sit & anima: solutionem quærite ex dictis, & dicendis.

QUÆSTIO SECUNDA, De Vacuo.

ARTICULUS PRIMUS, An sit, & quid sit Vacuum?

1407. PRo præsentis quæsiti intelligentia præmitto primò, quòd multipliciter accipitur vacuum. Primò accipitur communiter, & vulgariter pro loco, qui caret loco valdè sensibili, quamvis verè, & propriè aliquo corpore repleatur, in qua acceptione vas v.g. quod aliquo caret liquore, vacuum communiter dicitur, licèt revera plenum sit aëre. Secundò sumitur vacuum minus impropriè pro negatione omnis corporis, in quo sensu illud spatium inane, quod communiter imaginarium appellatur, quod est supra ultimam sphæram, vacuum denominatur. Tertiò sumitur vacuum strictè, & propriè in præsenti lib. text. 60. & lib. 4. posteriorum cap. 8. prout hic describitur: vacuũ est *locus non repletus aliquo corpore, aptus tamen repleri.* Et in ista acceptione sumitur à *Scoto in 4. dist. 49. q. 6. §.* aliter *num.* 11. dum dicit: *vacuum esse locum privatum corpore*; sive clarius: *est locus sublunaris carens corpore, quo potest repleri.* Vnde vacuum pro materiali dicit locum realẽ positivum, & pro formali carentiam actualem, sive privationem corporis; ut si remanentibus cœlis destrueret Deus omnia corpora sublunaria sub cœlo contenta, cœlum esset verè vacuum. Et hoc pro prima parte quæsiti, quia circa illud ferè nulla est controversia.

1408. Ad secundam partem quæsiti deveniendo, dico cum communi consensu Philosophorum, quòd nullum datur vacuum in rerum natura, immò quòd naturaliter impossibile est. Quod his rationibus suadetur: natura nihil facit frustrà, hoc est, absq; ullo fine; sed nullus invenitur finis propter quem tale sit in natura vacuum: Ergo nullatenùs datur. Et confirmatur: conjunctio, & societas, sive fraternitas rerum potius congruunt ad universi pulchritudinem, quàm separatio, & disgregatio eorundem: ergo res taliter esse conjunctas, & amicabiliter sociatas, quòd una sit alii contigua concedendum est, & non vacuum. Et roboratur: quia sicut author naturæ disposuit, ut partes heterogeneas corporis humani essent unitæ, conjunctæ, & copulatæ, ad hoc ut una sit alteri deserviens, & altera alteram adjuvare possit; ita idẽ naturæ author disposuit, ut in mundo, sive universo corpora essent contigua, ut una recipiat influxum ab alio, & ab alio coadjuvari possit; sed hoc non esset naturaliter possibile, si semel admitteretur vacuum: ergo &c. Et confirmatur hæc ratio ex Philosopho 5. Metaph. dicente: *oportet mundum hunc contiguum esse lationibus superioribus, ut inde regatur, & gubernetur.*

1409. Secundò probatur: quia si naturaliter esset possibile, aliquando daretur in natura; sed nunquam tale visum est, immò quotidiè quàm plurima experimenta videntur, quòd natura totis viribus vacuum intendit vitare: Ergo &c. Minor probatur: quia experientia constat, quòd per fistulam, cujus infimum orificium contigit aquam, sive demersum est aqua, si ab illa aër abstrahatur, stâtim ascendit aqua contra suam inclinationem, & naturalem gravitatem ad replendum illud vacuum: signum ergo est, quòd natura maximè intendit vitare vacuum. Rursus: si

vas aqua plenum obstruso ore ambiatur, sive circundetur nunc, ita ut aqua congeletur, manifestum est, quòd frangitur vas, quia cum aqua condensata minorem occupet locum, ne detur vacuum, frangitur vas, quia habet obstrusum os non potest ingredi aër: Ergo &c.

1410. Quamvis autem repugnet dari vacuum in rerum natura per naturæ vires, non implicare attento posse Dei absoluto docuit expresse Scotus in 4. dist. 43. q. 5. art. 2. in fine, & quodlibet. 11. art. 2. quod probatur ratione evidentissima: quia omnia, quæ sub cœlo sunt, omnipotenti manui Dei subjiciuntur tam quoad esse, quàm quoad non esse: Ergo potest Deus annihilare omnia, quæ sub ambitu cœli continentur, & ipsum cœlum conservare. Patet consequentia; quia cùm ista inferiora non sint de essentia cœlorum, immò ab illis realiter diversa, potest Deus unum destruere, conservando aliud, sed admissa ista hypothesi superficies concava cœli esset locus carens corpore, aptus tamen repleri: Ergo esset vacuum.

1411. Sed contra dices: ascensus aquæ per fistulam ad replendum vacuum potest impediri, ne fiat ab Angelo: Ergo in tali casu daretur vacuum non solùm per divinam potentiam, sed ab agente naturali creato. Antecedens probatur: quia virtus Angeli ordinis superioris est, ac virtus aquæ ascendentis: Ergo potest impediri &c. Respondeo negando antecedens, & ad eius probationem concedo antecedens, & nego consequentiam: quia licèt sit major virtus Angeli, quàm aquæ, tamen talis aqua ascendit adjuta à Deo medio suo divino concursu ad explendum ordinem authoris naturæ, à nulla creatura potest impediri, nisi à solo Deo.

1412. Secundò arguitur: si darentur duæ tabulæ perfectè planè una superposita alteri, & tabula desuper existens levaretur æqualiter secundùm omnes suas partes, manifestum est, quòd inter tabulam & tabulam daretur vacuum; sed casus est possibilis: Ergo & vacuum. Patet major; quia non posset aër tam citò ingredi ad replendum totum illud spatium, quin potius prius aër esset præsens parti spatii, quàm toti spatio: Ergo &c. Respondeo, quòd si daretur talis casus à nulla virtute creata, nisi à divina potentia posset tabula desuper posita moveri, nisi priùs secundùm unam partem, & postea secundùm aliam, ne detur vacuum, ex quo nihil contra nos. Alia minoris ponderis & notæ argumenta omitto apud authores videnda.

ARTICULUS SECUNDUS,

Utrùm vacuò admisso possibilis esset fieri motus localis per illud? & an talis motus esset naturalis, vel violentus, instantaneus, vel successivus?

1413. QUærit titulus, utrùm semel vacuo admisso de potentia Dei absoluta, dato v.g. quòd aër, & ignis destruerentur, petra existens tunc in concavo lunæ posset moveri naturaliter, & petere centrum per illud vacuum, quod nunc ignis, & aër occupant; quòd enim talis lapis moveri possit per absolutam potentiam Dei de una parte illius spatii vacui ad aliam, & sive super-

ſupercurrere totum vacuum, aut illius partem imaginariam non eſt dubium. Sententia igitur negativa omiſſa, cui favetur ab Alberto Magno tract. 2. cap. 6. & 7. à Pereira lib. 11. cap. 10. Gregorio in 2. diſt. 6. q. 2. art. 2. Reſpondeo cum Scoto in 2. diſt. 2. q. 9. Divo Thoma 4. Phyſic. eorumque ſectatoribus; & probatur: quia ſi Deus deſtrueret aërem, & ignem, nihil prohiberet, quominus lapis exiſtens in concavo ſphæræ lunæ naturali propenſione peteret centrum, & verſus illud moveretur: Ergo vacuo admiſſo, non implicat per illud fieri motum. Antecedens probatur: quia talis motus lapidis non implicaret, neque ex parte termini ad quem, ſcilicet centri, quia ejuſdem eſſet naturæ, ac modò, neque ex parte termini à quo, neque ex parte ſpatii, quia per ſpatium diviſibile non implicat motum diviſibilem fieri, nec ex parte lapidis, qui ex ſua natura, ſicut modò à ſua naturali propenſione moveretur: Ergo intentum.

1414. Dico ſecundam concluſionem: talis motus localis, qui fieret in vacuo, eſſet ſucceſſivus, & in tempore, non autem inſtantaneus. Ita Scotus ubi ſupra, Divus Thomas, & omnes utriuſque Diſcipuli contra aliquos antiquos Philoſophos. Et probatur: quòd motus ſit ſucceſſivus, non ſolùm provenit ex medii reſiſtentia, quod occupatum eſt altero corpore, ſed etiam ex diviſibilitate ſpatii, ex diſtantia extremorum, inter quæ fit motus, & ex limitatione potentiæ moventis; ſed in vacuo v. g. quod inter cœlum, & terram daretur, aëre deſtructo, & igne, maneret eadem ſpatii diviſibilitas, & eadem diſtantia extremorum, & eadem limitatio potentiæ moventis: Ergo horum ratione talis motus fieret ſucceſſivus in vacuo, & non inſtantaneus. Major ex ſe patet, minor verò probatur: quia evidens eſt, quòd aëre, & igne deſtructis eadem daretur diſtantia inter ſuperficiem terræ, & concavum lunæ, ac modò datur; non enim plus diſtaret, aut minus cœlum tunc à terra, quàm modò: Ergo &c. Argumenta, quæ contra hanc noſtram concluſionem poſſunt objici, facile ſolventur, nam omnia nituntur in hoc, quòd ſucceſſio motus provenit præcisè ex reſiſtentia medii, quod corpus occupat, quod falſum eſt, cùm ex omnibus ſupra relatis capitibus poſſit provenire, & hic omittuntur.

ARTICULUS TERTIUS,

Utrùm motus aquæ per fiſtulam ad replendum vacuum ſit naturalis, vel violentus?

1415. Omiſſis variis dicendi modis circa præſentem difficultatem communiter reſpondent Scotiſtæ, nullo quem ego viderim dempto, quòd in aqua duplex ratio poteſt conſiderari: prima eſt ſua peculiaris natura, à qua habet inclinari ad eſſe deorſùm ob ſuam naturalem gravitatem. Secunda quatenùs ipſa aqua eſt pars univerſi, & tanquam pars appetit totius conſervationem; ſi lapis (ajunt) conſideretur ſecundùm ſuam propriam inclinationem, & propenſionem, violenter movetur ſurſùm ad replendum vacuum, cùm per talem inclinationem petat eſſe deorſùm. Si autem conſideretur aqua, ut pars eſt univerſi, non violenter, immò maximè naturaliter movetur

vetur

vetur juxta inclinationem totius, cujus est pars, ne detur vacuum in universo; quod putant esse de mente Scoti, sed immeritò quidem, ut jam jam patebit ex ipsius verbis, quæ pro sua patrocinanda afferunt sententia.

1416. Dico ergo hanc conclusionem pro responsione quæsiti: aquam moveri sursùm ad replendum vacuum simpliciter est violentum respectu lapidis, & hoc sive consideretur lapis, ut talis naturæ est, quæ appetit esse deorsùm, sive ut est pars universi. Hæc conclusio, ni fallor, expressè habetur à *Scoto in 3. dist. 17. q. 1. §. istæ rationes num. 11, & 12.* cujus hæc sunt verba: *istæ rationes non cogunt, solùm enim ostendunt, quòd totum diligit magis bonum sui ipsius, vel partis principalioris, quàm minus principalis totius; patet in primo exemplo, quia impossibile est aquam se movere ad sursum propter quodcumque bonum universi, quia ex quo habet formam naturalem, quæ determinata est ad unam actionem, illa forma manens eadem numero, nunquam potest esse ratio formalis agendi opposita actione, ipsa igitur aqua non se movet sursum, sed solùm movetur ab aliquo movente extrinseco, cui etiam nihil tale confert, quantum est ex sua natura, violenter igitur movetur comparando ad propriam naturam aquæ, pars igitur illa non amat bonum totius, plusquam suum* (hæc considerate verba) *neque amore salvat totum, sed totum, sive virtus regitiva in toto, cui attribuuntur partes universi, movet quamlibet partem universi, sicut congruit benè esse totius.* Hactenus Scotus.

1417. Quod ut clarius percipiatur Scoti mens, proponam rationes, quæ (ut ipse ait) non cogunt, quæ talia sunt, ut videre licet ibidem *num 11. §. contra hoc arguitur*: quia pars magis diligit esse totius, quàm esse sui ipsius, quia aqua ascendit, ne detur vacuum in universo, quod tamen est contra naturalem inclinationem particularem hujus naturæ aquæ, cùm sit naturaliter gravis, & per consequens tendat deorsùm, sed vincitur ab inclinatione naturæ universalis, salvatur enim in hoc bonum totius universi, ad quod bonum magis inclinatur aqua, quàm ad suum locum particularem; patet etiam in minori mundo, quia magis se exponit manus ad salvandum caput, quàm se, quibus ait Scotus istæ rationes non cogunt &c. Et ad secundum de manu ait: idem etiam habetur ex alio exemplo, non enim manus ex suo appetitu exponit se pro toto corpore, sed homo habens illas partes unam tanquàm principalem, quam potest amittere sine periculo totius ad salvandum totum, & aliquam partem principalem, quam non potest perdere sine periculo totius. Quid clarius de mente Scoti?

1418. Probo igitur conclusionem ratione fundamentali ipsius Scoti: omnis appetitus naturalis est primò, & per se in bonum appetibile ipsius appetentis, & non alterius; sed aquam moveri sursùm ad replendum vacuum non est in bonum appetibile ipsius aquæ: Ergo aqua non naturaliter, seu naturali appetitu ad tale vacuum devitandum movetur. Major est definitio appetitus naturalis, minor probatur: aqua secundùm se, & sua naturali gravitate attenta movetur appetitu naturali non sursùm, sed deorsùm: Ergo aqua secundùm se nequit esse principium motus, sive ascensus

ſcenſus ſurſùm. Probo conſequentiam: quia omnis natura, quæ de ſe eſt determinata, eò quòd talis ad unam actionem nequit manens eadem eſſe ratio formalis agendi oppoſita actione; ſed aqua ſecundùm ſe eſt determinata ad eſſe deorſum: Ergo aqua manens eadem nequit eſſe ratio formalis ſe movendi ſurſùm.

1419. Nec valet dicere, quòd prout pars univerſi movetur ſurſùm, etiamſi prout aqua appetat eſſe deorſùm. Contra: pars, ut ait Scotus, non amat bonum totius, plus quam ſuum, neque ex amore ſalvat totum. Ex quibus ſic formo diſcurſum: omne ens creatum plus appetit naturali propenſione ſuum eſſe, quàm eſſe alterius ab illo realiter diverſum: Ergo aqua etiam prout pars plus appetit, quod congruit ſuæ naturæ, quàm quod congruit univerſo à ſe realiter diſtincto. Probo conſequentiam: quia ſi plus appeteret etiam prout pars bene eſſe totius, quàm bene eſſe ſuum proprium, jam appetitus ad ſuum proprium bene eſſe non eſſet ſummus, quod eſt contra omnem Philoſophiam, in qua tanquam primum habetur fundamentum, quòd omnis res mundi appetit plus ſuum eſſe, quàm eſſe alterius. Et roboratur: quia illud magis appetitur à quolibet, quod eſt majus bonum ipſius; ſed majus bonum eſt cuilibet ſuum eſſe, quàm eſſe alienum: Ergo plus appetit aqua, etiam prout pars ſuum eſſe proprium aquæ, quàm eſſe univerſi.

1420. Præterquam quod hoc quod eſt eſſe partem univerſi in aqua, vel eſt aliud diſtinctum ab ipſo eſſe aquæ, vel non? Si non: Ergo eſt ipſamet aqua; ſed idem in quantum idem ſemper eſt natum facere idem: Ergo ſi aqua prout pars eſt aqua, nihil ab illa diſtinctum ſemper habet eundem appetitum; ſed prout aqua appetit eſſe deorſùm: Ergo & prout pars. Si addit aliquid ſupra eſſe aquæ, hoc, quod addit, vel eſt idem realiter cum aqua, & de ejus ſubſtantia, vel accidens ipſi ſuperadditum? Si eſt ipſa ſubſtantia, idem facio argumentum, quia idem naturale principium nequit eſſe ratio agendi oppoſita actione, nam calor nequit eſſe ratio calefaciendi, & frigefaciendi, etiam prout pars univerſi. Si eſt aliquod accidens ſuperadditum aquæ: Ergo illud accidens vincit, & exſuperat inclinationem, & propenſionem aquæ, & ejus ſubſtantiæ, & hoc admiſſo: Ergo illud accidens violentat aquam, quia illam movet contra ſuam inclinationem naturalem, & ſic ille motus ſurſùm potius erit naturalis reſpectu talis accidentis, quàm reſpectu aquæ. Alias poſſem afferre rationes, ſed brevitatis cauſa illas omitto, & dicta ſufficiant.

Argumenta contradicta.

1421. SED contra hanc noſtram concluſionem inſurges authoritate D. Subt. cui nititur communis ſententia, qui in 4. diſt. 49. q. 13. *§. ad rationes, v. ad 3. ſub n. 13. ait: Dico quòd illud eſt ſimpliciter violentum, quod opponitur ſimpliciter naturali, & magis violentum, quod opponitur perfectiori naturali, & minus quod minus naturali; exemplum, aquam eſſe ſurſum, ut ſalvetur plenum in univerſo non eſt ſimpliciter violentum, immo ſi tunc deſcenderet relicto vacuo ſuperius eſſet ſimpliciter violentum; & ſe-*

& secundùm quid naturale (hæc verba sequentia considerate) *quia natura totius universi magis est principium naturalitatis, quam natura ista particularis, & magis naturale est quòd tali toti convenit, quàm quòd propriè huic parti:* Ergo ex menteScoti aquam esse sursum, sive illuc moveri ut non detur vacuum in universo non est simplicitèr violentum, immo simplicitèr naturale, sed non est naturale lapidi prout talis natura est: Ergo est naturale lapidi prout pars est universi. Ecce validissimum telum, & fortissimum Schotistarum asylum, quo suam probant sententiam.

1422. Respondeo admittendo authoritatem, & illam in sano sensu concedendo; ex illa enim nihil sequitur contrà nos, nam libentèr fatemur quòd natura totius universi magis principium naturalitatis est, quàm ipsa natura particularis, & similiter concedendo, quòd magis naturale est, quod tali convenit, quàm quod propriè huic parti; sed quòd sequitur indè est, quòd aquam esse sursum, ut salvetur plenum in universo est simplicitèr naturale toti universo, vel respectu universi, non verò respectu aquæ, immo aquæ est violentum, etiam prout parti, licet dicatur hoc secundùm quid violentum, quia est contrà inclinationem aquæ, quæ est universi pars, quæ pars comparatione totius universi est secundùm quid natura; non autem ex hoc infertur quòd in aqua detur duplex ratio, alia aquæ prout aqua, alia aquæ prout pars, & quòd penes eò quòd pars moveatur naturaliter ad replendum vacuum, & penes eò quòd aqua violentèr moveatur. Nam sicut ait *Scotus in* 3. *cit* n. nostro marginali 1416. *ipsa aqua non se movet sursum, sed solùm movetur ab aliquo movente extrinseco*: Ergo non habet in se principium intrinsecum talis motus sursùm, sicut habet ad se movendum deorsùm; cum à sua naturali moveatur gravitate. Insuper: si pars illa non amat bonum aptius plusquam suum: Ergo plus erit naturale aquæ moveri juxtà suam inclinationem naturalem deorsùm, quàm moveri à motore extrinseco contrà ejus inclinationem.

1423. Ecce quomodo ruit adversariorum fundamentum, ex illo enim non solum concluditur, quòd aquam moveri sursùm est naturale, respectu universi, quod appetit sui conservationem, quòd nos fatemur, cæterum violentum respectu aquæ, quomodocumque sumatur, vel prout pars vel prout talis natura, quod nemo potest negare in sensu rigoroso Scoti. Unde respondeo distinguendo consequens: aquam moveri sursum est simpliciter naturale, respectu universi concedo, respectu aquæ nego, ex quo nihil contra nos.

QUÆSTIO TERTIA,

Et ultima in hoc quarto libro de tempore.

Cum tempus sit duratio quædam, prius de duratione ut sic agemus, ut posteà quod de tempore dixerimus facilius intelligatur, quapropter sit

ARTICULUS PRIMUS,

Ubi quid, & quotuplex sit duratio ostenditur, & an ab existentia rei durantis distinguatur?

1424. Duratio ut sic communiter hac definitione definitur; *est quadam*

dam permanentia rei in esse, & existentia. Vel sic: est persistentia, sive quædam perseverantia, qua res extrà causas existens actione conservativa in sua existentia perseverat. Sed in prima definitione omnis duratio tam creata, quam increata comprehenditur, in secunda verò solùm duratio definitur creata sive rei creatæ, cui propriè convenit extrà causas esse, & actione conservativa alterius conservari. Prima igitur definitio durationis sic explicatur, prima particula est *permanentia*, sive persistentia, per quam denotatur, quòd omnis res, quæ durat per aliquam persistentiam debet durare, unde illæ res propriè durare dicuntur, quæ in suo esse perseverant, non verò quæ in momento finiuntur, licet hæc etiam per instans durare dicantur.

1425. Secunda particula *est in suo esse, & existentia*, per quam denotatur quòd duratio præsupponit necessariò esse existentiale rei, tamquam materiale substractum, quòd à duratione denominatur, & dicit pro formali quamdam formalitatem, per quam res existens dicitur formalitèr durans, quæ quidem formalitas per persistentiam in eodem esse notificatur, cui consequitur negatio desitionis, quæ secundùm aliquos est ratio formalis durationis, nam omnis res existens in quantum talis habet sibi annexam negationem desitionis pro illo signo, in quo existit, & hæc pro prima articuli parte.

1426. Ad Secundam autem deveniendo, duratio ut sic primò dividitur in intrinsecam, & extrinsecam; duratio intrinseca quædam formalitas est super existentiam rei durantis, sive existentis, qua constituitur formaliter persistens inesse. Duratio vero extrinseca est quædam mensura externa, quæ rei duranti applicatur, ut per eam dignoscatur talis rei propria duratio, ut motus cœli v.g. eo quòd notior sit nobis quocumque alio, cum per illum devenimus in cognitionem hominis, & aliorum, cum dicimus Joannes v.g. duravit per quatuor dies, menses, vel per tot annos.

1427. Dividitur secundò duratio in permanentem & successivam. Duratio permanens sit duratio illius esse, quòd est totum simul, ut duratio Angeli v.g. & duratio substantiæ, quæ in instanti generatur. Duratio successiva est illa cujus partes non sunt simul, sed una post alteram quæ totum esse sistit in quodam fluxu, fieri, & successione partium. Duratio permanens dividitur in æternitatem, & ævum. Æternitas est duratio rei, quæ neque aptitudine, neque actu habet principium, aut finem, cujusmodi solus est Deus, quæ sic communiter ex Boetio 5. de trinitate describitur: *æternitas est interminabilis vitæ tota simul, & perfecta, sive adæquata possessio.* Ævum est duratio rei finitæ permanentis, & uniformiter se habentis, hoc est ut alii dicunt duratio illius rei, quæ non successivo fluxu discurrir, sed tota simul existit, & licet habeat principium, non tamen habebit finem quamvis ab intrinseco non repugnat sibi finiri; cujusmodi sunt Angeli, & anima, quæ ævo commensurantur. Circa hoc ferè nulla est controversia.

1428. Ad tertiam partem deveniendo omissa sententia Divi Bonaventuræ ex 2. dist. 2. art. 2. q. 3. Ricardi à Mediavilla, & aliorum dico cum nostro *Subt. Doct. in 2. dist. 2. q. 2. §. concedo, v. & tunc ad primum,*

 n. 12.

n. 12. *& in report.* 2. *dist.* 2. *q.* §. *dico pono istam conclusionem.* Duratio intrinseca cujuslibet entis creati (idem dico de Divino) non distinguitur realitèr ab existentia rei. Probatur : illa non distinguuntur realitèr, quæ ad invicem sunt inseparabilia; sed hujusmodi est existentia cujuscumque creaturæ, & ejus duratio : Ergo non distinguuntur realiter; major ex se patet, quod enim non potest esse sine altero, neque alterum sine ipso, arguitur identitas realis utriusque ; minor probatur : quia intelligibile est quòd Angelus, sive homo sit in rerum natura existens, sine eo quòd duret, saltem pro aliquo nunc, in quo sit verum dicere: nunc est Angelus: Ergo &c. Et roboratur : per hoc quòd intelligatur existere, & perseverare res intelligitur durans : Ergo duratio non distinguitur ab existentia realiter. Vtrum autem distinguatur formalitèr, nunc affirmativa pars est menti Scoti conformior, nam existentia distinctam definitionem habet, ac habet duratio: Ergo &c.

1429. Sed contrà insurges: duratio est accidens, quod ad prædicamentum quando expectat; sed omne accidens prædicamentale distinguitur realitèr à re cujus est accidens: Ergo duratio realitèr distinguitur ab existentia rei durantis. Respondeo distinguendo majorem : duratio rei temporalis, sive productæ per motum successivum formalitèr, & prout connotat tempus, pertinet ad prædicamentum quando concedo; duratio fundamentalis intrinseca rerum nego, & de hac infrà, quia hic loquimur de duratione intrinseca, non vero extrinseca.

ARTICULUS SECUNDUS,

Quid tempus sit, & an sit quid reale distinctum à motu?

1430. Esse tempus in rerum natura est commune Philosophorum placitum, quod etiam experientia compertum est; nam cùm tempus sit mensura motus, & motus quid reale existens in rerum natura sit, necessarium est quòd tempus, quod ejus est mensura quid reale existens sit. Quid autem essentia temporis sit, difficillimè potest indagari, nam ut ait Augustinus lib. 11. confessionum cap. 11. & 40 : *quid est tempus, si nemo ex me quærat scio, si quærenti explicare velim nescio.* Tempus igitur sic à Scoto definitur *in hoc* 4. *q.* 47. *n.* 8. §. 3. *conclusio, ex Philosopho cap.* 13. *tex. & com.* 102. *tempus est numerus motus secundùm prius, & posterius.*

1431. Pro cujus intelligentia nota, quòd prima particula scilicet *numerus*, quæ ponitur loco generis non sumitur ibi pro numero discreto, qui ex pluribus unitatibus consurgit, sed pro mensura, nam ut ait noster Aretinus in suis annotationibus ad præfatam quæsitionem Scoti n. 13. lit. D. idem est dicere tempus est numerus motus, & dicere est mensura motus, nam sicut per ulnam v. g. dignoscitur quantitas determinata panni, & per amphoram quantitas, sive capacitas cognoscitur hydriæ, & per unitatem quantus sit numerus cognoscitur, ita ut per unitatem triplicitèr replicatam numerus ternarius cognoscatur. Sic per tempus dignoscitur duratio, sive persistentia motus; secunda particula scilicet *motus* est deter-

determinativa illius mensuræ, sive *numerus*, ut dignoscatur cujus entitatis tempus sit mensura.

1432. Tertia particula scilicet *secundum prius, & posterius*, quia cum partes ex quibus componitur motus non sint totæ simul, immo ex eo quòd ens successivum sit motus, ejus partes per successivum fluxum decurrunt, ita ut una sit prior alia, & una desinere necessè est ad hoc quòd sit alia; ita tempus quod est ejus mensura essentialitèr successivum est habens extensionem partium secundùm prius, & posterius, per quas motus mensuratur, nam mensura, & mensuratum debent esse unigenea, hoc est ejusdem rationis, & proprietatis; nam sicut per ulnam replicatam dignoscitur quantitas panni, sic per horam non replicatam, sed successivam dignoscitur dies, & per dies mensis, & per menses annus.

1433. Tempus igitur in sensu explicato esse verum ens reale expressè docuit *Scotus* 5. *Metaph. q.* 8. *§. dicitur*, *v. ad primum*, *n.* 2. *& idem supponere videtur in* 2. *dist.* 2, 3, *&* 4. *& in hoc* 4. *q.* 18. *&* 17. *&* cum eo communis Philosophorum Schola contra Pereiram lib. 12. c. 13. Argentinum dist. 1. q. 2. Averroës, & Gabrielem. Et probatur primò ex illo Genesis 1. *fecit Deus duo luminaria magna, ut dividerent noctem ac diem, & essent in tempore, &* Actorum 1. *non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate*; sed quæ subsunt potestati Divinæ, & ab omnipotentia fiunt entia realia sunt, & non rationes: Ergo &c.

1434. Secundò: probatur ratione: tempus est mensura motus, & aliorum corruptibilium rerum naturalium: Ergo sicut constanter tenemus æternitatem esse verum ens reale, scilicet Deum, & similiter ævum, quia mensurat Angelum: Ergo similiter tempus ob eamdem rationem, qua mensura realis, scilicet motus, debet esse quid reale. Et confirmatur: quia independentèr ab operatione intellectus fingentis tempus habet veras partes successivas propriis indivisibilibus continuatas: Ergo est verum ens reale independentèr ab intellectu. Et roboratur: quia secluso opere intellectus motus primi mobilis est diuturnior motu lapidis descendentis deorsùm, & cursu equi: Ergo à parte rei tempus est mensura talis motus: rursus Philosophus tractat de tempore in hoc 4. de ipso demonstrando passiones, & proprietatis, nam de velocitate, & tarditate motus, quæ tempore mensurantur agit; sed ad Philosophum non expectat agere de ente rationis: Ergo erit ens reale.

1435. Circa id quod petit titulus, utrum videlicet tempus distinguatur à motu? est primò notandum, quod tempus aliud est commune, & extrinsecum, aliud particulare, & intrinsecum; tempus commune, & extrinsecum est quædam externa duratio sumpta ad mensurandam quantitatem durationis alterius rei; cujusmodi est duratio motus primi mobilis, comparata ad motum rerum inferiorum, ad quorum durationem mensurandam assumitur; nam cum omnis mensura debeat esse notior suo mensurato, & certa, & determinata per motum primi mobilis duratio, quæ nobis notior est,

est, & magis nota, & determinata, quàm alterius cujuslibet motus duratio, per illius motus durationem devenimus in cognitionem durationis talis motus particularis, cum dicimus Petrus cucurrit per tres horas, aut vixit per tot annos, nam sicut per ulnam devenimus in cognitionem quantitatis panni ita per tempus primi mobilis devenimus in cognitionem durationis rerum corruptibilium, quæ tempore mensurantur. Tempus particulare, & intrinsecum, & duratio intrinseca, sive persistentia cujuslibet motus particularis, ut duratio motus rotæ figuli, & duratio decursus equi, & aliorum qui quidem motu cognoscuntur quoad durationem per tempus extrinsecum, sive durationem motus primi mobilis, ex eo quòd talis motus notior sit nobis, quàm aliorum.

1436. His brevitèr prænotatis omissa sententia Divi Thomæ 1. pt. q. 10. art. 2. quæ docet inter tempus, & motum versari distinctionem realem; dico motum, & tempus quo intrinsice mensuratur (& loquor de quocumque motu facta comparatione cum sua duratione intrinseca) esse idem realitèr inter se; ita *Scotus in* 4. *dist.* 48. *q.* 11. *§. contrà secundam viam*, *v. si arguatur*, *n.* 12. *& in hoc* 4. *q.* 16. *§.* 3. *concl. sub.* 6. *n.* Et probatur ratione, qua probat Scotus ævum Angeli esse idem realitèr cum Angelo, cujus est mensura, *in* 2. *dist. q.* 2. *§. contrà istud*, nam in utroque par militat ratio, quæ talis est: illa non distingunntur realitèr, quibus ab intrinseco separari repugnat; sed ab intrinseco repugnat dari motum successivum separatum à propria duratione, & è contra: Ergo tempus intrinsecum, quòd est duratio motus successivi non distinguitur ab illo realitèr. Undè *Philosophus* 11. *Metaph. tex.* 29. loquendo de motu, & tempore, ait: *aut enim idem est* (videlicet tempus cum motu) *aut tempus est aliqua paßio motus.*

1437. Ex dictis habemus primò, quòd cum tempus sit idem realitèr cum motu, cujus mensura intrinseca est, tot erunt tempora particularia, sive durationes, quot motus, ut expressè docuit *Scotus q.* 16. *hujus n.* 8. *§. ex istis*: ubi ait: *secundò sequitur quod plura tempora possunt esse simul, immo, & de facto plura tempora sunt simul, sicut & plures motus.*

1438. Habemus secundò loquendo de tempore extrinseco, quòd motus sphæræ cœli inter omnes motus cœlestes est propriissimè tempus, quia motus sphæræ solis est maximè notus omnibus; & hujus signum est quòd per motum solis mensuramus ætates rerum, & quòd nomina significantia motum solis sunt nomina temporis, ut annus, mensis, dies &c. Rursùs præter motum solis motus lunæ propriissimè dicitur tempus, quæ est maxime nota, & ideò aliqui mensurant ætates, & durationes rerum temporalium per annos, & menses lunares. Insuper sicut motu horologii certificamur de duratione, quam in aliquo consumpsimus opere, ita per motum quemlibet alium extrinsecum possumus certificari, & eo uti, ut cognoscamus quamdui fuimus præoccupati; & sic dicere solemus Hispanè. *Yo estube ental parte mientras fulano fue ala plaza*, 9. *vino*, 90. *estube estudiando por espacio de in Credo, ide un paternoster*; quia duratio intrinseca illius operis, sive exercitii

ercitii facilis dignoscitur per durationem motus extrinseci, quàm intrinseci.

1439. Sed petes pro majori quæsiti intelligentia si quilibet motus habet suum tempus proprium, à quo intrinsicè durans formalitèr denominatur quomodo ista tempora particularia distinguuntur à tempore communi, sive à motu primi mobilis, aut sphæræ solis, per quam certificamur de tempore, sive duratione motuum aliorum corporum? Respondeo quòd realitèr, ita ut unum ab alio possit separari, nam cessante motu particulari equi v. g. aut lapidis descendentis àd centrum stat, & perseverat motus sphæræ solis, & isto stante immobilitèr lapis existens in aëre moveretur ad centrum & similitèr figuli rota, ut ait Scotus moveretur: Ergo &c.

1440. Secundò petes quomodo duo motus, sive duæ durationes dicuntur ejusdem temporis? nam communitèr dicere solemus de illis quæ sumpserunt exordium in eadem temporis differentia, quòd ejusdem sunt ætatis, aut temporis, ex communi modo loquendi, quo dicimus Hispanè. *De un mismo tiempo, ode una mesma edad son Joan, y Francisco*; nam si quibibet habet suum tempus, & durationem distinctam à duratione, & tempore alterius videtur abussiva loquutio. Respondeo quòd ideò aliqua talia ejusdem temporis nuncupantur, quia facta comparatione durationis unius cujusque, cum duratione, & tempore, sive motu sphæræ solis non per amplius coexistit motus solis uni, quàm alteri, nam cum uterque solis motui coexistat ejusdem temporis vocantur non intrinsicè, sed intrinsicè. Quòd patet exemplo, nam si duo horologia simul, & semel ponantur, quodlibet habet suum motum ab alterius motu distinctum, & ejusdem horæ nihilominus vocantur, quia facta comparatione cum motus solis extrinseco non plus temporis consumptum est in unius horologii motu, quàm in altero.

Argumenta contradicta.

1441. PRimò arguitur contrà id quod diximus n. 1433. tempus esse verum ens reale ex Philosopho cap. ultimo hujus libri ubi ait: *tempus non esse ens sine anima*; sed illa quæ verum esse reale habent non dependent ab anima, hoc est ab intellectus operatione: Ergo ex mente Philosophi tempus non ens reale, sed rationis est. Respondeo quod Philosophus non loquitur ibi resolutivè, sed dubitativè, ut magis ejus explicet sententiam, ut patet in verbis infrà, ubi ait: *aut oportet dicere quòd tempus non sit si non est anima, aut oportet hoc dicere veriùs quòd tempus est utrumque ens sine anima*: Ergo ex ipso Philosopho potius comprobat nostram quam oppositam sententiam.

1441. Secundò arguitur contrà in quod n. 1436. docuimus, scilicet tempus, & motum esse realitèr idem; tempus ex dictis n. 1431. est mensura motus; sed inter mensuram, & mensuratum datur distinctio realis: Ergo tempus realitèr distinguitur à motu; major ex se patet, minor probatur: inter mensuram & mensuratum datur relatio realis: Ergo inter mensuram & mensuratum datur distinctio realis: probo consequentiam antecedens enim est certum: illa quæ realitèr referuntur, realitèr distingui necesse

ſè eſt, ejuſdem enim ad ſe ipſum non datur relatio; ſed menſura, & menſuratum realitèr referuntur: Ergo diſtingui realitèr neceſsè eſt.

1443. Reſpondeo concedendo majorem, & diſtinguendo minorem: inter menſuram extrinſecam & menſuratum datur diſtinctio realis concedo; inter menſuram intrinſecam, & intrinſecum menſuratum nego; & eadem diſtinctione ad reliquum argumenti reſpondetur. Undè inter motum primi mobilis, aut ſphæræ ſolis, & reliqua inferiora, quæ per illam menſurantur extrinſecè benè datur relatio realis, & diſtinctio; inter menſuram verò intrinſecam, quæ eſt propria, & intrinſeca rei durantis duratio, neque relatio realis datur, neque diſtinctio, quia realiter idem ſunt. Alia argumenta omitto apud authores videnda.

LIBER QUINTUS PHYSICORUM.

IN hoc quinto libro, qui ſic ab Ariſtotele ſumit exordium: *tranſmutatur autem quod transfertur omne:* agit Philoſophus, teſte Scoto de motu ipſo, quantum ad ejus diviſionem in partes ſubjectivas, & dividitur in tres tractatus, primus tractatus eſt de ſpeciebus mutationis, & motus. Secundus eſt de unitate motus. Et tertius de contrarietate motus, quæ omnia ſub una diſtinctione, & quæſtione comprehendam, ita neceſſaria apponens, ut à ſuperfluis me expediam, quapropter ſit

DISTINCTIO UNICA,

De diſtinctione & unitate motus, & de ejus contrariete.

QUÆSTIO UNICA,

Sub qua ad quæſitum ſit ſatis.

ARTICULUS PRIMUS,

Unde ſumenda ſit unitas ſpecifica motus?

1444. PRO præſentis quæſiti majori intelligentia nota, quòd hic agimus de motu prout à ſucceſſivo, & inſtantaneo abſtrahit, ut quidquid de motu ut ſic dixerimus, de omni motu tali dictum intelligatur. Secundò nota quòd non agimus in præſentiarùm de unitate ſpecifica intrinſeca motus, ſive de illis prædicatis, quæ eſſentialitèr conſtituunt motum in eſſe talis, non quia illis careat, ſed quia rationes ejus conſtitutivæ ita difficilè cognoſcuntur, ut non niſi per ſigna extrinſeca in eorum poſſimus cognitionem devenire; agemus ergo de ſignis extrinſecis per quæ quaſi à poſteriori cognoſcimus motum eſſe talis ſpeciei, vel talis.

1445. Se-

1445. Secundò nota quòd ſigna per quæ communiter indagatur unitas ſpecifica, vel diſtinctio motus ſunt quinque, videlicet ſubjectum motus, ſive mobile, quòd ſubjicitur motui, & ab illo formalitèr denominatur; terminus à *quo*, terminus ad *quem*, modus tendendi, & agens, licet ab agente non propriè ſumat motus ſuam ſpeciem, cum agente variato multotiès idem ſpecie motus invariatus inveniatur.

1446. His præjactis dico primò: motus ſumptus pro forma fluente de quo hic diſputamus ſumit ſuam ſpecificationem à termino ad quem. Iſta concluſio expreſſè habetur à *Scoto in* 1. *diſt.* 13. *q.* 1. *n.* 2. *&* *diſt.* 14. *q.* 1. *n.* 7. Et probatur: quia ut patet ex dictis diſt. 1. & noſtro 3. Phyſic. q. 1. art. 2. n. 1223, & 1224. & ſequentibus forma fluens, ſive ut in fieri prout tendit in factum eſſe, & ipſa forma in facto eſſe eadem indiſtincta forma eſt; ſed forma fluens eſt motus & forma in facto eſſe eſt terminus ad *quem* ejuſdem, variatione ſolum ſe tenente ex parte ſtatuum, in quibus jam in fieri, jam in facto eſſe conſideratur. Identitas ergo infallibilis, vel diſtinctio motus præcipuè ſumenda eſt à termino ad *quem*, ita ut ſi terminus ad *quem* ſit idem in ſpecie, etiam motus ad illum idem in ſpecie ſit, & ſi diverſus terminus ad *quem* ſit, etiam motus erit diverſus. Et confirmatur: quia ideo communitèr dicimus quòd motus ad calorem diſtinctus ſpecificè eſt à motu ad frigiditatem, quia frigiditas, & calor ſpecie diſtinguuntur inter ſe: Ergo motus à termino ad *quem* præcipuè ſumit ſpecificationem.

1447. Dico ſecundò: terminus à quo poſitivus non facit diſtinctionem, vel identitatem in motu. Ita *Ariſtoteles in hoc* 5. *cap.* 4. Et probatur: quia quòd in ſubjecto, in materia prima v. g. præcedat forma ligni ad introductionem formæ ignis, vel quòd præcedat forma lapidis, aut ferri, dummodo forma ignis in tali materia introducatur, non infert aliquam diſtinctionem ſpecificam ex parte termini ad *quem*: Ergo neque ex parte motus; probo conſequentiam: quia ubi datur identitas termini ad *quem*, datur identitas motus; ſed terminus à *quo* poſitivus non infert diſtinctionem in termino ad *quem*: Ergo neque in motu. Idem dico de termino à *quo* privativo, quia cum terminus à *quo* privativus ſit privatio formæ, ſive termini ad *quem*, ſi terminus ad *quem*, eſt idem etiam terminus à *quo*, & è contrà.

1448. Dico tertiò: diverſitas ſpecifica mobilis non infert diverſitatem ſpecificam motus; probatur: quia eadem in ſpecie calefactio poteſt fieri in homine, equo, & leone, ſive ligno, lapide, & ferro: Ergo non benè arguitur: eſt ſubjectum, ſive mobile ſpecie diſtinctum: Ergo & motus; antecedens patet, quia calor qui reperitur in homine, & equo, lapide, & ferro ejuſdem ſpecificæ rationis eſt: Ergo motus ad talem calorem, ſive ſit in homine, ſive in equo, lapide, aut ferro, idem motus in ſpecie erit: Ergo &c.

1449. Dico quartò: diverſitas agentis, à quibus fit motus, non ſemper arguit diverſitatem in motu: probatur: quia ex à nobis dictis diſt. 2. de cauſis in 2. q. 5. art. 2. n. 861. & ſequentibus: idemmet numero effectus ab una cauſa productus potuit ab alia produci ejuſdem, vel altioris virtutis; ſed cauſa altioris virtutis, Deus v. g. maximè diſtinguitur

guitur à creatura quæcumque illa sit: Ergo stante variatione agentiũ potest stare identitas motus, sumpto motu pro forma fluente. Et roboratur: quia calor causatus à sole ejusdem speciei est cum calore ab igne causato, & tamen sol, & ignis plusquàm specie distinguuntur: Ergo diversitas agentium non infert diversitatem in motu.

1450. Dico quintò: modus tendendi extrinsecus licet ponat distinctionem ex parte actionis, sive fluxus formæ, non tamen ponit distinctionẽ in termino formæ: Ergo neque in motu, cum motus & forma idem formalissimè sint; probatur antecedens, quia modus tendendi est quòd forma producatur motu successivo, vel instantaneo; sed quòd forma producatur in instanti, vel in successivo fluxu, dum tamen eadem forma producatur idem terminus est: Ergo & idem motus. Quòd si modus tendendi sit intrinsecus formæ, ut est libertas in actibus voluntatis, & necessitas in actibus intellectus, iste modus benè arguit identitatem, vel diversitatem motus; patet quia etiamsi actus intellectus, & voluntatis ad idem objectum terminentur, tamen quia actus intellectus tendit in tale objectum modo necessario, & actus voluntatis modo libero rectè arguitur diversitas unius actus ab alio: Ergo &c.

1451. Ex dictis habemus, quòd ad identitatem specificam motus præcipuè requiritur identitas termini ad *quem*, & minus principalitèr identitas modi tendendi intrinseci ipso termino, ita ut istis existentibus iisdem idem sit numero motus, & istis variatis in specie, etiam specie motus variabitur; at verò identitas agentis, & termini à *quo* positivi, & mobilis de per accidens se habent respectu identitatis in motu, & ita potest stare identitas motus stante diversitate horum.

Argumenta contradicta.

1452. PRimò arguitur contrà id quòd diximus num. 1447. de termino à *quo* motus, videlicet quòd motus non specificatur ab illo, ex *Philosopho in hoc* 5. *text.* 7. *& Scoto ibidem in ejus textus expositione §. hic infert, sub n.* 7. ubi uterque docet: motum ab intrinseco petere versari inter terminos contrarios: Ergo si motus utrumque respicit ab utroque specificatur. Item ex eodem Philosopho ibidem: in hoc distinguitur motus à generatione, quia generatio est à termino à *quo* privativo, in terminum ad *quem* positivum; at verò motus est à termino à *quo* positivo in terminum ad *quem* positivum: Ergo differentia hujus, & illius solum stat in termino à *quo*, non autem in termino ad *quem*; sed motus, & generatio specie differunt: Ergo &c.

1453. Respondeo quòd benè verum est, quòd ab utroque termino specificatur motus, diverso tamen modo, à termino à *quo* tamquam à conditione necessariò requisita, à termino verò ad quem tamquàm ab infallibili specificativo. Undè terminus à *quo* requiritur ad motum, non tamen hic terminus, vel ille, sed aliquis; at verò terminus ad *quem* requiritur quòd sit essentialitèr idem ad hoc quòd motus idem sit. Cum autem dicit Philosophus quòd generatio distinguitur à motu penes terminum à *quo*, idem est ac si diceret quòd aliquando termi-

terminus à *quo* conducit in cognitionem motus, quòd nos non negamus; non autem quòd ab illa ſumatur regula infallibilis diſtinctionis, vel identitatis motus, ſicut ſumitur à termino ad *quem*. Vndè diſtinctio illa penès terminum à *quo* à Philoſopho aſſignata eſt diſtinctio ab aliquo accidentali, quòd fruſtrabile eſt, diſtinctio vero à termino ad *quem* deſumpta infallibilis.

1454. Secundò arguitur: motus inſtantaneus ſpecie differt à motu ſucceſſivo, & tamen motus inſtantaneus, & ſucceſſivus eundem habent terminum ad *quem*: Ergo ex identitate termini ad *quem* non rectè arguitur identitas motus. Reſpondeo diſtinguendo majorem: motus inſtantaneus, & ſucceſſivus ſpecie diſtinguuntur, ſi motus ſumatur pro forma fluente, ut ſumitur hic, nego majorem, ſi motus ſumatur pro fluxu formæ, ſive pro illa morula, quæ in fieri formæ conſumitur concedo majorem, & concedo minorem, & diſtinguo conſequens: Ergo identitas termini ad *quem* non arguit identitatem in motu, ſumpto motu pro forma fluente, nego conſequentiam: ſumpto motu pro fluxu formæ concedo conſequentiam. Vide quæ diximus in 3. Phyſic. diſt. 1. q. 1. n. 1204, & n. 1213, & 1214. & præcipuè n. 1221, & 1222. & ſequentibus.

1455. Tertio arguitur: ex *Scoto in* 3. *diſt*. 14. *q*. 1. *§. ad primum*, *& diſt*. 27. *q. unica per totam*, *& in* 4. *diſt*. 43. *q*. 1. *§. aliter*, ubi tamquàm primum determinat principium quòd licet ex diverſitate termini ad *quem* benè inferatur diſtinctio motus, non tamen ex identitate termini ad quem identitas motus infertur, quia motus rectus, & circularis ſpecie diſtinguuntur inter ſe, & tamen eumdem poſſunt habere terminum; & licet Deus ſub eadem ratione Deitatis, ſit objectum fidei, ſpei, & Charitatis, tamen harum virtutum actus ſpecie differunt, ut ex ſe patet: Ergo non rectè arguitur: terminus ad quem eſt idem: Ergo & motus.

1456. Reſpondeo quòd motus ſumptus pro forma fluente ſumit ſuam ſpecificationem à termino ad *quem*, non autem motus ſumptus pro fieri formæ, ſive pro fluxu, quia idem homo poteſt produci ab alio homine, & à Deo, ut erit in reſurrectione generali. Ad exempla illa de motu recto, & circulari, & de actu fidei, ſpei, & Charitatis dico, quòd terminus motus recti, & circularis eſt ubi locale, quod non variatur, quia per diverſas ſpecies vires acquiratur, cæterum illud ubi locale non eſt motus ad illum, neque fieri motus localis eſt terminus ipſe localis, qui acquiritur, ſed quid extrinſecum termini motus ad illud. Et idem dico de objecto beatifico eodem reſpectu illorum actuum fidei, ſpei, & Charitatis. Undè diſtinguo majorem: ex identitate termini ad quem non infertur identitas, ſi terminus ad *quem* ſit idem cum ipſo motu, & motus ſumatur pro ipſo termino ad *quem* in fieri: nego: ex identitate termini ad *quem*, qui eſt extrinſecum terminativum motus, ut patet in exemplis allatis concedo. Ex quo nihil contrà nos. Vide annotationes Patris Aretini ſuper quæſt. 5. ex hoc 5. ſub n. 10. §. nota ſecundò.

ARTICULUS SECUNDUS,

Undè sumenda sit identitas, vel distinctio numerica motus?

1457. PRO responsione quæsiti dico hanc conclusionem firmitèr defensandam ad unitatem numericam motus, hoc est ad hoc quòd motus sit idem numero requiritur unitas numerica mobilis, unitas numerica temporis, & unitás termini ad *quem*. Ita Aristoteles *in hoc 5. cap. 4. text. 31. & 34. Scotus in hoc 5. q. 6. §. deinde ponuntur, sub n. 5.* Et probatur: de unitate mobilis ratione Scoti ibidem: quia motus est actus mobilis: igitur unus motus est actus unius mobilis: Ergo ubi mobile est distinctum numero, etiam motus erit numero diversus, patet consequentia: quia idem numero accidens non potest esse in duobus subjectis, neque de subjecto in subjectum transire. Et confirmatur: quia si Socrates, & Plato mutentur ad caliditatem simul in eodem tempore, adhuc dicimus istos motus esse diversos, eo solo quòd mobilia sunt diversa: Ergo &c.

1458. Quòd ad unitatem numeralem motus requiritur unitas temporis, probatur: quia illi motus sunt diversi, qui interrumpuntur ad se invicem per quietem mediam; sed motus facti diversis temporibus sunt hujusmodi: Ergo illi motus (scilicet qui quiete interrumpuntur) non sunt unus numero motus, & patet in exemplo, quia si Socrates hodie calefiat, & cras quiescat, deinde post cras calefiat, tunc istæ calefactiones sunt diversæ, ex eo quòd fiunt in diversis temporibus; & idem dico de Petro se movente localitèr pro tempore *A*, & posteà quiescente, & post quietem iterum se movente.

1459. Rursus quòd requiratur etiam unitas termini ad *quem*, præterquam quòd sufficienter manet probatum ex dictis art. præcedenti à n. 1446. & infrà, próbatur ulterius: quia si Socrates in eodem tempore simul fieret albus, & calidus, adhuc albefactio, & calefactio dicerentur motus diversi, quia sunt ad diversos terminos: Ergo ad unitatem numericam motus non solùm requiritur identitas mobilis, & temporis, sed etiam identitas termini ad *quem*.

Argumenta contradicta.

1460. PRimò arguitur contrà id quod diximus de identitate mobilis requisita ad motus identitatem n. 1457. si aliquod animal caderet ab aliquo loco valde alto, ita ut in medietate viæ moreretur, tunc ille motus esset unus, & continuus, & tamen mobile non esset idem, quia non est idem mobile vivum, ac mortuum: Ergo &c. Quòd talis motus esset idem patet, quia non esset aliqua quiete, vel morula interruptus. Quòd animal vivens, & mortuum distinguantur plusquam specie, patet; quia vivum esset animal hujus speciei, canis v. g. vel alterius, & mortuum solum esse cadaver: Ergo &c.

1461. Respondeo ex Scoto ibidem sub n. 7. §. ad rationes, v. ad primum dico: *quod ille motus* (videlicet quo canis vivus, & mortuus moverentur) *non est unus, & continuus, sed sunt duo motus contigui, & eodem modo dicitur de virga, cujus una medietas est virens, & alia arida.* Et licet videatur ad sensum,

sensum, quòd idem motus perseveratus, & continuus sit, tamen ratio docet, quòd idem numero accidens in duobus subjectis nequit subjectari, neque de subjecto in subjectum transire, & cùm canis vivus distinctũ subjectum numero, immo specie sit à cane mortuo, necesse est quòd motus vivo, & mortuo conveniens alius, & alius sit, videtur tamen quòd unus motus sit, quia non mediat aliqua quies inter unum, & alium; cæterùm cum ad numericam entitatem motus requiratur non solùm identitas temporis, sed etiam termini ad *quem*, & mobilis, hinc fit quòd &c. Vel dicite ex Scoto ibidem, & *in 2. dist.* 13. *q.* 4. *§. ad primum & in* 4. *dist.* 12. *q.* 3. *§. dico:* quòd talis motus unus numero esset, quia subjectum unum numero foret; & cùm dicis, quòd animal vivum distinctum est ab animali mortuo, Respondeo negando suppositum, quòd animal prout vivum esset illius motus subjectum, quia accidentia in viventibus non in toto specifico, sed in toto corporeo ex materia prima, & forma corporeitatis subjectantur. Undè cùm idem subjectum corporeum organicum, quod in animali vivo erat, in ipso mortuo maneat, non variaretur subjectum talis motus numero, & sic motus idem numero esset. Utrumque dicitur à Scoto, quod malueritis eligite.

1462. Secundò arguitur contrà id quòd diximus n. 1458. de identitate temporis necessaria ad identitatem motus: si aliquod mobile moveretur continuè per unam diem, medietas talis motus evidens est, quòd in diverso fieret tempore, ac medietas altera, & tamen motus esset idem: Ergo &c. probatur antecedens: quia prima medietas fieret à mane usque ad meridiem, & secunda à meridie usque ad solis occasum; sed mane, & vespere non idem tempus sunt: Ergo &c.

1463. Respondeo ex *Scoto loco cit. §. notandum num.* 3. quòd sicut motus solis dicitur idem numero, non quia partes ejus sunt simul, sed quia partes sibi invicem succedunt; ita manè & vespere vocatur unum tempus, sive una dies secundùm continuationem partium in successione. Unde dico (ait Scotus) sub n. 8. §. ad textum: *quòd licet fiat in diversis temporibus* (hoc est in diversis partibus temporis) *tamen illa tempora sunt unum tempus.* Unde nego majorem, vel illum distinguo: ille motus fieret in diversis temporibus partialibus, sive in diversis partibus ejusdem temporis, concedo majorem: in diversis temporibus discontinuatis nego.

1464. Tertiò arguitur: contrà id quòd diximus n. 1459. de identitate termini ad *quem*: posito quòd centrum mundi esset perforatum, & descenderet unum grave continuè usque ad centrum & adhuc ultrà propter impetum acquisitum; tunc iste motus est unus, & continuus, quia super eamdem lineam factus, & sine interruptione quietis, & tamen non est ad eumdem terminum, quia primus est motus deorsum, scilicet usque illud grave pertingit centrum, & secundus motus sursum, scilicet, dum illud grave propter impetum acquisitum ultrà centrum progrederetur: Ergo ad identitatem numericam motus non requiritur identitas termini ad quem.

1465. Respondeo ex *Scoto ibidem, v. sed objicitur, sub n.* 7. quòd ille motus (gra-

vis videlicet deſcendentis per foramen caſu admiſſo) non eſſet unus motus, ſed ſunt duo motus contrarii, qui ſunt inter contrarios terminos; ex hoc infertur (addit Scotus) quòd inter quoſlibet motus contrarios eſt quies media, quia poſſunt tales motus abſque ulla temporis interruptione per quietem eſſe contigui, ut patet de petra cum impetu projecta in terram, quæ naturaliter movetur ad terram, cùm naturaliter illam petat tamquàm ſui centrum, & inde ſtatim reſiliente ſurſùm abſque ulla temporis interruptione, quæ cùm ſurſum moveatur per reſultantiam, violenter movetur; & idem dico de homine, qui ſurſùm, & deorſùm cum impetu movet manum, cujus deſcenſus motus eſt naturalis, eò quòd manus ſit gravis, & aſcenſus violentus, qui quidem motus nulla morula interrumpuntur, & tamen diverſi motus ſunt propter diverſitatem terminorum ad *quem*. Alia minoris notæ argumenta omitto.

1466. Sed dubitabis pro pleniori intelligentia quæſiti: ſuppoſito quòd dantur motus contrarii in re, ut patet in motu ſurſùm, & deorſùm, calefactione, & frigefactione, unde ſumatur iſta motuum contrarietas? Reſpondeo cum communi conſenſu, quòd ex terminis ad *quem* talium motuum; & probatur: nam ab eo ſumit motus contrarietatem, à quo ſumit ſpecificationem; ſed à termino ad *quem* ſumit ſpecificationem, ut patet ex dictis: Ergo &c. Major probatur: quia unitas, & diſtinctio, diverſitas, & oppoſitio propriam rerum ſpecificationem conſequuntur: Ergo.

ARTICULUS TERTIUS,

De oppoſitione motuum inter ſe, & cum quiete.

1467. DARI motus inter ſe contrarios experientia compertum eſt, ut patet de motu ſurſùm, & deorſùm, motu ad frigiditatem, & ad calorem, quæ contrarietas attenditur penès incompoſibilitatem naturalem in eodem ſubjecto, nam ex eo quòd motus deorſùm ſit gravi naturalis, dicimus quòd motus ſurſùm eſt illi violentus, & è contra. Dico ergo cum communi &c.

1468. Ad ſecundam partem quæſiti deveniendo: dico quòd quies poteſt dupliciter conſiderari, vel poſitivè, vel privativè, quies privativa eſt privatio motus, & termini ejuſdem, ut v. g. materia prima nuda ab omni forma, quæ dum forma caret, dicitur illa privata, & ſine illa privativè quieſcere; quies poſitiva eſt, quòd mobile jam non movetur, ex eo quod habeat terminum ſui motus, in quo poſitivè quieſcit, ut materia prima quando eſt ſub aliqua informata forma, jam ad illam deſiderandam non movetur, immo quieſcit, & congaudet in ſui termini quietativa poſſeſſione.

1469. His præjactis dico quod quies privativa privativè opponitur cum motu; patet quia quies privativa nihil aliud eſt, quàm carentia motus; ſed carentia formæ poſitivæ, & ipſa poſitiva forma privativè opponuntur: Ergo inter motum & quietem privativè, datur privativa oppoſitio. *Ita Scotus q. 7. §. nunc ſit ſecunda concluſio ſub n. 4.*

1470. Dico

1470. Dico secundò : quies positiva non opponitur cum motu, immo maximè sunt comparibiles in eodem subjecto. Probatur: quies positiva datur in subjecto, quando subjectum quiescit, & gaudet possessione illius, quod appetit; sed quando subjectum, sive mobile movetur ad suam naturalem formam quiescere incipit positivè, & quietari possessione illius, quod appetit : Ergo &c. Et confirmatur : quia motus ex supradictis est ipsa forma in fieri, quæ à mobili desideratur : Ergo &c. Et pono exemplum in forma naturali, & naturali motu, non quia non detur quies positiva, licet violenta in lapide supra detento; sed ut clarius, quæ sit talis quies percipiatur. Et dicta pro hac difficultate sint satis, ut ad alia transeamus.

ARTICULUS QUARTUS,

Ad quæ prædicamenta detur per se motus?

1471. PRO præsentis quæsiti responsione suppono non esse hic sermonem de motu latissimè sumpto, prout sub se comprehendit mutationem omnem, tam instantaneam, quam successivam, sed solùm de motu successivo, qui propriè, & rigorosè motus appellatur. Secundò suppono, quod non quærimus in præsentiarùm : utrum per adventum formæ cujusvis prædicamenti mobile, sive subjectum talis formæ mutetur, quia ut certum supponimus, adveniente nova forma, quæcumque illa sit aliter se habet subjectum illius, quàm prius se habebat, & per consequens mutatur; in quo sensu ait *Philosophus 3. Physic. & 7. Metaph. tot esse mutationum species, quot entis.*

1472. Quærit ergo titulus ad quæ prædicamenta detur per se motus, hoc est quæ prædicamenta per se terminent motum, sive illum perficiant, tamquàm res per se intenta per motum; ut res igitur aliqua possit terminare per se motum triplex requiritur conditio : prima quod talis res sit per se intenta à tali motu. Secunda quod talis res habeat latitudinem partium, quæ ex sua natura petant una acquiri post aliam, ratione cujus per motum successivum successivè tales partes acquirantur. Tertia quod talis res habeat aliquam contrarietatem, non propriè, & rigorosè, sed impropriè, sumpta mutatione pro incompossibilitate terminorum positivorum, inter quos fit motus.

1473. Pono ergo hanc conclusionem ad quæsitum respondendo : ad tria prædicamenta solum (videlicet ad quantitatem, qualitatem, & ubi datur per se motus.) Ita *Aristoteles in hoc 5. text. & com. 20. & 3. Physic. text. & com. 4. & Scotus in hoc 5. q. 5. §. 4. conclusio, sub n. 6.* cujus hæc sunt verba : *in tribus generibus solum, scilicet in quantitate, qualitate, & ubi invenitur motus.* Probatur : quia solum in illis tribus reperiuntur conditiones requisitæ ad motum : igitur in illis tribus solum invenitur motus; antecedens apparet, quoniam in quolibet illorum generum est dispositio acquisibilis successivè in subjecto in actu per motum illius subjecti : Ergo &c.

1474. Et confirmatur : nam in primis quantitas habet extensionem, sive latitudinem partium successivè pertransibilem, quæ per se non potest in unico instanti produci,

sed

ſed ſucceſſivè, & paulatim, ut patet in augmentatione hominis, qui paulatim, & ſucceſſivè creſcit. Ulteriùs qualitas habet extenſionem, ſive latitudinem gradualem graduum qualitatis ſucceſſivè acquiſibilem per motum, qui dicitur intentio, nam cum unus gradus incipiat in ſubjecto caloris v.g. ſucceſſivè per novi gradus additionem, talis calor intenditur, ſive fit intenſior. Rurſùs ubi acquiritur ſucceſſivè, quia habet extenſionem partium ſaltèm ratione ſpatii, per quod fit motus ad illud ſucceſſivè pertranſibilis: Ergo &c. Et confirmatur: quia communiter omnes Philoſophi cum Ariſtotele docent hic tres ſunt tantum ſpecies motus ſucceſſivi, videlicet augmentatio, alteratio, & motus localis; augmentatio, quæ ad quantitatem ſolum terminatur, alteratio ad qualitatem, motus autem localis ad ubi: Ergo &c. Et dicta pro hac diſtinctione, & libro ſint ſatis, ut ad alia tranſeamus; ſi aliqua hic contigerit deſiderari conſulite authores.

LIBER SEXTUS PHYSICORUM.

IN hoc ſexto libro oſtendit Ariſtoteles teſte Scoto in ejus textus expoſitione, quod nullum continuum compoſitum eſt ex indiviſibilibus, nec non de inceptione, & deſitione rerum, quapropter ipſum, & noſtrum Subtilem Præceptorem inſequentes, iſtum librum ſub una diſtinctione abſolvemus, in qua de iiſdem pro noſtra ſufficientia agemus, quapropter ſit

DISTINCTIO UNICA,

De continuo quoad ejus compoſitionem diſſertans.

QUÆSTIO PRIMA,

Quid ſit continuum ut ſic, & an ex partibus, vel potius ex indiviſibilibus componatur?

ARTICULUS PRIMUS,

Ubi ad quæſitum ſit ſatis aliquibus prænotatis.

1457. PRimò præmitto quòd licet hic ſæpius ſermonem adducamus de continuo permanenti, cujuſmodi ſunt corpus, ſuperficies, & linea, & in his frequentiùs exemplum apponamus, tamen de omni continuo, tam permanenti, quàm ſucceſſivo intelligitur dictum, quòd ab altero eorum exemplificaverimus quoad compoſitionem utriuſque, frequentiùs tamen in continuo permanenti, ideo exemplum ponimus, quia permanens nobis notius ſucceſſivo eſt, cum tamen in utroque quoad componi ex partibus, & indiviſibilibus par militet ratio.

1476. Conti-

1476. Continuum ergo sic à *Philosopho in hoc 6.* & contiguum describuntur: *continua sunt quorum ultima sunt unum: contigua verò sunt quorum ultima sunt simul.* Exemplum primi, partes quibus aliqua magnitudo quantitativa continua componitur, ut partes ulnæ, sive digiti, quæ continuantur, ita ut ultimum unius partis, sit primum alterius. Contiguorum exemplum, ut superficies v. g. aëris me locantis, quæ contigua ideo appellatur cum superficie mei corporis locati, quia inter unam, & alteram superficiem non mediat aliquod corpus, immo talis superficies contactu Physico, & reali se tangunt.

1477. Secundò præmitto quòd in quolibet continuo dantur vera indivisibilia positiva, & realia, altera continuativa, & altera terminativa; ut contra Ochamum in sua Logica cap. de quantitate, & in tract. de Eucharistia cap. 1. & 2. & quodlib. 1. q. 9. Durandum in 2. dist. 2. q. 4. & alios, docet *Scotus in hoc 6. q. 7. & 8. & in 2. dist. 2. q. 2. & 3.* Divus Thomas opusc. 36. cap. 2. & q. 28. de veritate, & communi consensu utriusque Scholæ. Quod hac suadetur ratione: *ex Philosopho c. de quantitate, & 5. Physic. cap. 3. & in hoc 6. text. 1.* quantum continuum est cujus partes copulantur aliquo termino communi: Ergo aliud sunt partes continui, quæ copulantur, & alius terminus communis, sive copula media qua copulantur: Ergo sicut dantur partes in continuo, & terminus uniens tales partes; sed hic necessariò est indivisibilis, alioquin non esset utrique parti communis, vel secundùm se conveniens utrique parti: Ergo &c.

1478. Continuum ergo sic sumptum in sua communissima ratione dividitur in permanens, & successivum. Continuum permanens est cujus partes sunt continuæ simul; quòd tripartitur, sive in tres partes subjectivas subdividitur, in corpus videlicet quod tribus constat dimensionibus, secundùm longitudinem videlicet, latitudinem, & profunditatem; in superficiem, quæ solum duabus dimensionibus gaudet, secundùm longitudinem videlicet, & latitudinem; & lineam, quæ sola extensione latitudinis gaudet. Continuum successivum est, cujus partes continuæ non simul, sed successivo fluxu decurrunt; quod subdividitur in tempus, & motum. Partes continui permanentis, lineæ v. g. indivisibilibus uniuntur, & continuantur; partes verò temporis etiam indivisibilibus continuantur, quæ vocantur *nunc*; & partes motus aliis indivisibilibus, quæ communiter mutata esse nuncupantur.

1479. His præjactis pro prima quæsiti parte, nunc quæritur in præsentiarùm pro secunda, utrum continuum, linea v. g. ex solis indivisibilibus componatur, vel potius ex partibus divisibilibus? omissa ergo Zenonis sententia, etsi ab aliquibus Jesuitis sequatur, jam ab Scholis quàm maximè est relegata, qui affirmavit continuum tam permanens, quàm successivum ex solis indivisibilibus coalescere, ita ut linea v. g. non esset aliud, quàm multa puncta, sive indivisibilia unita; communis tenet sententia continuum non ex solis indivisibilibus componi, sed ex partibus, & ex indivisibilibus; diverso tamen modo, ex partibus tamquam ex eis quæ faciunt extensionem, & ex indi-

visibilibus, tamquàm ex unionibus, sive continuativis, mediis quibus partes continuantur.

1480. Probo primò conclusionem authoritate *Philosophi qui in 6. cap. 1. text. 2.* ait: *at verò neque consequenter erit punctum ad punctum, aut ipsum nunc, ad nunc ipsum, ut ex his sit longitudo, aut tempus, consequenter enim sunt intrinseca, quæ nihil sunt ejusdem generis, inter autem puncta semper est linea, & inter ipsum nunc est tempus.* Quod late ibidem prosequitur & probat Scotus ut videre licet in ejus textus expositione, & *q. 1. §. tunc ponitur ista conclusio sub n. 5.* cujus hæc sunt verba: *nullum continuum est compositum ex indivisibilibus*; Quod latè probat ibidem, & idem docet expresè in *2. dist. 2. q. 9. §. ad 2. n. 6.* estque sententia expressa Divi Augustini lib. de quantitate animæ, lib. 11. in fine, & cap. 12. in principio, & 11. de Trinitate cap. 11.

1481. Id ipsum tamquam certum in Philosophia statuit Sacrum Concilium Constantiense sect. 12. contra Joannem his verbis, ejus volens annotare errores, quos adversus Philosophiam tenuit, hunc retulit inter alios, nempe continuum componi ex indivisibilibus; verba accipite Concilii. *Linea autem Mathematica continua componitur ex duobus, tribus, vel quatuor punctis, simpliciter finitis, vel tempus est, fuit, vel erit compositum ex instantibus immediatis: item non est possibile, quin tempus, & linea si sint aliter componantur*; & statim his verbis Concilium debitam reddens censuram addit: *prima pars est error in Philosophia, sed ultima errat circa divinam potentiam*: Ergo ex Sacro Concilio constat esse in Philosophia errorem asserere, quòd linea v. g. sicut & quodcumque aliud continuum ex indivisibilibus componitur.

1482. Secundò probatur ratione, qua eam probat Scotus *in hoc 6. q. 1. §. oppositum sub n. 3. quia ex illis non componitur aliquid* (supple extensum in magnitudine quantitativa, de qua hic loquimur) *quibus additis non resultat aliquid majus*: sed indivisibilibus additis non resultat aliquid majus: Ergo ex indivisibilibus solis non componitur aliquod extensum continuum; major est nota, quia illa quæ componunt magnitudinem aliquam extensionem facere necessè est, & quòd facit extensum, extensum debet esse; minor probatur, & suppono, quòd linea v. g. sit composita ex tribus indivisibilibus, *A. B.* & *C.* interrogo tunc C. tangit *B.* secundùm illud idem, secundùm quod tangit *A. B.* vel secundùm aliud? si secundùm aliud, quia *B.* ex una parte attingitur ab *A.* & ex alia à C. igitur *B.* est divisibile, siquidem habet partes, & secundùm unam ab uno puncto, & secundùm aliam ab alio tangitur, quod est contrà positum, & contrà naturam indivisibilis. Si secundùm idem tangit *A.* secundùm quod tangit C. igitur ista puncta non faciunt extrà se invicem extensionem, & habetur intentum, ista consequentia probatur: illa quæ secundùm se tota se tangunt, ita ut nihil unius sit extrà aliud taliter intromittuntur, quòd neque accrescunt, neque faciunt majus, quia si essent duo corpora sic se habentia quòd simul cum quolibet unius esset aliquid alterius, & nihil unius esset extrà reliquum, inimaginabile est quòd illa duo corpora faciant majorem extensionem, vel occu-

occupent majus ſpatium, quàm alterum illorum tantum ſi per ſe eſſet: Ergo intelligibile eſt quòd duo puncta ſecundùm ſe tota ſe tangant, & quod faciant majorem extenſionem: Ergo &c.

1483. Et confirmatur: indiviſibile additum indiviſibili facit plus, non autem majus: Ergo punctum additum puncto non facit majus in extenſione, antecedens probatur: illud quod non eſt extenſum, immo omni carens extenſione additum alteri inextenſo nequit facere extenſionem, ſed indiviſibile ex ſua natura non eſt extenſum, immo omni carens extenſione: Ergo indiviſibile additum indiviſibili non facit majus in extenſione; major ex ſe patet, quia quod non eſt album nequit formalitèr conſtituere album, & quod non eſt calidum nequit formalitèr calidum conſtituere: Ergo quod non eſt extenſum non facit extenſionem formaliter. Et urgeo ulteriùs rationem: illud non facit majus, quo ablato non facit minus, ſed ablato indiviſibili uno ab una linea, bipedali v. g. linea talis non efficitur minor, immo ejuſdem extenſionis quantitativæ manet: Ergo addito non facit majus; major ex ſe patet, minor probatur: quia ablato uno indiviſibili à tali linea non aufertur ab illa aliquid extenſionis; Ergo ejuſdem manet quantitativæ extenſionis, ac anteà erat: Ergo neque addito facit majus, quia quo poſito non ponitur aliquid, neque ablato aufertur. Quod ulteriùs declaro ſimul, & exemplo confirmo, & pono caſum quòd eſſent duæ lineæ una ex decem conſtans punctis, & altera undecim, tunc inquiro iſtæ lineæ eſſent æquales, nec ne? dicunt adverſarii quòd non; tunc ſic illa linea major ſolum excederet minorem in puncto, ſive indiviſibili: Ergo non aliqua quantitativa extenſione: Ergo in extenſione quantitativa æquales forent: Ergo &c.

1484. Secundò probatur concluſio ab inconvenienti, ratione qua utitur *Scotus ſub n. 4. §. 2.* nam ſi continuum ex indiviſibilibus componeretur, ſequeretur quòd indiviſibile eſſet diviſibile; hoc implicat: Ergo &c. Probatur ſequela: poſito quòd lineam factam ex tribus indiviſibilibus pertranſeat mobile velocius in aliquo tempore, & ponatur quòd in eodem tempore ſuprà eamdem lineam moveatur aliud mobile in duplum velocius: igitur tale mobile quòd in duplum velociùs moveretur duplex ſpatium pertranſibit, & conſequentèr punctum cum dimidio: Ergo tale punctum erit diviſibile in duas medietates, quòd abſurdiſſimum eſt.

1485. Tertiò probatur ab eodem *Scoto ibidem §. 3.* nam illa indiviſibilia, quæ componerent continuum, vel eſſent continua, vel contigua? ſed neque unum, neque alterum: Ergo neutro modo poſſent illam componere. Quòd non continua probatur, quia continua ſunt quorum ultima ſunt unum, ſed indiviſibile non habet ultimum: Ergo non poteſt componere continuum; minor probatur: quia ultimum dicitur ratione alicujus partis prioris, quæ non eſt ultima: Ergo ſi indiviſibile haberet ultimum, haberet aliam partem priorem, quæ non eſſet ultima, & conſequentèr in has duas partes eſſet diviſibile indiviſibile, quod eſt implicatorium; idem facio argumentum de contiguis, quia contigua ſunt quorum ultima ſunt ſimul; ſed indiviſibilibus

repugnat habere ultima: Ergo & esse contigua. Præterquam quòd ex contiguis nequit resultare continuum: Ergo ex partibus, sive indivisibilibus contiguis repugnat quod continuum componatur.

1486. Probo nunc conclusionem specialitèr de continuo successivo: permanens continuum non est compositum ex indivisibilibus, sed ex partibus divisibilibus: Ergo & continuum successivum; antecedens patet ex dictis, consequentia probatur; sicut se habet continuum ad suas partes, ita successivum ad suas, sed continuum permanens ex partibus divisibilibus, & non indivisibilibus componitur: Ergo & successivum, minorem probo: quia partes successivi motus v. g. sumuntur à partibus permanentis, exemplum: si *A* transit spatium pedale non dicimus, quòd in motu sit prius, & posterius, nisi per respectum prioris, & posterioris in spatio. Et roboratur: quia sicut indivisibile additum indivisibili non facit majus in continuo permanenti, ita & in successivo, & propter easdem rationes: Ergo &c.

1487. Ex dictis huc usque habemus, quòd nullum continuum, vel permanens, vel successivum sit, componitur ex solis indivisibilibus, sed ex partibus divisibilibus, quæ uniuntur, & copulantur mediis indivisibilibus; ita ut inter unum indivisibile, & aliud necessariò mediet aliqua pars divisibilis, ut inter punctum, & punctum linea, & inter nunc, & nunc tempus, ut ait Philosophus. Alias rationes in probationem nostræ conclusionis omitto apud authores videndas.

Argumenta contradicta.

1488. PRimò arguitur contrà nostram conclusionem: sic se habet punctum ad lineam, sicut unitas ad numerum, *ex 1. topic. cap.* 14. sed numerus ex solis indivisibilibus unitatibus componitur, & coalescit: Ergo & linea ex solis punctis: Ergo &c. Respondeo paritatem stare in hoc, quòd sicut unitas est primum numeri, ita punctum initium lineæ, non autem quòd sicut numerus ex unitatibus coalescit, ita linea ex punctis, tamquàm ex partibus essentialitèr illam componentibus, & idem dico de aliis continuis, & hæc est communis responsio. Sed contrà non implicat ex indivisibilibus unitatibus aliquid effici majus in quantitate discreta, in numero, exempli gratia: Ergo non implicat ex indivisibilibus punctis aliquid effici majus in quantitate continua; antecedens est certum, consequentia probatur: non implicat ex indivisibili quatenus tale aliquod majus efficere, quia si quatenus indivisibile est sibi repugnaret majus efficere, nulli indivisibili posset convenire; & sic neque unitati, neque indivisibili, quatenùs tale indivisibile est, puta quantitatis continuæ: Ergo ex nullo capite repugnat.

1489. Respondeo duplicitèr: primò negando suppositum, quòd unitas facit majus in numero, licet faciat plus, nam impropriè unus numerus dicitur major altero, licèt benè dicatur plus altero. Undè concedo quòd indivisibili in sua communissima ratione conveniat non facere majus. Secundò respondeo, & melius, quòd indivisibili tali quantitatis continuæ videlicet, repu-

repugnat facere majus, non autem indivisibili quantitatis discretæ, qualis est numerus; & ratio disparitatis ab unius, & alterius natura intrinseca desumitur, nam cùm talia indivisibilia quantitatis continuæ non possint efficere lineam v. g. nisi uniantur, & Physicè tangantur, & non possint se Physicè tangere nisi secundùm se totæ, ex eo quòd habeant latitudinem partium, necessariò intromitterentur, & penetrarentur, & ex eis non posset aliquid majus uno resultare, vide quæ dixi n. 1482. at verò indivisibilia quantitatis discretæ, numeri v. g. quæ sunt unitates, cùm non petant uniri, immo separatæ, & discretæ esse, hinc fit quòd &c.

1490. Secundò arguitur: si corpus perfectè sphæricum moveretur super corpus perfectè planum continuè tangeret illud in puncto, sed nulla pars est assignabilis in plano, quæ non possit attingi ab illo corpore sphærico: Ergo totum planum constat ex punctis. Et confirmatur: globus, sive sphæricum potest moveri in plano de extremo ad extremum: Ergo tota illa linea componitur ex punctis; patet consequentia: quia perfectè sphæricum non tangit nisi in puncto; sed tangit planum successivè de extremo ad extremum: Ergo continuè successivè tangeret punctum post punctum: Ergo linea per quam fieret motus ex solis punctis esset composita; quod si semel admittitur continuum ex solis indivisibilibus componi: Ergo & omne, cùm non sit major ratio unius, quàm alterius. Idem argumentum potest fieri de puncto separato, quod super planum moveretur successivè continuè, quod quidem punctum solùm tangeret in puncto: Ergo in illo corpore quanto continuo unum punctum post aliud immediatè sequeretur, & ex eis componeretur, & resultaret.

1491. Respondeo ex *Scoto in hoc 6. q. 1. §. ad quintum. sub n. 9.* quòd si corpus perfectè sphæricum (& idem dico de puncto) moveretur super planum, non tangeret immediatè punctum post punctum, immo post punctum tangeret lineam sive partem divisibilem non adæquatè, sed inadæquatè, ita ut illud partis tactum à puncto, sive sphærico esset qnodammodo indivisibile. Ex quo nullum sequitur inconveniens, nam bene potest illud quod divisibile est tangi ab illo, quod indivisibile est, ut patet de Angelo indivisibili tangente divisibile spatium.

1492. Tertiò arguitur: datur aliquod continuum, quod non ex partibus componatur, immo ex indivisibilibus: Ergo non omne continuum ex partibus componitur; antecedens probo: tempus nullas habet partes ex quibus possit componi: Ergo &c. Probo antecedens: quia si aliquas haberet partes, maximè præteritum, præsens, & futurum; sed nulla pars præsens temporis datur, sed solum indivisibile instans, quod *nunc* temporis vocatur: Ergo &c. Probo minorem: & suppono quod successivum ut tale nequit secundùm omnes suas partes simul existere, sed necessariò petit quòd una desinat esse ad hoc ut alia sit. Quo supposito formo discursum: eò successivum nequit existere simul secundùm omnes suas partes, quia successivum est; sed quælibet pars temporis est successiva: Ergo cuilibet parti successivæ repugnat simul existentia;

 major

major ex se patet, minor probatur: quia ideò successivum est tale, quia partibus formalitèr in se successivis conflatur, sive componitur: Ergo nulla pars successivi datur, quæ non sit successiva. Et roboratur, quia sicut se habent partes plani ad planum, & sphærici ad sphæricum, ita se habent partes succesivi ad successivum; sed nulla pars datur in plano, quæ non sit plana, neque in sphærico, quæ non sit sphærica, sive curva: Ergo neque in successivo, quæ non sit successiva; sed successivo ut tali repugnat tota simul existentia: Ergo cuilibet parti temporis simul existere repugnat.

1493. Respondeo ad argumentum negando antecedens, & ad ejus probationem similiter nego antecedens, ad ejus probationem concedo majorem, & nego minorem, nam non solùm in tempore datur *nunc*, sive indivisibile instans actualitèr existens, sed etiam pars temporis divisibilis; & ad ejus probationem respondeo concedendo majorem, & minorem, & distinguendo consequens: Ergo cuilibet parti successivi repugnat existentia simul secundùm totam suam extensionem & latitudinem, concedo consequentiam: secundùm aliquid sui inadæquatum nego consequentiam. Unde licèt una pars temporis non possit tota simul existere, eo quòd successiva sit, potest tamen existere secundùm aliquid sui inadæquatè, quod cum desinat esse aliud inadæquatum ejusdem partis in existentia sequitur. Ex quo nulla sequitur implicatio, nam post instans præsens, sive *nunc*, aliqua pars temporis sequitur immediatè, & non aliud, quæ quidem pars licèt non possit tota simul existere, eo quòd successiva, potest tamen inadæquatè, & secundùm aliquid sui existere.

ARTICULUS SECUNDUS,

Utrum partes ex quibus componitur continuum sint actualiter distinctæ inter sese, & an infinitæ, vel finitæ?

1484. PRO hujus quæsiti intelligentia præmitto primò quòd partes ex quibus coalescit continuum sunt in duplici differentia, aliæ enim sunt aliquotæ, aliæ proportionales; partes aliquotæ sunt partes determinatæ magnitudinis, ut palmus v. g. qui determinatus est, & in alios palmos indivisibilis. Partes proportionales, inæquales, indeterminatæ, & communicantes communiter appellantur, quia palmus v. g. sive ulna, servata proportione minoris, & minoris quantitatis secatur in plures partes, ut in duos semipalmos, & in quatuor medietates semipalmorum, & ideo inæquales vocantur, quia nulla est assignabilis certa magnitudo, sed quælibet in minores, & minores partes indeterminatas, & incertas est divisibilis. Dicuntur communicantes, quia una semper accipit aliquid ab alia, ut semipalmus accipit medietatem palmi; & indeterminatæ appellantur, quia carent termino suæ parvitatis, sed semper divisibiles sunt sine termino.

1495. De partibus autem aliquotis nulli est dubium quin partes, quæ sunt actualiter in continuo sunt finitæ, nam evidens est, quod in ulna v. g. solum quatuor quantitates palmares reperiuntur, & octo semipalmares, & sic de aliis partibus, quæ determinata

nata gaudent extensione; de partibus igitur proportionalibus, quæ non habent determinatam à nobis extensionem, & magnitudinem est difficultas: an sint actualiter in continuo, vel solum in potentia, & an finitæ, vel potius infinitæ?

1496. Omissa ergo negativa sententia, quæ ab aliquibus recentioribus sectatur, quæ docet nullas partes actuales proportionales esse in continuo, vera, & à nobis tenenda sententia affirmat in continuo dari veras partes proportionales realitèr, & inter se diversas, habentesque actu, veram, & formalem rationem partium, & vera, & realia indivisibilia mediis quibus tales partes uniuntur. Ita *Scotus expreßè in 2. dist. 2. q. 8. §. si igitur n. 22. & sequentibus; & 5. Metaph. q. 8. n. 16. in fine; & lib. 11. in Metaph. §. ubi Philosophus n. 106.* Probatur ratione: omne continuum est compositum actuale: Ergo habet partes actuales ex quibus componatur; probatur consequentia: quia ex partibus in potentia nequit totum actuale constitui, sive causari, nam illud quod existens actuale non est nequit causare, sive Physicè componere illud, quod est; sed continuum quid compositum actuale existentiale est: Ergo &c.

1497. Secundò probatur: nam continuum teste *Philosopho 5. Metaph. cap. 12.* quantum est divisibile in ea, quæ insunt; sed est divisibile in partes: Ergo partes ei actualitèr insunt: Ergo in continuo sunt partes actuales, & formales verè, & reales. Quòd tales partes sint actualitèr dictinctæ realitèr, indè patet, quòd possunt separari; nam una pars quanti ab alia separabilis est; sed illa inter quæ datur separabilitas, datur actualis distinctio: Ergo &c.

1498. Tertiò probatur ex Concilio Tridentino sess. 13. cap. 3. ubi loquens de Christo Domino in Eucharistia existente ait: *totus enim est integer Christus sub panis specie, & sub quavis ipsius speciei parte; totus item sub vini specie, & sub ejus partibus existit:* Ergo supponit Concilium quòd in quantitate panis, & vini dantur actualitèr partes distinctæ, sub quibus esse Christum definit de fide: Ergo &c.

1499. Ad secundam partem quæsiti deveniendo dico quòd partes proportionales ex quibus coalescit continuum sunt infinitæ solum in potentia, sive syncategorematicè, non autem categorematicè infinitæ; (vide quæ diximus dist. 2. de infinito n. 1256, & 1259, & 1284. & infra:) Pro cujus intelligentia præmitto, quòd partes continui aliæ sunt communicantes, ut sunt illæ quarum una semper accipit aliquid ab alia, ut si à quantitate duorum palmorum accipias medietatem posteriorem prioris palmi, & medietatem priorem palmi posterioris efficies tertium palmum, & à medietate hujus, & alterius alium quartum palmum efficies, & sic in infinitum. Aliæ sunt non communicantes sed distinctæ, ut si accipias primam partem lineæ, & postea secundam, quæ immediatè sequitur post primam, & rursum tertiam, quæ post secundam sequitur.

1500. His præjactis dico primam conclusionem: partes proportionales non communicantes, sed impermixtæ, & seorsim acceptæ, ex quibus componitur continuum sunt finitæ, & non infinitæ categorematicè:

rematicè ita Scotus *expressè in hoc 6. q. 2. §. verum est tamen in fine, sub n. 5.* cujus hæc sunt verba: *prima conclusio nullæ partes continui sunt infinitæ, sumendo hanc dictionem infinitam categorematicè, patet quia omnes partes continui sunt terminatæ, nec aliquæ sunt extensæ sine termino: igitur omnes sunt finitæ.*

1501. Probo igitur hanc conclusionem contrà aliquos Scotistas ratione mea videri efficacissima: evidens est quòd unum continuum est majus alio; nullus enim tam insanæ mentis est, qui possit negare cœlum esse majus in quantitativa extensione grano sinapis: Ergo evidens etiam est, quod unum continuum habet plures partes alio: Ergo in illo minori, in quo minus partes dantur non sunt partes infinitæ; probo consequentiam: quia infinitum non potest excedi, nam ut ait *Scotus in 2. dist. 1. q. §. tenentes autem, v. ad ultimum, n. 20.: æquale majus, & minus non conveniunt quantitati molis, nisi finitæ, de ratione enim quantitatis majoris est excedere, & minoris excedi, & æqualis commensurari, quæ omnia videntur concludere finitatem.* (Vide quæ dixi dist. 2, ex 3. n. 1287.) *si in infinitum non excederetur jam non infinitum, sed finitum evaderet;* tunc sic in isto minori quanto, in grano sinapis v. g. non sunt tot partes, quot in cœlo: Ergo non sunt partes infinitæ: Ergo in nullo, quia qua ratione in uno continuo non infinitæ reperiuntur partes neque in altero.

1502. Huic sive simili argumento respondent aliqui Scotistæ negando quòd in grano sinapis non sint tot partes, quot in cœlo, nam ex eo quòd tam hujus, quàm illius sint infinitæ, non possunt plures esse in uno, quam in alio. Sed quis non videt hoc esse chimæricum, & sine fundamento dictum? sed omissa censura, quam merentur, ostendo in primis hoc esse expressè contra Scotum oppositum asserentem, ipse enim *Doct. subt. in 2. dist. 2. q. 9. §. 5. ad 2. v. istud etiam de successivo, sub. n. 10.* in fine probat, quòd in circulo majori à fortiori debent esse plures partes, sive plura puncta, quàm in circumferentia circuli minoris, in exemplo ibi adducto de duobus circulis idem centrum habentibus his verbis: *Ergo tot puncta erunt in minori circulo, sicut in majori.* Hanc infert illationem ab inconvenienti arguendo, & statim addit: *sed impossibile est duo inæqualia componi ex partibus æqualibus in magnitudine, & multitudine &c.* Ergo ex mente Scoti apertè habemus, quòd in minori quantitate non sunt tot puncta, quot in majori: Ergo non sunt infinitæ.

1503. Secundò probo conclusionem ex verbis Scoti desumpto fundamento: ideò unum continuum est majus alio, quia habet plures partes, quàm illud aliud; sed partes, quas habet illud continuum, quod exceditur repugnat esse infinitas: Ergo dicendum à fortiori est, quòd sunt finitæ; majorem probo: ideò continuum est extensum, quia habet extensionem, & latitudinem partium: Ergo quò plures fuerint partes, eò majus est continuum: Ergo ideò unum est majus alio, quia habet &c.

1504. Et roboratur: quia si tot partes proportionales sibi invicem non communicantes essent in uno continuo, ac in alio, quare unum esset majus alio? Rursus si essent partes infinitæ. Actuales in continuo actua-

actualiter distinctæ: Ergo facerent extensionem infinitam: probo consequentiam: quælibet pars proportionalis habet propriam extensionem distinctam ab extensione alterius partis: Ergo partes infinitæ facerent extensionem infinitam actualem: Ergo si in grano sinapis darentur partes infinitæ actuales, granum sinapis esset infininitum in sua quantitativa extensione, quod quid ridiculum est: Ergo &c.

1505. Dico secundam conclusionem: in continuo infinitæ partes syncategorematicè sunt. Ita Scotus *in hoc 6. q. 2. §. 2. sub n.* 5. cujus hæc verba: *secunda conclusio, accipiendo hanc dictionem infinitum syncategorematice, hæc est vera, infinitæ partes sunt in continuo*: probatur ratione ejusdem: quia non possumus tot assignare in continuo minutissimas partes, quin alias, & alias minores assignare possimus, & his minores alias, & sic in infinitum syncategorematicè, sumpta infinitate non solum secundùm partes, quas habet actualitèr continuum, sed etiam secundùm quas potest habere. Et dicta pro hac celebri difficultate sint satis, &c.

Argumenta contradicta.

1506. Omissis argumentis, quæ contrà primam partem quæsiti efformari possunt, quæ ferè nullius sunt ponderis sic arguitur contrà secundam partem, & præcipuè contrà nostram primam conclusionem, quæ habetur num. 1500. in qua asserimus in continuo non esse partes actualitèr infinitas: primò ex *Philosopho in hoc 6. tex.* 3. & ex à nobis dictis n. 1479. hujus dist. & libri: continuum componitur ex partibus, & non ex indivisibilibus: Ergo componitur ex partibus divisibilibus; tunc sic illæ partes sunt etiam continuum: Ergo ex partibus aliis divisibilibus componitur; & idem facit argumentum de illis aliis partibus, & idem de aliis, & sic in infinitum; & istæ omnes partes sunt actualitèr in continuo realitèr inter se se distinctæ ex dictis à nobis n. 1496. & sequentibus hujus articuli: Ergo in continuo sunt actualitèr partes infinitæ, patet consequentia quia si essent finitæ continuum non divideretur in semper divisibilia; patet, nam si essent solum decem partes continui v. g. postquàm semel tale continuum esset in decem illas partes divisum non esset ulteriùs divisibile; sed esse continuum & non esse divisibile arguit contradictionem, saltèm à posteriori, sicut esse hominem, & non esse risibilem: Ergo &c.

1507. Et roboratur: quia si continuum non esset divisibile in semper divisibilia: Ergo esset divisibile in indivisibilia: Ergo ex indivisibilibus componeretur, cujus oppositum jam ubi suprà docuimus; probo consequentiam: quia unumquodque componitur ex eis in quæ resolvitur; sed si resolveretur continuum, sive divideretur in eas partes finitas, in quas divisibile est, & tales illæ partes non essent ulteriùs divisibiles, utique in indivisibilia resolveretur: Ergo ex indivisibilibus componitur: Ergo necessariò dicendum est quòd continuum est divisibile in semper divisibilia, & sic stat primum argumentum.

1508. Ecce validissimum telum, quod adversùs nos possunt contrariæ sententiæ fautores ejicere. Pro cujus solutione, &

majori intelligentia Scoticæ veritatis appono casum, quòd una linea esset composita ex tribus partibus proportionalibus, nam sicut admittitur ab his, qui continuum ex indivisibilibus componi affirmant, quòd potest dari linea ex tribus indivisibilibus constans, ita à nobis admittendus est casus, quòd una linea ex tribus, & non ex pluribus partibus constare possit, nam aliàs omnia argumenta, quæ in contrariæ sententiæ impugnationem affert *Scotus* tam *in hoc* 6. quàm *in* 2. *cit. dist.* 2. *q.* 9. nullius essent vigoris; difficultas igitur stat in hoc an istæ tres partes, puta *A. B.* & *C.* ex quibus talis linea constaret essent in alias partes divisibiles, quia si non: Ergo indivisibiles: Ergo cum ex illis, & non aliis componatur talis linea ex indivisibilibus componeretur; si sunt divisibiles tales partes: Ergo illæ aliæ partes, in quas divideretur pars *A.* v. g. etiam essent divisibiles: Ergo jam non ex illis solis tribus partibus illa componeretur linea, quòd est contrà suppositionem, & casum.

1509. Suppono etiam quòd partes omnes quantumcumque minutissimæ sint, quæ continuum componunt sua gaudent peculiari extensione, in qua salvatur quidditas, & essentia quantitatis; sicut enim omnes gradus caloris habent formam specificam caloris, & in quolibet gradu tota ratio specifica caloris salvatur; ita in qualibet parte quantitatis tota ratio specifica quantitatis salvatur, & perseverat. At cum divisibilitas sit passio quantitati conveniens in quacumque minutissima parte quantitatis debet reperiri divisibilitas, siquidem in illa reperitur essentia quantitatis, quæ radix est, à qua talis divisibilitas, tamquàm passio propria dimanat.

1510. Rursùs suppono quòd esse divisibile, sive posse dividi est proprietas, sive passio quantitatis, sive continui, cæterùm esse divisum non est passio, immo accidens quantitatis continui destructivum; nam continuum esse dicit continuationem partium componentium; esse divisum autem dicit separationem talium partium, & est implicatio quòd continuum sit, & quòd divisum sit; nam si ad hoc quòd digitus v. g. sit continuus cum manu requiritur, quòd digitus sit unitus cum manu: Ergo si digitus sit à manu divisus, & non unitus, implicat quòd sit cum illa continuus. Undè hæc erit vera propositio: linea ex tribus composita partibus in tres partes est divisibilis; at ista divisione posita in re, neque manebit talis linea ex tribus partibus, neque erit vera ista propositio: continuum ex tribus partibus compositum est in tres partes divisum, quia si divisum: Ergo jam non continuum; nam sicut ad hoc quòd angugulus sit requiritur, quòd quatuor partes anguli sint unitæ, ita ad hoc quòd non sit nihil aliud requiritur, quàm quòd non sint partes tales unitæ.

1511. Ex quibus apparet quòd si linea, quæ ex tribus solis partibus constaret, & in eas esset divisa, jam non linea trium partium continua foret, immo talis tripartibilis linea sicut per sui tripartitam divisionem destrueretur; ita si illæ partes, quæ constituunt lineam, dividerentur, jam non essent partes, immo destruerentur; hac tamen differentia servata, quòd linea talis dividi posset in illas tres partes *A. B.* & *C.* quas supponimus habere, quarum quælibet esset verè, & formalitèr quantitas, sive continua, saltèm partia-

partialitèr; at verò si una ex his tribus *A.* v. g. divideretur, partes in quas fieret illa divisio partis, non essent quantitates, nec divisibiles, neque indivisibiles, immo in nihilum redigerentur, quia solum in illa parte, quæ lineam talem componeret posset salvari, & existere quantitatis essentia, non verò in illis semipartibus illius partis, quia supponimus, quòd pars illa est minutissimum quod sic in quantitate continua potest salvari.

1512. Hæc doctrina, ni fallor expresè habetur à *Scoto in hoc 6. q. 2. §. & secundùm hoc n. 7.* ubi ait: *& secundùm hoc respondetur ad dubitationem, primò quòd hæc est falsa, in infinitas partes potest dividi continuum; in semper divisibilia potest dividi continuum:* & reddit rationem: *causa hujus est, quia si tales propositiones ponerentur in esse oporteret prædicatum salvare sub propria forma &c. Et semper ista est falsa: in aliquas partes est divisum continuum, quia si sit divisum, jam non est continuum.*

1513. Ex his patet responsio ad argumentum. Respondeo ergo concedendo quòd continuum componitur ex partibus, & non ex indivisibilibus, & cum dicis, quòd illæ partes sunt etiam continuum distinguo (& loquor de partibus quæ sunt immediatè in linea v. g. & inter quas alia pars non mediat) sunt continuum partialitèr concedo; totalitèr, & adæquatè nego: Ergo sunt compositæ ex aliis partibus, distinguo consequens: sunt compositæ ex aliis partibus, in quas si tales partes dividantur potest salvari ratio quantitatis nego; nam tales partes sunt minimum quòd sic in quanto possunt reperiri: sunt divisibiles in partes, in quas si dividantur, ratio quantitatis destruitur concedo. (Vide quæ dixi n. 1510.) Ergo jam continuum ex decem solis partibus constans solùm in illas decem partes potest dividi, & non in semper divisibilia, concedo consequentiam, in sensu explicato.

1514. Ad confirmationem argumenti num. 1507. positam distinguo consequens: si continuum non esset divisibile in semper divisibilia: Ergo esset divisibile in indivisibilia positiva, quibus omnis repugnat divisio, qualia sunt puncta nego consequentiam; in indivisibilia, id est non divisibilia in alias partes, in quibus salvari posset ratio continui concedo consequentiam; & eadem distinctione ad reliquum argumenti respondetur. Ad aliquas authoritates, quas possunt adducere contrà nos ex Scoto facilis erit solutio stando in hoc, quòd loquitur Scotus de infinitate syncategorematica, non autem categorematica, & actuali. Ex dictis ad alia quàm plura argumenta facillimè respondebitis; & dicta pro hac celeberrima difficultate sint satis, ut ad alia transeamus.

QUÆSTIO SECUNDA,

De inceptione, & desitione rerum.

CUM omnis res creata ab intrinseco petat incipere esse, & corruptibilia omnia desinere esse, licet aliqua de facto non desinant; & omnia quæ incipiunt esse, vel permanentia sint, vel succesiva, disputandum nobis erit, tam de unis, quàm de alteris, quomodò incipiant esse, & desinant esse.

ARTICULUS UNICUS,

Quomodo incipiant esse, tam entia permanentia, quàm successiva, & quomodò esse desinant?

1515. PRo præsentis quæsiti enodatione est primò notandum, quòd inceptio rei, nihil est aliud, quàm principium durationis rei existentis; & desitio rei, nihil est aliud, quàm finis durationis ejusdem rei, & cùm duratio rei alia sit intrinseca, alia extrinseca ex dictis à nobis in nostro 4. Physic. q. 3. de tempore, art. 1. n. 1426. solum in præsentiarum agimus de initio extrinseco rei durantis, & de instanti extrinseco, in quo desinit esse, quia mensura extrinseca notior est nobis, quàm intrinseca.

1516. Secundò nota duo esse instantia inceptionis rerum, unum intrinsecum, & aliud extrinsecum. Instans intrinsecum, quod alio nomine appellatur primum esse rei est illud, in quo verum est dicere, nunc est primò res, & immediatè antea non erat. Instans extrinsecum est ultimum non esse rei, illud videlicet quandò verum est dicere, nunc non est res, sed immediatè post istud nunc erit. Et similitèr duo sunt instantia desitionis rerum, aliud intrinsecum, & extrinsecum aliud. Instans intrinsecum desitionis est ultimum esse rei, id est quando res ita se habet, ut in aliquo signo, sive instanti determinato est verum dicere: nunc est res, & immediatè posteà non erit. Instans verò extrinsecum desitionis rei est primum non esse rei, illud videlicet, quando res ita se habet, ut verum sit dicere, nunc non est res, sed immediatè antè istud instans erat.

1517. His præjactis dico primam conclusionem: omnia entia, quæ in instanti producuntur, ut substantia, tam corruptibilis, ut homo, quàm incorruptibilis ut Angelus, illuminatio accidentalis, species sensibiles, & omnia accidentia absoluta, quæ ad suas substantias consequuntur, tamquàm Physicæ proprietates, ut calor ignis, & frigiditas aquæ, & quantitas substantiæ corporeæ, & hujusmodi alia incipiunt esse per instans intrinsecum, sive per primum esse sui, & desinunt esse per ultimum non esse. Ita communitèr omnis Philosophorum Schola: probatur: quia de his verum est dicere in aliquo instanti determinato nunc est res completè primò, & immediatè anteà non erat. Et similitèr in eorum desitione est verum dicere, nunc in isto instanti determinato est res, & immediatè post hoc instans non erit: Ergo res permanentes incipiunt per primum sui esse, & desinunt per primum sui non esse; major ex se constat, & minor probatur: quia omnis res permanens in instanti habet esse: Ergo in illo instanti est verum dicere nunc est res, & immediatè anteà non erat.

1518. Dico secundam conclusionem: omnis res successiva ut tempus, & motus incipit per instans extrinsecum, & per illud desinit: probatur: quia de talibus entibus verum est dicere, nunc non est res, sed immediatè in tempore sequenti erit: Ergo per instans extrinsecum incipit talis res. Et roboratur: quia motui implicat incipere esse in instanti, cum successivum ut tale petat mensurari mensura divisibili: Ergo implicat quòd talis res successiva incipiat per aliquod instans intrinsecum, in quo sit verum dicere,

dicere, nunc est res, & immediatè anteà non erat. Circà hoc ferè nulla est controversia.

QUÆSTIO TERTIA,

Et ultima de termino magnitudinis, & parvitatis entium naturalium.

POstquàm in præcedentibus egimus de quantitate continua quoad ejus compositionem, nec non de modis incipiendi, & desinendi rerum, restat nunc agere de terminis magnitudinis, & parvitatis, sub quibus res naturales possunt conservari, & cum hæc alia viventia sint, alia non viventia, primò de illis, & tandèm de istis sermonem instituemus, quapropter sit

ARTICULUS PRIMUS,

An viventia habeant determinatum terminum magnitudinis, & parvitatis?

1519. PRæmitto primò pro præsentis quæsiti intelligentia duos esse terminos magnitudinis in rebus naturálibus; alter intrinsecus, extrinsecus alter; terminus intrinsecus magnitudinis, qui maximum quòd sic appellatur est illa quantitas sub qua res potest conservari, & non sub majori, ut v. g. si homo non posset conservari nisi sub quantitate decem palmorum talis quantitas denominabitur maximum quòd sic. Terminus extrinsecus communitèr appellatur maximum quòd non, ut quantitas illa, in qua res non potest conservari supra suam magnitudinem, licet in minori benè possit conservari, ut v. g. si homo ex sua natura petat quantitatem decem palmorum ita ut in majori conservari non possit, quantitas palmorum undecim erit maximum quod non, id est quantitas ad quam homo non potest pervenire, neque sub illa esse.

1520. Terminus similitèr parvitatis etiam est duplex; alius intrinsecus, alius extrinsecus. Terminus intrinsecus parvitatis, quod minimum quòd sic communitèr appellatur, nihil aliud est quam illa minima quantitas, sub qua res potest conservari, ita ut sub minori conservari non valeat; ut si homo v. g. sub unius cubiti quantitate conservari posset, & non sub minori. Terminus verò extrinsecus parvitatis, qui ab aliis minimum quòd non appellatur, est quantitas ita parva, ut sub illa res conservari non possit, benè tamen sub majori.

1521. Secundò præmitto quòd hic non quærimus, utrum entia naturalia creata, homo v. g. equus, leo, &c. ita determinent sibi terminum præfixum suæ magnitudinis, ut ultrà, citràq; illam conservari non possint de potentia absoluta; nam nullam secum involvit repugnantiam, quòd homo v. g. posse absoluto attento ad montis celsitudinem possit pertingere in sua molis extensione, neque quòd sub forma, sive quantitate digiti conservari valeat; sed solum quærimus an ordine naturæ attento omnia entia necessariò determinent sibi terminum suæ magnitudinis, & parvitatis præfixum.

1522. His præjactis dico unicam conclusionem pro responsione quæsiti: omnia viventia habent terminum intrinsecum suæ magnitudinis præfixum, ita ut ultrà illum non possint se extendere, qui maximum quòd sic vocatur; & similiter habent terminum præfixum intrinsecum suæ parvitatis, ita

ita ut in minori quantitate conservari non possint. Hæc conclusio docetur expressè ab *Aristotele 1. Physic. cap. 4. text. 26. & 2. de generat. cap. 4. & 2. de anima*, ubi ait: *omnium natura constantium* (sive viventium, ut commentator exponit) *certus est terminus augmenti, & decrementi.* Philosophum sequitur *Doct. Subt. 5. Metaph. q. 9. & in 2. dist. 2. q. 9.* & ferè omnis Philosophorum Schola.

1523. Probatur: quia si viventia homo v. g. & equus non haberent terminum suæ magnitudinis præfixum, sed naturalitèr in majorem, & majorem quantitatem possent crescere in infinitum, aliquando daretur homo, vel equus ita quantitate magnus, ut ad celsitudinem montis deveniret; sed numquam est tale visum: signum ergo est quòd habent terminum suæ magnitudinis præfixum. Et idem dico de aliis, nam numquàm visum est quòd formica ad magnitudinem tauri devenerit; major probatur: quia ad id quod fieri potest naruralitèr nulla est repugnantia, ut aliquid tale factum videatur, immo necessarium esset, quòd aliquando eveniret, nam frustrà est potentia, quæ non reducitur aliquando ad actum; minor experientia constat: Ergo &c.

1524. Eodem argumento probatur conclusio quoad secundam partem, de termino intrinseco parvitatis; nam numquam visum est quòd homo ad parvitatem quantitatis formicæ devenerit. Et probatur ulterius: nam viventia habent partes heterogeneas, quæ ad suas operationes exercendas postulant distincta organa: Ergo habent terminum præfixum suæ parvitatis; probo consequentiam: quia si manus v. g. ita minutissima foret, ut non posset ad os pertingere, nec includere, sive assumere panem, non posset ad ejus operationem propriam deservire, & idem dico de aliis partibus: Ergo omnes partes viventium habent terminum determinatum suæ parvitatis: Ergo & totum vivens. Circà istam partem nulla est inter authores controversia, & sic argumenta, quæ contrà hoc possunt fieri, ut ferè nullius ponderis omittuntur.

ARTICULUS SECUNDUS,

Utrum entia naturalia non viventia habeant terminum suæ magnitudinis, & parvitatis?

1525. Omissa negativa sententia, quam Divus Thomas tuetur, asserens tam viventia, quàm non viventia habere terminum intrinsecum suæ magnitudinis, & parvitatis. Dico cum Scoto loco suprà cit. & communi tam Scotistarum, quàm Jesuitarum Schola, quòd non viventia, ut aqua, ignis, terra, aër, lapis &c. non habent terminum suæ magnitudinis præfixum, nec parvitatis, sed in quantumcumque magnam quantitatem pervenerint in majorem naturalitèr possunt pervenire, & in quantumcumq; minima quantitate reperiantur, in minori reperiri non repugnat.

1526. Probatur conclusio ex Philosopho 2. de anima cap. 4. text. 22. dicente: *nam cum ignis augeri in infinitum posit, cum aliquid juvat, quòd comburatur*: Ergo ex mente Philosophi quantumcumque in magnam quantitatem ignis pervenerit, in majorem, & majorem potest devenire: Ergo non

non habet terminum suæ magnitudinis præfixum. Et confirmatur: quia si igni v. g. quantumcumque magno aliquod applicetur combustibile, evidens est, quòd ab illo comburetur, & talis ignis major efficietur; & idem dico de aqua; nam si aquæ quantumcumque magnæ aliqua alia aqua nova addatur, major fieret talis aqua: Ergo evidens est quòd nullum habent terminum præfixum suæ magnitudinis illa, quæ non sunt viventia.

1527. Secundò probatur conclusio: nam ideo dicimus viventia sensibilia habere terminum suæ magnitudinis præfixum, quia habent organa determinata ad suas operationes exercendas, quas exercere non valerent propter nimiam magnitudinem, aut parvitatem, si ad illam aliquando devenirent, ut patet ex dictis n. 1554. sed non viventia non habent, nec petunt talia organa ad suas actiones naturales exercendas: Ergo nec habent terminum præfixum suæ magnitudinis: Ergo &c.

1528. Quoad secundam partem de termino parvitatis probatur: quia experientia constat quòd forma terræ, aquæ, auri vel cineris in aliquibus partibus penè imperceptibilibus reperitur: Ergo nullum suæ parvitatis terminum præfixum habent, ita ut in minori conservari non valeant. Et confirmatur: quia quantumcumque terra minima sit, tamen eo quòd quanta est divisibilis; sed illæ partes in quas potest dividi ejusdem rationis sunt: Ergo in illis potest conservari forma terræ. Et idem argumentum facio de illis partibus, & sic in infinitum syncategorematicè: Ergo &c.

Argumenta & solutiones.

1529. PRimò arguitur contrà nostram primam conclusionis partem n. 1526. appositam, in qua asserimus non habere terminum præfixum suæ magnitudinis non viventia: omne ens naturale creatum habet determinatam perfectionem essentialem: Ergo & determinatam perfectionem accidentalem; sed quantitas est ejus perfectio: Ergo habet determinatam quantitatem. Et confirmatur: quia sicut omne ens creatum naturale determinat sibi necessariò perfectionem essentialem in gradu determinato, ita ut in majori essentiali perfectione non possit reperiri, ita petit determinatam perfectionem accidentalem, ita ut majorem habere ab intrinseco sibi repugnet: Ergo petit quantitatem determinatam.

1530. Respondeo concedendo antecedens, & distinguendo consequens: petit determinatam perfectionem accidentalem formalem concedo; materialem nego; sed quantitas est ejus perfectio, distinguo minorem: est ejus perfectio, materialis concedo; formalis nego. Pro cujus intelligentia nota, quòd licet quantitas, & qualitas, sint formæ accidentales substantiæ naturalis creatæ, tamen sola qualitas dicitur ejus perfectio formalis, vel quia sequitur formam specificam, & non materiam ut quantitas, quæ sequitur materiam, vel quia novus gradus qualitatis addit novam perfectionem formæ, quod non facit quantitas, nam qualitas octo graduum est perfectior gradualitèr qualitate quatuor solum graduum, & quantitas habens octo partes v. g. non est perfectior quantitate habente quatuor partes

tes ſolum; unde omnis forma ſubſtantialis petit determinatas qualitates in gradu determinato, non verò petit quantitatem in gradu præfixo, ſed quatenus eſt ex ſe poteſt in majorem quantitatem devenire, ex quo &c.

1531. Secundò arguitur contrà noſtræ ſecundam partem concluſionis, quæ habetur num. 1528. quatenus aſſerimus non viventia non habere terminum præfixum ſuæ parvitatis; ex dictis à nobis n. 1511. hujus diſt. Si una linea quæ ſolùm tribus partibus proportionalibus conſtaret, ſi in illas divideretur, ita ut quælibet trium illarum partium eſſet ab alia diviſa, neutra eſſet ulteriùs diviſibilis in alias partes, quæ formalitèr eſſent quantitas, quia talis pars eſſet ultimum, ſive minimum quòd ſic in quantitate poſſet reperiri: Ergo quantitas neceſſariò habet terminum præfixum ſuæ parvitatis; ſed quantitas non eſt vivens: Ergo &c.

1532. Reſpondeo concedendo antecedens, quod ſemel docuimus, & diſtinguendo conſequens: Ergo quantitas neceſſariò habet terminum præfixum ſuæ magnitudinis, ſi talis quantitas ſit partialis, & non totalis concedo conſequentiam; ſi ſit totalis, ſive ex aliis conſtans partibus nego conſequentiam; nam eo poteſt dividi quantitas donec in omnes ſuas partes ſit diviſa; at ſemel in partes quas habet diviſa ulteriùs non eſt diviſibilis; cæterùm caſus non eſt poſſibilis naturalitèr, quòd aliqua quantitas in omnes ſuas partes dividatur, niſi media potentia Dei abſoluta, & hic controvertimus ſolùm de his, quæ fieri poſſunt ab agente naturali naturalitèr operante.

1533. Tertiò arguitur: eo remiſsius agens naturale agit, quo in propria ſua quantitate minuitur: Ergo in tantùm poteſt minui ignis v. g. per diviſionem ſui in minutiſſimas partes, ut non poſſit agere: Ergo in tali caſu deſtruitur ignis; probo conſequentiam: quia omnis res eſt propter ſuam operationem: Ergo ſi ratione ſuæ parvitatis ignis non poſſet agere deſtrueretur: Ergo neceſſariò debet habere ignis terminum ſuæ parvitatis præfixum, ita ut in minori nec poſſit operari, nec conſervari.

1534. Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam, quia licet in quantumcumque minutiſſimas partes ignis dividatur, & attenuetur, in illis adhuc poteſt natura ignis conſervari, & in illis agere, licet tenuiſsimè, & remiſsè; quòd ſi aliquando ignis ratione minutiſsimæ quantitatis extinguatur, ſolum hoc ab extrinſeco provenit, quia non poteſt reſiſtere contrariis, quibus circumdatur. Qui plura hujus deſideraverit authores conſulat.

LIBER

LIBER SEPTIMUS PHYSICORUM.

IN hoc ſeptimo libro agit Philoſophus de motu per comparationem ad moventia, & mota, ſive de movente, & moto; quapropter ipſum inſequentes librum iſtum ſub unica diſtinctione, & quæſtione abſolvam, in qua quæ hic communitèr tractantur breviter enodabo.

DISTINCTIO UNICA,

Quæ diſtinctio requiratur inter movens, & motum?

PHiloſophus in hoc 7. text. 1. ait: *omne quod movetur neceſſe eſt quòd ab alio moveatur.* Ex quibus magna orta eſt controverſia, an requiratur diſtinctio realis neceſſariò inter movens, & motum? quapropter de veritate hujus Philoſophi dicti prius venit agendum.

ARTICULUS PRIMUS,

Utrum omne quod movetur ab alio moveatur?

1535. PRo hujus quæſiti enodatione eſt primò notandum, quòd hic non controvertitur an mobile diſtinguatur realitèr à motu, ſive à forma à qua movetur formalitèr, nam certum eſt, ut patet ex dictis diſt. 1. ex lib. 3. Phyſic. q. 1. art. 2. n. 1239. §. 3. dubitabis: quòd motus, ſive forma realitèr diſtinguitur à mobili, & in hac acceptione verum eſt dicere quòd omne quod movetur ab alio, id eſt ab aliqua forma movetur; ſed quòd dubitamus eſt ſuppoſito quòd omne agens naturale creatum indigeat ſubjecto, in quo agat, in hoc enim diſtinguitur ab agenti ſupernaturali Divino, qui ex nihilo poteſt quàm plura facere, cum ſubjecto non indigeat, an agens motus, & mobile diſtinguantur realitèr neceſſariò, taliter quòd ſit verum dicere, quòd omne mobile, quod movetur ab alio à ſe agente moveatur.

1536. Secundò eſt notandum quòd non controvertitur hic utrum agens motus violenti, & ipſum mobile quod violentèr movetur ſint diverſa inter ſe realitèr, nam certum eſt quòd violentum eſt *extrà non conferente vim paſſo*; & ſic neceſſarium eſt quòd omne quod violenter movetur ab alio agente extrinſeco moveatur, ſed ſolum eſt controverſia de agenti naturali motus naturalis, & de ipſo ſimiliter mobili, quod naturalitèr à tali agente movetur.

1537. His præjactis prima ſententia affirmat quòd neceſſariò eſt concedenda diſtinctio realis inter mobile, & movens, ita ut verum ſit illud Philoſophi dictum, quod movetur ab alio à ſe movetur. Hanc patrocinatur ſententiam Divus Thomas 7. Phy-

sic. cap. 1. & 1. contrà gentes cap. 13. quem sequitur omnis Thomistica Schola, & ex Jesuitis quàm plures.

1538. Secunda sententia, & nostra firmiter defensanda conclusio affirmat, quòd propositio Philosophi, nempe: *omne quod movetur necesse est quod ab alio à se moveatur*, non tenet verum universalitèr: Ita *Scotus in hoc 7. q. 1. §. contrà istam viam, n. 7. & 12. suæ Metaph. q. 7. §. posset autem, n. 3. & lib. 11. q. 14. §. de accidente n. 10. propè finem, & 9. Metaph. q. 1. & 2. & in 2. dist. 2. q. 1. & in 4. dist. 17. q. 3.* & aliis in locis suæ doctrinæ: Scotum sequuntur omnes Scotistæ, & ex Jesuitis plures, estque maximè in hac nostra tempestate recepta sententia.

1539. Dico ergo quòd propositio Philosophi non tenet verum in agentibus, quæ per simplicem emanationem producunt in ipsismet aliquam formam: probatur: nam aqua calefacta reducitur ad suam frigiditatem pristinam producendo in se ipsa frigiditatem, & illam recipiendo simplicitèr; similitèr omnis substantia corporea producit in se ipsa quantitatem sibi connaturalem, qua formalitèr redditur quanta, & similitèr in omnium consensu omnis substantia completa in se ipsa producit, & recipit propriam subsistentiam, à qua redditur formalitèr subsistens, & idem dico de igne, qui si ab omni calore separaretur naturalitèr in se ipso produceret, & causaret calorem: Ergo in his omnibus non tenet.

1540. Rursus propositio Philosophi non tenet verum in principio se movente per immanentem actionem. Probatur: quia voluntas se sola est principium se movens ad amorem & est etiam mobile, cum in ipsamet recipiatur amor, sicut & quilibet alius voluntatis actus. Et idem dico de intellectu, qui in se ipso producit suos actus, estque agens, & passum respectu eorum, sicut & quæcumque alia vitalis operativa potentia: Ergo &c.

1541. Insupèr nec propositio Philosophi tenet verum in causis Physicè causantibus, & se moventibus Physico, & reali motu, nam dantur quàm plura quæ moventur Physicè Physico, & reali motu, & non ab aliquo alio, sed à se ipsis: Ergo &c. Antecedens probatur: quia experientia constat quòd lapis existens sursùm ablato obstaculo se movet in centrum, & non ab aliquo alio movetur, quàm à sua naturali gravitate; & idem dico de levibus, quæ naturali propensione petunt centrum sursùm: Ergo &c.

1542. Sed quia aliqui ex Thomistica Schola affirmant, quòd gravia non à sua naturali gravitate moventur, nec levia à sua levitate intrinseca tendunt sursùm, sed à generante. Sic contrà illos insurgo, & ostendo nostræ assertionis veritatem: effectus in actu existendi petit causam existentialem, à qua producatur in esse; sed stante motu gravis descendentis deorsùm & levis seorsùm ascendentis, potest stare quòd causa, quæ dedit esse tali corpori gravi, vel illi levi non sit in illo tempore, sive instanti, in quo illa corpora moventur: Ergo necessariò dicendum est, quòd non ab illa moventur, quia quæ non sunt, principium activum motus nequeunt esse: Ergo à se ipsis moventur, & à sua naturali gravitate, vel levitate.

1543. Sed petes: in quonam sensu sit vera illa propositio? Respondeo quòd propositio

positio Philosophi tenet verum quando principium movens sumitur pro principio adæquato movente adintegrato ex Deo, & creatura, nam Deus, & creatura sunt causa adæquata motus activa; at verò mobile, sive subjectum passivum motus est sola creatura, quia Deus ad receptionem motus cum ipsa non concurrit. Vel alitèr est vera, sumpto ly ab alio non pro principio *quod* motus, sed pro principio *quo*, nam licet grave, lapis v. g. moveatur ut *quod*, id est ut totum quod movetur, & denominatur à motu, tamen gravitas radicalis, quæ saltem formalitèr distinguitur à toto lapide est principium *quo* talis motus. Et similitèr licet anima sit principium *quod* respectu actus intellectus, & voluntatis, tamen intellectus, & voluntas, quæ formalitèr distinguuntur ab anima est principium *quo* respectu talium actuum, & sic erit verum dicere quòd omne totum, quod movetur, tamquàm principium *quod* ab alio movetur, tamquàm à principio *quo*, seu ratione formali, sed non ab alio à se realitèr distincto, sed ab alio solum formalitèr distincto.

1544. Sed contrà hanc nostram conclusionem negativam positam n. 1538. sic insurgunt Thomistæ suo Thomistico fundamento: implicat quod idem sit in actu, & potentia respectu ejusdem; sed movens prout tale est in actu, & mobile prout subjicitur motui est in potentia, motus enim est actus entis in potentia prout in potentia: Ergo implicat quod idem mobile sit, & movens, sive quòd se ipsum moveat: Ergo necessariò fatendum est quòd omne quod movetur ab alio movetur.

1545. Respondeo distinguendo majorem: implicat, quòd aliquid sit in potentia simul, & in actu respectu ejusdem actus, & sub eadem ratione potentiæ concedo majorem: sub diversis rationibus actus, & potentiæ nego majorem: nam movens prout tale est in actu existentiali, quòd nihil obstat quo minus sit, vel possit esse in potentia subjectiva respectu effectus, sive formæ, quæ ab illo potest causari; ut patet de intellectu, qui quatenùs activus producit intellectionem, & quatenùs passivus illam recipit, & tamen sub eadem ratione reali est activus, & receptivus suorum actuum. Et ex hoc nihil contrà nos.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum causa effectiva motus petat esse conjuncta mobili, ad hoc ut agat in illud, nec ne?

1546. Difficultas quæ in præsentiarum dilucidanda se offert celeberrima quidem est inter Philosophos, & inter Theologos, in ipsa siquidem petitur, utrum ad hoc quòd tam agens naturale, creatum, quàm Divinum possit agere in aliquod passum necessariò requiratur, quòd tale agens sit tali passo approximatum, sive cum illo contiguum? quod sub aliis terminis solet ventilari: utrum videlicet agens naturale possit agere in distans, quin agat in propinquum? & hoc tam de agente principali, quam instrumentali ventilatur.

1547. Prima sententia circà præsentem difficultatem affirmat, quòd ad hoc quòd agens tam creatum quam increatum possit agere in aliquod passum requiritur

intima præsentia, sive conjunctio contigua talis agentis ad tale passum. Hanc patrocinatur sententiam Divus Thomas super hunc 7. Physic. lect. 2, & 3. & 1. pt. q. 8. art. 1. & 3. contra gentes cap. 68. quem sequitur omnis Thomistica Schola, & alii quàm plures ex antiquis Philosophis. Fundatur hæc sententia præcipuè in verbis *Philosophi*, quæ protulit in *hoc 7. text.* 10. quæ talia sunt: *primum autem movens, non ut id cujus causa, sed undè principium motus est simul cum eo quod movetur.*

1548. Secunda sententia, & nostra firmiter defensanda conclusio affirmat, quòd agens tam naturale creatum, quàm Divinum potest agere in distans quin agat in propinquum, sive quod idem est, potest agere in mobile, sive subjectum quod distans est, & non præsens ipsi agenti. Ita *Scotus in* 1. *dist.* 37. *q. unica §. respondeo num.* 2. ubi ait: *agens creatum potest agere ubi non est:* quod latè probat ibidem. Et §. confirmatur etiam n. 4. idem probat de agenti supernaturali Divino. Scotum sequuntur omnes ejus Discipuli, Faber super 1. disp. 52. cap. 4. & 5. Rada controv. 28. art. 1. in 1. t. Leuchetus, Tartaretus, & alii; & ex Jesuitis Vazquez t. 1. in 1. pt. disp. 28. per totam, Suarez & alii.

1549. Pro clariori tamen intelligentia hujus nostræ conclusionis reducite in memoriam illud quod suprà docuimus dist. 2. ex num. 2. Physic. q. 4. art. 2. n. 1080. §. 5. dubitabis: de agere immediatione suppositi, & immediatione virtutis; agere enim immediatione suppositi nihil aliud est, quàm quòd suppositum habens virtutem ad agendum per se ipsum agat, & per virtutem existentem in ipso; agere verò immediatione virtutis est agere per virtutem existentem in alio. Vide quæ ibi diximus ne idem bis repetamus.

1550. Secundò præmitto quòd dupliciter potest agens esse conjunctum passo, vel per conjunctionem virtutis, quia videlicet habet virtutem agendi suprà tale passum, & hanc conjunctionem in omni agenti esse necessariam ad agendum non dubitamus, cum necessariò agens postulet suprà habere quasi dominium, ad hoc ut illud possit agere, & sic sol, cœlum, & astra dicuntur causæ horum inferiorum, quia cum illis concurrunt per concursum simultaneum ad suos producendos effectus. Secundo modo potest agens esse conjunctum passo conjunctione suppositi, talitèr quòd inter suppositum agens, & passum non mediet aliud, eo modo, quo ignis v. g. cremat lignum quod illi intimè applicatur, & hujusmodi applicatio, sive conjunctio non est necessaria.

1551. Tertiò præmitto quòd omne agens creatum sicut habet virtutem determinatam, finitam, & limitatam, ita habet determinatam sphæram, intrà quam potest agere, & non extrà. Quod patet experientia, nam potentia visiva habet virtutem intrà quam potest legere chartam, sive scriptionem, extrà illam autem minimè; & ignis similitèr intra talem sphæram potest calefacere, extrà illam autem non. Quæ autem sit sphæra intrà quam agens naturale possit agere in passum intrà suam sphæram existens, & in quantum talis sphæra se extendat *Deus scit* ait Scotus; secus verò de agenti supernaturali Divino, qui cum non habeat

beat limitem in sua virtute, ita ejus operativa potentia nullis clauditur terminis, sed ubique potest operari, talitèr quòd si Deus per impossibile alicubi non esset, adhuc ibi operari valeret.

1552. His præjactis probatur nostra conclusio primò de agenti naturali creato, authoritate Aristotelis, qui 1. de generatione text. 23. ait: *non solum tangens calefacit ignis, sed & si longè natus est facere, & pati:* Ergo ignis etiam si absens sit, sive distans à passo, dummodo passum intrà sphæram suæ activitatis sit, potest illud calefacere: Ergo non requiritur conjunctio, sive approximatio contigua.

1553. Probatur ratione; quia ibi potest agens naturale agere, ubi attingit passum intrà sphæram suæ virtutis; sed de facto attingit passum à se distans: Ergo in illud potest agere; major est per se nota; quia de facto sol, & alia corpora cœlestia producunt aurum, pluraque alia metalla in visceribus terræ, & tamen terra distans est suppositalitèr à sole: Ergo de facto datur agens naturale creatum, quod agat in distans, quin agat in propinquum.

1554. Et confirmatur quàm plurimis experientiis, nam ut Isidorus lib. 2. Etymologiæ, cap. 3. Basiliscus interimit, sive occidit hominem valdè distantem solo visu, & sibilo; & similitèr quidam pisciculus, qui vocatur Torpedo à piscatore captus facit manum piscatoris tumescere, nihil agendo in hamo, sive arundine; item ignis calefacit hominem existentem in debita distantia, & magnes attrahit suum ferrum, & movet horologium nihil faciendo in alia corpora: Ergo evidens est quòd agens naturale potest agere in distans, quin agat in propinquum. Hoc ipsum potest confirmari exemplo de sole, qui causat lucem in isto aëre ambiente, distante valdè à sole; sed non est major ratio, quare agens naturale possit agere, sive producere accidens in distans, quam substantiam: Ergo &c.

1555. Quoad secundam partem conclusionis de agente videlicet Divino, quòd non sit necessariò, quòd sit præsens ubi operatur, evidentissimum est. Deus enim antequàm mundum crearet non erat illi præsens, sed tantum in se ipso erat; sicut enim mundus antequàm crearetur non erat realitèr præsens Deo, sic Deus non erat illi præsens realitèr; quod enim non est, nequit alteri præsens realitèr esse; & nihilominus potuit illi dare esse: Ergo ad hoc quòd agens supernaturale Divinum valeat agere, non est necesse, quòd sit præsens præsentialitate suppositali, sed sat est quòd sit præsens præsentialitate virtutis.

1556. Et confirmatur: quia de facto extrà universum non est Deus præsentialitèr suppositaliter tamquàm in loco, non sui, sed loci defectu; & tamen extrà hoc universum potest Deus aliud efformare: Ergo ubi Deus non est præsentialitèr præsentialitate suppositi, potest ibi operari. Undè non rectè ex operatione Dei in rebus, ejus ubiquitas, sive immensitas comprobatur, cùm possit agere, ubi non est. Argumenta autem quæ contrà utriusque nostræ assertionis partem possunt efformari facile ex dictis solvetis stando in hoc præcisè, quòd si passum sit intrà sphæram agentis, potest agens naturalitèr in illud agere, etiamsi distans sit secundùm suppositum.

tum. Et dicta pro hac celebri difficultate ſint ſatis, ut ad alia tranſeamus.

QUÆSTIO SECUNDA,

Et ultima de principio activo motus violenti gravium, & levium.

QUamquam ex dictis n. 1536. §. ſecundò eſt notandum, quòd omnis motus violentus ſit à principio effectivo extrinſeco non conferente vim paſſo, nihilominus in præſentiarum venit nobis inveſtigandum, quodnam ſit hoc extrinſecum principium, à quo tamquàm à principio immediato naſcitur talis violentus motus gravium, & levium: quapropter ſit

ARTICULUS UNICUS,

Ubi diviſio motus violenti gravium, & levium in ſua inferiora traditur, & quod ſit ejus principium effectivum oſtenditur.

1557. SEX communitèr aſſignantur ſpecies motus violenti, quamvis à Scoto quatuor ſolùm numerantur ut videre licet *in hoc 7. q. 3. §. 3. notandum, n. 3.* ſed poſteà duas illarum ſubdividit, undè ex ejus mente ſex apparent, quæ tales ſunt: *tractio, vectio, impulſio, ſive expulſio, vertigo, ſive revolutio, projectio, & repercuſſio.*

1558. Tractio eſt motus, quo quis quaſi manu trahit aliquod corpus ad ſe, vel ad aliud, ut quando quis fune à portu trahit navum, vel ex puteo hydriam aquæ educit. Vectio eſt motus, quo quis movetur de per accidens ad nutum alterius, quod de per ſe movetur, ut cum homo vehitur navi, quæ per ſe movetur impulſa à ventis, vel equo, aut curru vehitur, eo modo quo veſtis ad motum corporis movetur. Impulſio eſt motus, quo quis movet aliquod corpus illud violentando, & proſequendo, ut quando homo ſuppoſita manu levat grave, ſive pondus. Expulſio quando quis v. g. projicit lapidem ſeu ſagittam, ſive per virtutem expulſivam, ſudorem, aut excrementa expellit. Vertigo, ſive revolutio eſt motus, quo corpus movetur in gyrum, ut videre licet in ſiguli rota. Projectio eſt motus, quo corpus projectum movetur, ut quando quis lapidem, aut ſagittam projicit. Et repercuſſio eſt motus, quo movetur corpus, quando occurrit aliud corpus, à quo retrocedit. Hæ autem omnes diviſiones motus, non ſunt eſſentialiter diverſæ, cum aliquando una cum altera coincidat, ſed ſolum penès extrinſeca datur diverſificatio eorum.

1559. In quatuor primis ſpeciebus aſſignatis non eſt dubium, quin talium motus fiat à virtute moventis; patet quia eorum motus commenſuratur in tarditate, ſeu velocitate cum virtute trahentis, vehentis, impellentis, ſeu expellentis, & circumagentis, ſive ferentis: Ergo ab illa potentia motiva provenit talium motus, vel à qualitate impreſſa à movente in ipſo corpore, quod movetur.

1560. Solum ſtat difficultas in aſſignando principium immediatum motus projectorum, & repercuſſorum, nam videmus, quòd quieſcente agente, quod lapidem, ſive ſagittam projecit, immo ipſo deſtructo, ſi ſtatim poſt projectionem moriatur, adhuc per-

perſeverat motus lapidis, ſive ſagittæ projectæ: Ergo ab illo non provenit immediatè, quia motus, qui eſt, nequit cauſari ab illo, quod non eſt: Ergo aliam cauſam illius motus debemus aſſignare, & quamvis de his in ſpeciali quæramus in præſenti, quidquid de his dixerimus, de aliis proportione ſervata dictum intelligatur.

1561. Prima ſententia circà hanc difficultatem affirmat, quòd motus projectorum cauſatur ab aëre, qui à tergo projectum inſequitur, & impellit. Quod ſic explicatur, & declaratur; primò potentia motiva hominis movet manum v. g. deinde manus movet aërem proximiorem, qui rurſus movet alias aëris partes, & ſic per partes aëris ſibi ſuccedentis lapis projectus movetur. Hanc patrocinatur ſententiam Pereira lib. 14. ſuæ Phyſicæ cap. 1. & ex Thomiſtis plures.

1562. Sed hæc ſententia ſic impugnatur: quia ſagitta projecta v. g. ſi moveretur ab aëre facilè cum ad hanc, vel illam partem flectatur aër, ſagitta etiam facilè flecteretur, & in ſcopum non rectè duceretur, ſed experimento conſtat, quòd etiam ſi aër contrarius ſit, & verſùs locum oppoſitus, quo ſagitta movetur, moveatur, ſagitta, ſive lapis projectus fertur per rectam lineam in ſcopum: ſignum ergo eſt quòd talis motus non fit ab aëre. Rurſùs ſi talis motus projecti fieret ab aëre: Ergo quò velociùs foret projectum, eo leviùs, ſive velociùs moveretur; ſed experimento conſtat, quòd calamus v. g. projectus non ita velocitèr movetur, ac corpus grave moderatæ proportionis, ſive gravitatis: Ergo talis motus non fit ab aëre. Ulteriùs: eadem vis datur in aëre in principio motus, ac in medio, & fine; ſed experientia patet quòd motus non eſt ita velox in fine, ac eſt in medio, & principio: Ergo &c.

1563. Secunda ſententia affirmat, quòd motus projectorum ſit immediatè à quadam qualitate motiva, quæ imprimitur corpori projecto à projiciente, quæ quidem qualitas communitèr appellatur *impulſus*, *ſive impetus*. Ita *Scotus in hoc 7. q. 3.* propè finem, *ſub n. 6. §. ad 3. dico*, cujus hæc ſunt verba: *ad tertium dico quòd in motu projectionis acquiritur impetus &c.* Ubi adjecit in ejus textus explicatione n. 7. §. aliquid movens &c. in fine. *Et in hoc octavo dicit Philoſophus quòd projiciens eſt ſimul cum projecto propter virtutem, quam imprimit projectis, quorum motus durat, quouſque talis virtus impreſſa durat.* Scotum ſequuntur omnes ejus Diſcipuli, & ex oppoſita familia plures, ut Suarez t. 2. ſuæ Metaph. diſp. 35. ſect. 4. & alii.

1564. Probatur concluſio ratione: non eſt aſſignabilis alia cauſa immediata, à qua immediatè motus projectorum proveniat, niſi impulſus, ſeu impetus, ſeu qualitas motiva corpori projecto impreſſa à virtute locomotiva projicientis: Ergo motus projectorum immediatè fit à prædicto impulſu, ſive impetu; antecedens probatur: nam talis motus nequit immediatè provenire à projiciente, cum projiciens poſſit non eſſe, & motus perſeverare, vel eſſe valdè diſtans & nihil agens in motum; neque ab aëre, quia ſi per poſſibile, vel impoſſibile iſte aër replens ſpatium inter cœlum, & terram deſtrueretur poſſet Angelus, vel homo projicere ſagittam vel lapidem per tale ſpatium,

tium, aër enim potius impedit, quam juvat ad motum, ut patet de illo quo contrà ventum movetur: Ergo &c. Idem dico de motu repercussorum, quando enim pila v. g. pariete interposito retrocedit, movetur à qualitate intrinseca ipsi pilæ causata à pariete. Alias probationes omitto apud authores videndas.

Argumenta contradicta.

1565. PRimò arguitur: motus projectorum est violentus, ut ex se patet: Ergo fit à principio extrinseco; patet consequentia: quia violentum est, cujus principium est extrà non conferente vim passo: Ergo talis motus non fit à qualitate intrinseca ipsi mobili, sive projecto, probo consequentiam: quia qualitas intrinseca projecti non est principium extrinsecum ipsi passo: Ergo talis motus non violentus, sed naturalis erit; hoc implicat: Ergo &c.

1566. Respondeo concedendo antecedens, & primam ejus consequentiam; ad probationem distinguo consequens: Ergo talis motus non fit à qualitate intrinseca ipsi mobili, hoc est à qualitate connaturali, concedo consequentiam: non fit à qualitate, quæ intrinsecè afficit inhæsivè ipsum mobile, nego consequentiam. Unde nego quòd illa qualitas mobili impressa à projiciente non sit extrinseca, hoc est extrà id quòd ab intrinseco petit mobile, cùm sit illi violenta; nam licet calor sit intrinsecè inhæsivè in aqua, tamen dicitur calor violentus aquæ, & ipsi extrinsecum, quia non ab intrinseco petitur à natura.

1567. Secundò arguitur: ex *Philosopho 2. de cælo text.* 35. & communi consensu experientia firmato: motus projectorum velocior est in medio, quàm in principio, & in fine: Ergo motus projectorum non fit à virtute, illa qualitate, sive impulsu derelicto à projiciente in projecto; patet consequentia: quia si ab illo impulsu fieret: Ergo à principio quando fit talis impulsus productus æquè velocitèr moveret mobile, ac in medio, immo velocius in principio, quàm in medio; sed hoc non est ita: Ergo &c.

1568. Respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam, ad ejus probationem respondeo, quòd ratio quare corpora projecta velocius moventur in medio, quam in principio est, quia impulsus, sive qualitas illa, à qua moventur non est ita intensa in principio, quàm in medio, nam cum qualitas activa sit si in principio, est remissa, posteà in medio se intendit per novos gradus à se ipsa productos; at verò in fine jam remissa est illa qualitas, quæ ex eo quòd facilis mobilis à subjecto sit, facilitèr remittitur, & sic in fine ferè nullius est vigoris, & sic decidit, vel desinit esse motus. Et dicta pro hac distinctione & libro sint satis, qui plura desideraverit authores consulat.

LIBER

LIBER OCTAVUS PHYSICORUM.

IN hoc octavo libro agit Philoſophus teſte Scoto de infinitate motus, quantum ad ejus durationem; quapropter ipſum inſequentes in his, quæ principiis Fidei conſona ſunt, iſtum librum unica diſtinctione, & quæſtione comprehendam, in qua de duratione mundi tractabo, quæ ad noſtrum præſens inſtitutum exſpectant, quapropter ſit

DISTINCTIO UNICA,

De duratione mundi diſſertans.

QUÆSTIO UNICA,

Utrum mundus potuerit eſſe ab æterno? tam quoad res ſucceſſivas, quàm permanentes.

ARTICULUS PRIMUS,

Ubi aliquibus præmiſſis ad quæſitum ſit ſatis.

1669. SUpponimus in præſentiarum contrà Ariſtotelem, qui circà præſentem difficultatem aberravit, mundum non eſſe ab æterno, ſed in tempore à Deo creatum fuiſſe, quod tam Scotus, quàm omnes Catholici expoſitores fatentur; itaque eſt firmum & fide tenendum, ut oppoſitum aſſerere Fidei principiis adverſetur, & hæreticum ſit. Suadetur ergo hæc veritas à Catholicis authoribus his teſtimoniis, quorum primum eſt ex 1. Geneſis, ubi habetur: *in principio creavit Deus cœlum, & terram*: quod omnes interpretes Sacri ſic intelligunt in principio temporis, vel durationis; ſed quod habuit principium durationis non fuit ab æterno: Ergo &c. Secundum eſt ex 8. Proverbiorum, ubi ſic fatur Sapientia: *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum antequam quidquam faceret à principio*: Tertium ex 7. Joannis, ubi ſic Chriſtus alloquitur Patrem: *clarifica me Pater claritate quam habui antequàm mundus fieret*: Ergo mundus non fuit ab æterno, ſed in tempore à Deo creatus.

1670. Hac igitur veritate de fide ſuppoſitæ, quamquam ut ait Scotus non poſſit ratione naturali demonſtrari, quærit titulus: utrùm Deus ſua abſoluta potentia attenta potuerit ab æterno mundum creare, tam quoad res ſucceſſivas, quàm quoad res permanentes? quod eſt idem ac petere: utrùm aliquam ſecum involvat repugnantiam, quòd Deus ab æterno cœlum v. g. creaverit,

rit, quod quid permanens est; & utrum dato quòd cœlum esset ab æterno, cœlum posset ab æterno moveri, & sic dari ens successivum, motum cœli videlicet, quod ab æterno foret. Sed quia res permanentes ut cœlum, & terra, homo, vel Angelus habent ex sua natura modum existendi oppositum, ac habent res successivæ, ut motus, & tempus, prius de illis, & posteà de istis, quid tenendum sit adaperiam.

1671. Prima igitur sententia affirmat, quòd nullum ens permanens creatum potuit esse ab æterno. Huic patrocinatur sententiæ Seraphicus Doctor Noster Divus Bonaventura in 2. dist. 1. q. 2. Ricardus à Media villa in eodem 2. dist. & quæst. eadem: Henricus de Gandavo, Albertus Magnus, & alii quam plures ex antiquis, & ex modernis, Murcia in hoc 8. & alii.

1672. Secunda verò sententia affirmat, quòd nullam secum involvit repugnantiam, quòd entia permanentia fuerint ab æterno causata à Deo, ut Angelus, homo, terra, aqua &c. Istam problematicè defendit *Scotus in 2. dist. 1. q. 3. §. tenentes autem primam opinionem, n. 16.* & sequentibus, ubi argumentis in oppositum ibi adductis facit satis; sed quia magis Scotus se inclinat in affirmativam partem, quòd mundus videlicet potuit esse ab æterno, ut expressè ait ibidem ejus commentator §. respondet Doctor, n. 1. cujus hæc sunt verba: *Doctor magis videtur inclinari ad opinionem Sancti Thomæ*, ideò partem affirmativam de possibilitate mundi ab æterno statuo pro conclusione. Hanc sequitur sententiam Divus Thomas 1. pt. q. 46. art. 1. & 3. & 2. contrà gentes cap. 28. & in 2. q. 2. estque maximè recepta sententia tam inter Scotistas, quàm Thomistas.

1673. Probatur ratione: quidquid nullam secum contradictionem involvit potest fieri à Deo; sed creaturam esse ab æterno nullam secum involvit contradictionem: Ergo creatura ab æterno potuit fieri à Deo: major est per se nota, minor verò probatur: non involvit contradictionem neque ex parte Dei, neque ex parte creaturæ, neque ex parte actionis Dei ad creaturam: Ergo ex nullo capite repugnat. Quòd non ex parte Dei patet, quia Deus ab æterno eodem modo fuit omnipotens, & eadem gaudens causativa virtute, ac modò, Deus enim immutabilis essentialitèr est, & quod modò potest, ab æterno potuit quoad intrinsecum potentiæ, sed modò Deus potest causare aliquas creaturas: Ergo & ab æterno. Quòd non repugnet ex parte creaturæ patet, quia hæc propositio est sempiternæ veritatis: *hominem existere possibile est*: Ergo ab æterno potuit homo existere; patet consequentia: quia quæ non sunt inter se se repugnantia, immo compossibilia, semper possibilia fuerunt; huius modi fuerunt, homo v.g. & ejus existentia: Ergo &c. Quod ex parte actionis patet: quia quotiescumque non repugnat terminus actionis, & datur principium sufficiens talis actionis, possibilis est actio: Ergo &c.

1634. Secundò probatur ex *Scoto in 2. cit. §. hic dicitur, n. 3. v. præterea*, & ex Augustino 6. de Trinitate, cap. 1. ubi ait: *quod si ignis esset æternus, splendor ab eo genitus, atque diffusus sibi esset coæternus*: ex quibus

bus sic formo discursum. Ideò in tali suppositione quòd ignis esset ab æterno, splendor ejus sibi coæternus foret, quia splendor ignis potest provenire ab igne, pro illo signo, in quo ignis est, & habet esse, sed etiam quælibet creatura permanens potest provenire à Deo pro illo signo, in quo Deus est, & potens illi dare esse: Ergo si ab æterno est Deus, & potens, potest creatura ab æterno sibi coæterna esse.

1675. Tertiò probatur ex *eodem 6. n. 4. v. præterea:* quidquid non repugnat limitationi, non repugnat creaturæ; sed quantacumque duratio non repugnat limitationi, quia non est perfectius quod durat per decem annos, quàm quod durat per unam diem: Ergo infinita sive æterna duratio non repugnat limitationi creaturæ; major ex se patet, minor probatur: quia infinitas durationis à parte post non repugnat limitationi creaturæ: Ergo nec infinitas durationis à parte antè; antecedens patet, quia anima, & Angelus ut fides docet in infinitum sunt duraturi; consequentia probatur: quia non est major ratio unius, quam alterius: Ergo &c.

1676. Dico secundam conclusionem: nullum ens successivum creatum potuit esse ab æterno. Ita *Scotus in 2. cit. §. tenentes autem, v. ad 3. sub n.* 17. ubi ait in fine: *quidquid est inter opposita, & sibi succedentia non potest esse sempiternum.* Scotum sequuntur Durandus in 2. dist. 1. q. 2. art. 3. Sotus 8. lib. Physic. q.3. Conimbricenses ibidem, & communiter ferè omnes moderni tam ex nostris, quàm ex Jesuitis.

1677. Probatur conclusio ratione: successivum ut tale essentialitèr, & ab intrinseco petit habere partes priores, & posteriores sibi succedentes secundùm durationem; sed prioritas, & posterioritas pugnat cum æternitate: Ergo etiam pugnat cum æternitate quòd successiva sunt ab æterno; major est certa, & minor probatur: nulla pars, quæ est alia posterior est ab æterno; hæc propositio de se patet, quia æternum est quod non habet partem durationis, & quo aliud prius non est excogitabile, sed nulla pars esset in illo motu, qua non esset alia prior: Ergo nulla esset ab æterno; minor probatur: quia si aliqua pars esset assignabilis, quæ ità esset prima, ut nulla alia esset illa prior: Ergo talis illa pars esset illius motus initium: Ergo talis motus non esset æternus, quia æternum est quod caret initio, seu principio. Alias rationes omitto apud authores videndas.

Argumenta contradicta.

1678. PRimò arguitur contrà primam nostram conclusionem n. 1672. appositam, in qua docuimus non involvere contradictionem creaturam esse ab æterno, ex Sanctis Patribus Augustino lib. 12. de civitate Dei, cap. 15. Basilio lib. 2. exameron, cap. 3. lib. 1. de fide cap. 8. Athanasio oratione 2. contrà Arianos, Hugone Victorino lib. de sacramentis cap. 10. qui omnes hoc utuntur argumento ad probandum contrà Arium, quòd Verbum Divinum est Deus, & per omnia æqualis Patri. *Si verbum Divinum esset creatura cœpisset in tempore, cum creatura non possit esse coæterna*

na suo creatori; sed Verbum Divinum est coæternum Patri, ut constat expresse ex sacris literis: Ergo est Deus æqualis Patri, & non creatura; sed hoc argumentum nullius esset ponderis, si creatura posset esse ab æterno, cum possent respondere Ariani, quòd non ex eo quòd Verbum sit ab æterno, infertur quòd sit Deus, cùm possit creatura ab æterno esse: Ergo sentiunt Patres Sancti, quòd repugnat, quòd creatura sit ab æterno.

1679. Respondeo quòd Sancti Patres loquuntur contrà Arium, & Macedonium supposita veritate Fidei, & Scripturarum, quòd nulla creatura fuit ab æterno, sed omnis in tempore accipit esse, & hoc supposito sic arguunt: omnis creatura est in tempore; sed Verbum non in tempore, sed ab æterno: Ergo non est creatura; quæ consequentia est evidens majori, & minori admissa; cæterum non arguunt ex possibilitate essendi creaturarum ab æterno, quia nostrum argumentum concluderet, sed supposito facto, quòd omnis in tempore sit. Quòd si adhuc velint protervire, quòd argumentum tenet loquendo tam de facto, quàm de possibili: dico, quòd Arius concedebat quòd Verbum Divinum erat coæternum & tantæ necessitatis, ac est Pater, & Sancti Patres arguunt, quòd nulla creatura est necessariò ab æterno, cùm omnis liberè à Deo creata sit: Ergo si Verbum est coæternum Patri, & necessarium ut est Pater, Verbum non est creatura. Undè vim sumit argumentum ex necessitate, non verò ex coæternitate. Ex quo nihil contrà nos.

1680. Secundò arguitur: omnis creatura essentialitèr eo quòd talis ex nihilo est: Ergo nulla potest esse ab æterno, antecedens patet: quia omnis creatura habet esse per actionem creativam, qua transit de non esse ad esse; sed creatio est totalis productio rei ex nihilo: Ergo omnis creatura ex nihilo est, consequentia probatur: quòd essentialitèr ex nihilo est, tamquàm ex termino à *quo*, essentialitèr supponit nihil sui, tamquàm terminus à quo, ad suum esse existentiale, tamquàm terminum ad quem; sed quod prius non erat, & posteà est, non est æternum, quod est: Ergo nulla creatura potest esse ab æterno; minor probatur: quia quod habet prius non est æternum, quia in æternitate nequit dari plus: Ergo si creatura antequàm à Deo produceretur non erat, & posteà est, non erat æterna. Et confirmatur: omne quod creatur, prius essentialitèr erat creabile, patet quia si creabile non esset non crearetur; sed ab æterno fuit creatura creabilis: Ergo non creata ab æterno, quia cum creatum supponat creabile, creatum nequit esse ab æterno: Ergo &c.

1681. Respondeo ex *Scoto in 2. cit. §. tenentes autem, v. hic dico, sub n.* 19. quòd verum est quòd creatura transit de non esse ad esse, sed non est sic intelligendum, quòd non esse creaturæ præcedat essentialitèr tempore ipsum esse, sed sat est quòd præcedat naturæ prioritate, sive origine, quæ prioritas, & posterioritas compatibilis est cum æternitate; nam Verbum Divinum est posterius Patre, posterioritate originis, & tamen est coæternus Patri. Undè concedo antecedens, & nego consequentiam, ad ejus probationem distinguo majorem: quod

quod essentialitèr est ex nihilo supponit in aliquo priori naturæ ipsum nihil ad suum esse, concedo majorem; supponit prioritate temporis, vel durationis nego majorem, & eadem distinctione ad reliquum argumenti respondeo. Undè concedo, quòd omne creatum saltèm prioritate naturæ fuit possibile creari, sive creabile, sed nego quòd ex hoc inferatur, quòd effectus si absolutè fuit creabilis ab æterno, non possit esse creatus; ex quo nihil contrà nos, nam etiam si lux sit causabilis à sole, si sol esset æternus, ab æterno etiam esset lux, ut ait Augustinus.

1682. Tertiò arguitur: implicat contradictionem Deum non liberè operari ad extrà circà creaturas; sed implicat Deum ab æterno liberè operari: Ergo implicat, quòd ab æterno liberè producat creaturam; major ab omnibus admittitur tamquàm fidei principium; minor probatur, quia si Deus ab æterno liberè produceret creaturam, vel produceret illam liberè postquam semel producta est, & hoc non, quia ad præteritum non est libertas, neque potentia, vel quando illam actualitèr producit, & hoc etiam repugnat, quia *omne quod est, necessè est esse, ex Philosopho 1. perhierm. cap. ultimo:* Ergo dicendum est quòd antequàm Deus illam producat, liberè illam producit, vel potest producere: Ergo prius Deus erat potens liberè producere, quàm illam produceret: Ergo non ab æterno potest produci, quia in æternitate non datur prius.

1683. Respondeo quòd Deus liberè produceret creaturam, tam in actuali productione, quàm ante illam, prioritate naturæ, non temporis, quia prima prioritas compatibilis est cum æternitate, non autem secunda, & sic &c.

1684. Quartò arguitur: Deus ab æterno non potest annihilare creaturam: Ergo ab æterno non potest creare creaturam; antecedens probo: annihilatio creaturæ essentialitèr supponit prioritatẽ temporis, seu durationis ante ipsam creaturam existentem, annihilatio enim non est aliud, quàm substractio concursus, quo conservabatur creatura in suo existentiali esse perseverante, sed quod posterius duratione est alio, nequit esse illi coæternum: Ergo &c. consequentia probatur: quod Deus potest creare, potest annihilare, & è contrà; sed Deus ab æterno non potest annihilare creaturam: Ergo neque illam creare. Et confirmatur: ideo Deus non potest ab æterno annihilare creaturam, quia annihilatio ejus supponit essentialiter esse ejus; sed similitèr creare creaturam supponit essentialiter non esse, seu nihilum esse creaturæ: Ergo &c. Et urgeo argumentum: & interrogo vel Deus in instanti immediato post creationem creaturæ, vel in altero die potuit illam annihilare, vel non? si hoc secundum: Ergo non est in Deo libera potentia destruendi, quod semel effecit, neque in creatura perfecta subjicibilitas in essendo suo creatori, quod est impium, & temerarium. Si primum: demus casum, quòd Angelum v. g. quem supponimus Deum ab æterno creasse, vellet Deus pro suo libito in instanti post immediatè annihilare, & quòd de facto illum in nihilum redegerit. Tunc interrogo: vel Angelus fuit ab æterno annihilatus, & hoc non; quia creatum esse ab æterno, & ab

æterno annihilatum includit contradictoria. Vel in tempore; sed neque istud, quia ex illo instanti ad æternitatem non mediat, nisi finita, & paucissima duratio: Ergo neutrum horum est dicendum: Ergo &c.

1685. Respondeo ex *Scoto in 2. cit. §. tenentes autem primam opinionem, v. respondeo, sub n.* 17. concedendo quòd benè verum est, quòd Deus non posset ab æterno annihilare creaturam, quam ab æterno crearet, quia creaturam creatam esse ab æterno, & similitèr esse ab æterno annihilatam, manifestam involvit contradictionem; sicut hominem v. g. creari in instanti *A*, & pro eodem instanti *A* annihilari: tamen quòd ex hoc aliqua Deo irrogetur injuria, quia hæc impotentia ad annihilandam creaturam, non est impotentia simplicitèr orta ex defectu virtutis, vel ex inobedientia creaturæ; immo ex perfectiori Dei providentia, qua semel decrevit Angelum v. g. ab æterno creare, & sic talis impotentia non absoluta, sed conditionata diceretur, & secundùm quid. Quod patet evidenter: nam ex suppositione, quòd Deus v. g. decreverit Petrum salvare, vel mundum redimere, non potuit Petrum non salvare, vel mundum non redimere in communi Theologorum consensu, sine eo quòd ulla injuria Deo irrogetur, in eo maximè ejus decreti infallibilitas, & ejus voluntatis Divinæ immutabilitas commendatur; & ex hoc facilis extat solutio in forma ad argumentum. Undè necessum erit, quòd ex suppositione, quòd Deus Angelum ab æterno crearet, non posset illum per tempus infinitum annihilare, sed necessariò post infinitam ejus durationem illum annihilare si vellet. Et hæc pro prima nostra conclusione sint satis, ut ad alia transeamus.

1686. Quintò arguitur: ex nullo capite includit contradictionem motum v. g. sive aliud successivum fieri ab æterno; patet: quia nulla datur ratio efficax ad hanc implicationem demonstrandam: Ergo &c. antecedens probo: quia si cœlum esset ab æterno, ejusdem naturæ esset, ac modò: Ergo eodem modo posset moveri, ac movetur modò. Et idem dico de homine, qui eodem modo posset alium generare hominem, ac generat modò: Ergo &c.

1687. Respondeo ad argumentum cum *Scoto in cit. §. v. respondeo, sub n.* 17. *& v. ad aliud de transitu, sub n.* 20. negando antecedens, & ad ejus probationem nego similitèr antecedens ob rationem dictam num. 1670. Undè concedo, quod si cœlum esset ab æterno, ejusdem esset naturæ, ac modò, & nego quòd poset moveri, ac modò movetur, & idem dico de hominis generatione: ex eo quòd motus concomitans generationem implicet ab æterno fieri. Ex quo patet, quòd si Deus cœlum crearet, ab æterno deberet quiescere per infinitum tempus, quasi imaginarium: nam sicut adversarii negantes Deum posse aliquam creaturam creare ab æterno, concedunt quòd Deus per tempus infinitum necesariò quievit, antequam quidquam crearet, & hoc nullum judicant inconveniens; ita & nos qui fatemur creaturam permanentem potuisse esse ab æterno, concedimus, quòd talis creatura coæterna nullum poset habere motum, sed necesariò quievisset per tempus, quasi imaginarium infinitum.

1688. Et dicta pro his nostris Commenta-

mentariis ſint ad laudem, & gloriam omnipotentis Dei, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, nec non & Beatiſſimæ Virginis Mariæ abſque labe originalis culpæ conceptæ, Seraphici Noſtri Stigmatizati Parentis, in Joannis Duns Scoti Theologorum facilè Principis decus, & omnium Sanctorum exaltationem; omnia igitur quæ his noſtris Commentariis, ut potui, notavi, & docui, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ correctioni ſubjicio libentèr, nec non & judicio peritorum ſubmitto

F. R. BLASIUS à BENIUMEA.

PROTESTATIO AUTHORIS.

OMnia, & ſingula, quæ in hiſce opuſculis aſſeveranter dico, aut opinabiliter aſſero, vel alacritate propugno, pedibus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ appono, ejuſque correctioni libenter ſubjicio.

REGI SÆCULORUM IMMORTALI, ET INVISIBILI SOLI DEO HONOR, ET GLORIA.
AMEN.

FINIS.



INDEX

INDEX RERUM ET VERBORUM MEMORABILIUM.

Numeri paginas indigitant; Littera a *numeris adjecta, primam;* b *alteram paginæ columnam designat.*

Agens

B.

C.

Cau-

omnia

D.

E.

Imper-

L.

M.

N.

O.

P.

sio-

Q.

R.

S.

T.

FINIS.



Adver-

Advertuntur Errara hujus Tractatus per numeros marginales & lineas.

Litera *l.* lineam, *leg.* lege, *n.* numerum designant.

NUm.2. l.8. natura, leg. *naturæ.* n. 6. l.16. quo, leg. *quomodo.* n.17. l.1. Jatareti, leg. *Tartareti, & sic deinceps.* n.47. l. 10. intrinsecæ, leg. *intrinseco.* n.77. l. 8. in quæ, leg. *in qua.* l.9. ut cum, leg. *utrum.* n. 79. l.2. habitur, leg. *habetur.* l.3. sumpto, leg. *sumpta.* l.11. direcendivum, leg. *directivum.* l. 15. admisso, leg. *admissa.* n. 80. l.7. modore, leg. *motore.* l. 29. extallicit, leg. *& allicit.* n.83. l 8. per quem, leg. *per quam.* l. ead. acquiratur, leg. *acquiritur.* l. 9, distincto, leg. *distincta.* l. ead. ab alia, leg. *ab alio.* n. 84. l.7. propritate, leg. *proprietate.* n. 85. l.4. utrum, leg. *unum.* n 89. l.4. utrum, leg. *unum.* n.89. l.13. illo, leg. *ille.* n.91. l. ult. quanta, leg. *quarta.* n.92. l. 12. qui, leg. *quia.* n. 93. l. 30. resubstat, leg. *resultat.* l.36. primo, leg. *prima.* n.97. l. ult. eatrinsecum, leg. *extrinsecum.* n. 100. l.6. post dictionem *immediate*, adde *possit.* n.107. l.3. dicentis, leg. *dicente.* n.135. l.12. compositivè non fiunt, dele *non.* n. 143. l. 2. post dictionem *communis*, adde *est.* n.150. l.6. post dictionem *non sit* adde *ex.* n.166. l.7. assignat, leg. *assignant.* n.178. lin. ult. in fine, adde *ex ea.* n.204. l. 14. substantia, leg. *substantiæ.* n. 215. l.8. incomparibilitatem, leg. *incompossibilitatem.* n. 255. l. 4. incompatabilitatem, leg. *incompatibilitatem.* l.5. post dictionem, *quæ non*, adde *sunt.* n.283. l. 5. qua non &, leg. *qua non est.* n.289. l.3. post dictionem *datur*, adde *materia.* n.302. l. 1. discretio, leg. *descriptio.* n. 304. l. 1. per si, leg. *per ly.* n.319. l.3. &, leg. *est.* n.321. l.15. actuale, leg. *actuabile.* n.329. l.8. quoad, leg. *quod.* n.332. l.15. communi, leg. *commune.* n. 336. l. ult. ignis, leg. *igne.* n.339. l. 16. mandatæ, leg. *mandandæ.* n.370. l 14. post dictionem *sit*, adde *ad.* n.381. l.8. non, leg. *nos.* n. 414. l.4. quidam, leg. *quoddam.* n. 431. l. 15. quæ, leg. *quia.* n.444. l.2. q.9. leg. *q.11.* num. eod. l.3. post dictionem *quo agens*, adde *agit.* l. 6. receptivo, leg. *recepto.* n. 454. l.8. quam, leg. *quia.* n. 465. l.7. Dadam, leg. *Radam.* n.476. l.24. seorsum, leg. *sursum.* n.477. l.15. seorsum, leg. *sursum.* n. 528. l. 6. substantiali, leg. *sub tali.* n.556. l.3. à parte, leg. *à parte rei.* n.562. l. 2. post particulam, *ad hoc quod detur*, adde *privatio.* n.613. l.10. dele *potentiam.* n.615. l.12. arguitur, leg. *arguit.* n.616. l.2. quid, leg. *quod.* n.628. l.19. nequiritur, leg. *requiritur.* n.636. l.15. sine, leg. *sive.* n.659. l.5. & quid, leg. *est quid.* n.671. l. 13. dele *Philosophi.* n.680. l.6. post dictionem *magis*, adde *unum.* l.9. partis, leg. *partes.* n.685. l. 1. concludendo, leg. *concedendo.* n.699. l.13. ut, leg. *&.* n.710. l.11. seorsum, leg. *sursum.* n.738. l.3. natura, leg. *naturale.* n.741. l. 10. violenter, leg. *non violenter.* n.764. l.7. inficiens, leg. *efficiens.* n.791. l.14. distincta, leg. *indistincta.* n.805. l.16. materia causalitatis, leg. *materiæ causalitas.* n.806. l.17. fluenda, leg. *fæcunda.* n.837. l.17. cognitionem, leg. *ignitionem.* n.866. l.24. eidem composito, leg. *idem compositum.* l. 28. resultaret, leg. *resultavit.* n.868. l. 9. constitui, leg. *constituti.* n.883. l.6. à natura, leg. *à neutra.* n.887. l.1. sit, leg. *sic.* n.888. l.17. superficies petit calorem, leg. *colorem*, & sic per tot. §. n.890. l.5. tam materialis, quam formalis, leg. *tam materiali, quam formali.* n.905. l.10. non influit, leg. *non fluit.* l.12. illa unio, leg. *illa unione.* n.911. l.13. capacitatem activam, leg. *passivam.* n.921. l.17. constituuntur, leg. *constituitur.* n. 926. l. 11. quod, leg. *ad quod.* n. 927. l. 15. post particulam *formaliter*, adde *sapiens.* n.930. l.7. quam ad aliud, leg. *quam aliud.* n.934. l. 6. ex quo constituitur, dele *ex quo*, & leg. *constituens.* n.954. l. 5. post dictionem *immediatè*, adde *provenire à substantia, sed ab accidentibus.* n.956. l.8. esse operativa, leg. *esse operativum.* n.972. l.9. &, leg. *est.* n.977. l.11. est alte, leg. *est alteratio.* n.1004. l. 7. febri cessante, leg. *febricitante.* n.1018. l.7. connotat, leg. *constat.* n.1020. l.24. restituere, leg. *restituas.* n.1022. in fine, adde, *ita alia principia operativa operentur mediis potentiis ab eis formaliter distinctis.* n.1038. l.10. sed effectus, leg. *sed per effectum.* n. 1039. l.8. si subs, leg. *si substantia.* n. 1042. l. 2. causatio, leg. *causativo.* l.8. causativè, leg. *causativo.* n.1048. l.16. Prius, leg. *potius.* n.1053. l.9. ad quam, leg. *ad quem.* n.1060. l.12. si, leg. *sive.* l.15. faceret, leg. *facere.* l.22. quia, leg. *qua.* n.1087. l.8. dele *vel primam conclusionem.* n.1090. l.11. respondeo, leg. *respondendo.* n.1104. l. ult. diviso, leg. *diviso.* n. 1109. l. ult. vel. leg. *velit.* n.1110. l. 3. præviatur, leg. *præveniatur.* n. 1114. l. 3. post dictionem *illa*, adde *causa.* n.1115. l.5. quæ, leg. *quo.* n 1117. l. 3. ejus, leg. *ejusdem.* n.1120. l.10. quam, leg. *quem.* n.1127. l. 3. nullum, leg. *nullam.* l.9. carnaliter, leg. *æternaliter.* l. 14. sic, leg. *sui.* n.1183. l.9. dele *sive.* n.1184. l.2. s, leg. *est.* n.1185. l.3. artificium, leg. *artificem.* n. 1188. l. 4. entitatis, leg. *entitas.* n. 1189. l. 13. qua, leg. *quæ.* n.1205. l.6. sive, leg. *sui.* l.12. ad, leg. *sit.* n.1210. l. 11. post dictionem *realis*, adde *influxus.* n. 1217. l 23. in unito, leg. *in unico.* n. 1226. l. ult. omnes, leg. *omnis.* n.1248. l.13. videns, leg. *videntem.* l. ult. illud, leg. *illud.* n.1261. l.2. datur, leg. *non datur.* n.1263. l.3. nulla, leg. *nullum.* n.1280. l.6. dubium, leg. *debitum.* l.8. s, leg. *quia.* l.12. infinita, leg. *finita.* l. ult. infinita, leg. *finita.* n. 1283. l. 9. post dictionem, *si daretur*, adde *daretur.* n.1291. l.11. dinarii, leg. *binarii.* n. 1295. l. 31. Cretionis, leg. *Creatoris.* n.1298. l.11. perfectior, leg. *perfectiori.* n.1300. l.15. dele *non.* n 1301. l.30. status, leg. *statu.* n. 1302. l.4. finito, & limitato, leg. *infinito, & illimitato.* n. 1305. l. 30. repugnet, leg. *non repugnet.* n. 1308. post dictionem, *in infinitum*, adde *Respondeo.* n.1317. l.15. post dictionem *illud est*, adde *locus.* n. 1321. l.11. presse, leg. *expressè.* n.1331. l.18. beato, leg. *locati.* n. 1349. quanti, leg. *quantitatis.* n. 1364. l. 6. plurificatione, leg. *cum plurificatione.* n. 1365. l. 7. est impossibile, leg. *est possibile.* n. 1375. l. 2. dependentia, leg. *potentia.* n. 1376. l. 9. semel, leg. *simul.* l. 10. post dictionem, *una desinet esse*, adde *ut alia fit.* adde insuper, *at loca possunt esse simul, & de facto sunt.* n.1387. l.6. posteriora, leg. *priora.* n 1393. l. 4. desineretur, leg. *detineretur.* n. 1395. l. 21. utum, leg. *utrum.* n.1408. l.12. eorumdem, leg. *earumdem.* l.21. ut una, leg. *ut unum.* n. 1413. l. 12. cui, leg. *quæ.* l. 8. sive, leg. *sic.* l. 17. post dictionem, *sectatoribus*, adde *affirmativi.* n. 1416. l. 8. dist. 17. leg. *dist.27.* n.1417. l. 22. principalem, leg. *minus principalem.* n.1427. l. 3. fit, leg. *est.* l.7. quæ, leg. *cujus.* n.1422. l.31. aptius, leg. *alterius.* n.1428. l. 16. arguitur identitas, leg. *arguit identitatem.* l. 17. intelligibile, leg. *inintelligibile.* n. 1433. l. ult. rationes, leg. *rationis.* n.1434. l. 21. proprietatis, leg. *proprietates.* n. 1435. l. 26. &, leg. *est.* n.1440. l.24. cum motis, leg. *cum motu.* n.1460. l. ult. esse, leg. *esset.* n.1463. l.12. illum, leg. *illam.* n.1470. l.3. compatibiles, leg. *compossibiles.* n.1501. l.2. mea, leg. *meo.* n.1558 l.4. navum, leg. *navim.* n. 1577. l. 7. sunt, leg. *sint.*

F I N I S.